

DISCURSUS ACADEMICI AD AUREAM BULLAM CAROLI QVARTI ROMANORUM IMPERATORIS &c.

IN QVIBUS

DE CONDUCTU ELECTORIBUS PRÆSTANDO, ROMANORUM REGIS ELECTIONE, SESSIONE ELECTORUM, VICARIORUM POTESTATE, SUCCESSIONE E TUTELA PRINCIPUM ELECTORUM, REGIS BOHEMIÆ aliorumque ELECTORUM PRIVILEGIIS, Regalibus, Comitiis, Confœderationibus, Pfalburgeriis, Diffidationibus, Unione Principatuum Electorum, & integritate eorundem servanda, officiis Electorum, & juribus Officialium, aliisq; materiis ad juris publici elucidationem pertinentibus tractatur.

QVOS



PRÆSIDE ET AUCTORE

Dn. DOMINICO ARUMÆO,
JCTO CONS. SAX. IN INCLYTA JENENSIUM Acad. Prof. P. Curiæ Provincialis, & Scabinatus Assessore.

Præstantissimi & eruditissimi

Legum Candidati in illustri SALANA *publico disputantium examini, & omnium publici juris indagatorum censuræ exposuerunt.*

Accessit Textus AUREÆ BULLÆ, & Index copiosissimus.

EDITIO SECUNDA PRIORE CORRECTIOR ET AUCTIOR.

Cum Gratia & Privilegio Elector. & Ducum Sax.

JENÆ

Typis & Sumptibus TOBIÆ STEINMANNI.

ANNO M. DC. XIX.



Serenissimo & Potentissimo Principi ac Domino,

DOMINO JOHANNI GEORGIO,

DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, BERGÆ, SACRI ROMANI IMPERII ARCHIMARESCHALLO ET ELECTORI, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI &c. COMITI DE MARCA ET RAVENSBURG, DYNASTÆ IN RAVENSTEIN &c. DOMINO SUO CLEMENTISSIMO.



ONTROVERSIA DE SESSIONIS prærogativa, Serenissime ac Potentissime Princeps Elector ac Domine, Domine Clementissime, periculi plena est, honoris, quippe thronum circumlitat, nihilq; aliud, quàm inditium bonæ existimanis sollicito molimine quærit, quæ sublimium anirum ductu, non tàm affluentibus divitiis, lateq; entium regionum ambitu, quàm unius dignioris i sessione æstimari solet. Hinc eorum in ratiocinaaibus collectio, à ditione ad dignitatem amplion, vitiosa censetur; deputantq; eam privatorum sequentiis, qui ex Reginæ pecuniæ usu se Reges bitrantur, unde Fridericus Imperator ejus nomi-

nis primus interpellatus super contentione sessionis Archiepiscopi Coloniensis, & Abbatis Fuldensis, veteres, inquit, approbamus, ut tenemur, Imperii nostri consuetudines, quocirco major an minor æquo nobis discrimine est. (a) *Meritoq; Carolus Dux Burgundiæ reprehensus fuit, quod in Comitiis Ratisponensibus Anno 1471. ditionum latiorum prætextu primum locum per suos Legatos Electoribus præripere attentaverit,* (b) *monitus haud dubiè exemplo Patris, qui in consilio Basiliensi Patrum decreto Electoribus prælatus fuit,* (c) *saniori haud dubiè nixi ratione Tridentini, quorum pronunciato illis post legatos Pontificios præcipuus dignitatis Locus attributus fuit,* (d) *quanquam Hispanorum ductu potentiæ vis dignitatis respectum absorbeat omnem, quade re Vasquius,* (e) *Hispaniarũ Rex (ait) cum omnibus totius orbis Principibus potentior sit, reliquis omnibus præferendus erit, hocq; munitus quasi clypeo peracto Concilio Tridentino prærogativam tanquã sibi debitã jam spe devoraverat, inquit Thuan.* (f) *importunis efflagitationib. apud Pontificem contra Gallum de primo loco secundum se pronunciari petiit, quod cum in Aula Romana obtinere non posset, prensationibus variis apud Maximilianũ Imperatorem effecit, ut Principis loco prærogativa in aula Cæsarea Legatis Gallicis,* (g) *denegaretur, O ambitio*

a] Crantz. lib. 6. c. 46. in Saxon.

b] Campan. tom. 2 script. Freher.

c] Chassan. p. 5. consid. 45. Catal. Glor. mund.

d] Thuan. l. 8. histor.

e] in pref. lib. 1. controv. cens. n. 33.

f] lib. 55. histor.

g] Thuan. lib. 49.

bitio ambientium crux, scribit (h) *Bernhard. quomodo omnes torques, omnibus places? nil acrius cruciat, nil molestius inquietat, nil tamen apud miseros mortales celebrius negotiis ejus: sanè hoc ipsū malum cum animos Electorum eousq; pertentaret, ut primum sibi quisq; locum, verbis loquor Dubravii,* (i) *præcipuamq; auctoritatem in eligendo, assidendoq; vendicaret, nedum ut alius alium in bonore deferendo præveniret, inde simultates inter illos & aliquoties cædes ex domestico illo dissidio suscitabantur, ideò approbante Senatu Principum frequentissimo, decretum Carolus promulgat, quo gradus, potestatesq; Principum & aliorum ordinum ita discrevit, ut nullus de jure suo imminuto queri potuerit, sed contra potius, ut tenuiores cum potentioribus se quodammodo æquari gavisi fuerint &c. . qua quidem in re Episcopus Olomucensis memoriæ lapsum sustinuit, Electorum quippe saltem, non verò Principum aliorumq; ordinum gradus, potestatesq; Carolus discrevit, optandum quidem Successorum aliquem banc curam suscipere, res enim illa quantum publicis deliberationibus commodaret, illi norunt, qui discordia locali non rarò bonum publicum tardari vident, & indignantur: quicquid sit, promulgatione bujus* BULLÆ *in tantum Imperio profuit, ut quod cursuum mundanorum periti non diffitentur,*

h] *d. consid. lib.* 3.

i] *lic.* 22. *bistoria Bohemic.*

 super

ſuper ea etiamnum majeſtas & pax ejuſdem tutò quieſcat, ut mihi ſubinde hominum noſtrorum ſtudia & labores perpendenti non occurrat ratio alia, qua ipſos in omnibus juris privati partibus, tàm gnavos, prorſus verò in fundamentalis hujus legis revolutione elingues fuiſſe putem, quàm quod rei farinariæ tractatio iſtius juris magis conduceret, cujus curâ cum hujus ævi nonnullos minimè detineri, ſed ingenti juris publici ſplendore erigi cernerem, eorum imitatione fundamentalem hanc Imperii noſtri legem, continuò commentationis filo illuſtrare primus, ſit hoc errorum meorum excuſatio, non laudis alicujus aucupatio, mecum conſtitui, & verò cum D E O *integrum ad omnes titulos commentarium perfeci, quem domi in Bibliothecâ mea latere volebam, ſciebam enim rem tantam non poſſe pro dignitate ab alio, quam ſtatus Imperii noſtri perito, arcanorumq; ejuſdem non ignaro tractari, in ora manusq; hominum emitti, niſi me malevolentia quorundam mea pro ſuis evulgantium ad hoc compuliſſet, quibus editione horum Diſcurſuum, nam commentarii nomen ſupprimere etiamnum volui, obviare decrevi, quos Sereniſſime & Potentiſſime Princeps Elector ac Domine, Domine Clementiſſime ſubjectiſſimâ animi promptitudine Veſtræ Serenitati & Celſitudini ideò offerre volui & debui, quod materia, quam tractant,*

ctant, talis sit, quæ vel maximè Magnanimos Electores & præsertim Celsitud. Vest. tanquam Imperii non solùm potentissimum Electorem, sed & perpetuum Vicarium ejusdem concernit, quodq́; Celsitudo Vestra me Tutorio nomine Illustrissimorum & Celsissimorum Principum Juniorum Ducum Saxoniæ &c. Dominorum itidem meorum Clementissimorum in hac SALANA *inter ejusdem Professores clementissimè semper habuerit, quo nomine me maxima queq; Vest. C. debere, subjectissimè agnosco, sed cum C. V. sublimitas, meaq́; tenuitas alium retributionis, quàm litterarium hunc modum non admittat, age Serenissime & Clementissime Domine vultu hilari hosce labores meos, sui quidem pondere tenues, at de materiis verè Regiis discurrentes, suscipe, quodsi cognovero, animum ad exornandum jus publicum mihi additum esse demonstrare non intermittam. D.* JENÆ *20. Septemb. 1617.*

Vestræ Serenitatis & Celsitudinis

Subjectissimus

D. D. ARUMÆUS.

DIS-

DISCURSUUM ACADEMICORUM

Ad Auream Bullam

CAROLI QVARTI ROMAN. IMPERATORIS

PRIMUS.

RESPONDENTE

MARTINO PERSÆO STOLP. POM.

THESIS PRIMA.



Um Jus nostrum aliud publicum aliud privatum sit *l. 1. ff. de just. & jur. § fin. Inst. eod.* illud verò definiatur, quod ad statum rei Romanæ spectat; hoc verò, quod ad singulorum utilitatem pertinet *d. l. 1. & §. fin.* minimè juris publici cognitio illos, qui se Juris Studiosos, quo nomine Jurisconsulti modestè honorantur *in l. 1. ff. de offic. Adses.* profiteri satagant, effugere debet *Heig. l. 1. quæst. 11. num. 1.* nam cum ɔublicæ rei directio ipsorum discretioni committi solet, utique si ion quis status ejus sit, quibusve mediis ad eum devenerit & conservari possit, abque eo in sequiorem deflecti valeat, in promtu teneant, neutiquam summæ rei utiliter consulere poterunt, ad illa it *Livius l. 1. hist.* quisque acriter intendat animum, quæ vita, qui nores fuerint, per quos viros, quibusvè artibus domi militiæque & artum & auctum imperium sit, ut mirari non injuria liceat, norates magno molimine, quæ privatorum in rerum suarum direione potestas sit, explicasse, ne per transennam verò quæ Imperaris, Electorum, Principumque in Imperio effulgeat sublimitas, exisse. Pars laboris non minima habita fuit originem testamen-

torum,Emphyteuſeos,Stipulationis, Actionum, ſimiliumque inquirere,at neglecta & tenebris obducta Electorum,Principum,Comitum, aliorumque origo latuit;magnis voluminibus de jurisdictione Veterum,everſæque Romæ diſputatum, præſentis verò Imperii ejuſdemque Statuum jurisdictionem delineare, cura ſuſcepta nulla fuit,ſocietates privatorum magnis laboribus explicârunt; ſed fœdera;ſocietates,confraternitates Principum, aliorumq; Statuum neglectæ;quod non quidem materiæ ſubtilitate aut noſtrorum hominum hebetudine, ſed juris privati repræmiatione magis obvia factum opinari licet,qua cum noſtri temporis egregios viros non tangi,ſed materiæ ingenti ſplendore erigi cernerem, eorum imitatione Auream Bullam Caroli IV. Romanorum Imperatoris continuo commentationis filo illuſtrare,animo concepi,ſentioque me non voluntate,ſed facultate publicorum monumentorum, quibus materiæ ſublimitas coruſcari oportebat, deſtitutum finem eum, quem mihi præfiniveram,non obtinuiſſe, hacque de cauſa pleraque ex integro commentario in diſquiſitionis aleam conjicere, deque iis publicitùs, ut veritas dictatorum magis magisque effulgeat,& quæ ab aliis bene dicta animadvertam,oportunâ derivatione ſuas ad ſedes transferam, conferre.

II.

Decetque omnes,quorum campus literarius eſt ſeges & materies gloriæ,in revolutionem Bullæ noſtræ nobiſcum ſe convertere: nam præterquam,quod firmiſſima Romani Imperii petra ſit, ſuper qua etiamnum Majeſtas & pax ejuſdem tutò quieſcit, compendioſam quoque juris publici inductionem continet, ſiquidem non ſolùm Sublimium Electorum prærogativam & ſeſſionis inculcat ordinem;verùm etiam pleraque ad ipſius Imperii ſtatum & tranquillitatem pertinentia inſinuat.

III.

Cujus promulgatione Carolus IV. maximam laudem adeptus eſt,*ait autor appendic.ad Sext.Aur.Vict.*ut ejus intuitu minimè pœnitendus Imperio Princeps cenſeri poſſit *Fabric. l. 6. orig. Saxon.* Quanquam negari nequeat,ab illo imperio ita initum & adminiſtratum

ſtratum, ut multis in rebus boni Principis & patriam amantis officium in eo deſiderari poſſit. Nam victrices Harpyias in Italia præ ſe ferens loco Aquilarum Baccho immolans nihil memorabile geſſit, *inquit Benevenut. de Rambold. in ſuo Auguſt.* adeò ut Germaniæ Principes, quod ipſum in Italiam ſecuti eſſent, pœnituerit: non enim bellum gerebat, *ait Fabr. l. 6. orig. Sax.* aut adverſarios domabat: ſed veluti mercatum agens theſauros colligebat, omnia concedens omnibus, à quibus pecuniam abradere poſſet. Et quo competitoribus imperii pacatis, bonis imperii, quibus inhiabat, liberè potiretur, deque iis ex animi ſententia negotiari poſſet, Gunthero Comiti Schwarzenburgico viro ſtrenuo & militari ab Electoribus ipſi contrariis electo & Imperatori deſignato viginti duo millia marcarum argenti ac duo oppida Imperiali in Thuringia ad tempus vitæ dedit, *Cuſpin. in vita Guntheri.* Friderico Marchioni Miſnenſi, qui in Schwartzburgici extincti locum electus erat, decem millia marcarū ſolvit, ut imperio cederet. *Hein. Mutius l. 25. Chron. Germ.* Familiæ vice Comitum, qui tum Mediolani plurimum poterant, ingenti vi pecuniæ accepta, ut perpetui vicarii Cæſaris per Lombardiam eſſent, in magnum imperii detrimentum conceſſit, *Cuſpin. in vita Caroli IV.* Regnum Arelatenſe ab Ottone I. adjectum imperio, prandii unius gratia, in villa nova, prope Avinionem Galliæ Regi tradidit. Sedecim liberas civitates ad Imperium pertinentes vicinis Principibus vendidit. *Cruſius lib. 5. part. 3. c. 11. Annal. Svevic.* Luſatiam, quæ Imperialis beneficii nomine multis annis ab Epiſcopo Magdeburgenſi poſſeſſa fuerat, Alberto ejus temporis Epiſcopo corrupto, regno Bohemiæ adjunxit, *Fabr. l. 6. orig. Sax.* Ut filium ſuum Wenceslaum ſibi ſucceſſorem, exemplo maximè improbando, ait *Egnatius in vita Caroli*, conſtitueret, cuique Electorum centum millia aureorū promiſit, quæ cum ſolvendo non eſſet, cum maximo Imperii detrimento, publica vectigalia Imperatoribus ad ſubſidia relicta ipſis Principibus non tàm oppignoravit, quàm perpetuò abalienavit, *ut loquitur Dubravius l. hiſt. Bohem. lib. 22.* Deplumata eſt aquila, ait de hoc Carolo *Cranzius in Sax. l. 10. c. 3.* ut in reliquum cæteris animantibus ſit contemtui: quid enim poteſt ſine pennis? Romana poteſtas ad nihilum ferè redacta eſt, loquor verbis *Onuphrii Panvinii de Comitiis Imperatorum tit. quibus Imper. abro-*

gat. neque postea caput extollere potuit, cum Principes omnia sibi jura Imperii retineant, novosque Impp. jurejurando obligant, ne pignora revocent, vel antiqua illorum privilegia aliquando abrogent. Maximam igitur (subjicit) Carolus IV. Romano Imperio jacturam fecit, ex cujus spoliis tanquam in bello captis Bohemiæ regnum genti suæ hæreditarium locupletavit, cui consentiens *Johannes Baptista, Egnatius d.l.* ait, sed qui Bohemiæ suæ quam Germanis aut Italis consultum mallet. Qua de re videndus etiam *Dubravius lib.22. histor. Bohem.* adeò ut totum Imperium ad sublimationem regni Boëmici venditurus fuisset, modò emtorem reperisset, ut de ipso scribit *Theodoricus de Niem.tractat.6.tit.Imperatores semper August.in Nemore union.* quorum intuitu Maximilianus I. Imperator dixit, Eò pestilentiorem pestem Germaniæ nunquam obtigisse *Spiegel.lib.5.Comment.ad Ligurin. Guntheri.* Verùm cum ut *Tacitus lib.4.hist. loquitur*: Principes boni voto quidem expetendi, qualescunque tamen tolerandi; Sanè etsi in Carolo non injuria hæc aliaque reprehensionem mercantur: tamen ut Princeps sermone affabilis, accessu facilis, vultu quo maximè populos demulcere poterat, amabilis, æquis propensus, iniquis acerbus, literarum & literatorum fautor meritò calculum scribentium tulit, *Beneveenut.de Rambold.in d.tractat.August.* imò eò usque in literarum cognitionem devenit, ut primus Cæsarum nonnulla Evangelia scripto interpretatus sit *Dubrav.d.l.22.in princ.* Vir profectò religiosus, inquit *Cuspianus in ejus vita*, & qui in quinque linguis erat expeditissimus. Nam Italicam, Gallicam, Alemannicam, Bohemicam & latinam callebat, Juris quoque amans fuit, nam constitutis, ut ait *Dubrav.d.lib.22.* in præsens in Italia rebus Carolus vel armis vel jure non sine Bartolo Saxiferrato, juris illâ ætate peritissimo, quem in aula sua liberaliter habuit, quod ipse *Bartolus quoque in Extravag. ad reprimendum in princip.testatur*, & certissimo argumento est præsens Bulla.

IV.

Cur verò Aurea Bulla vulgò appellatur?

In veteri Romanorum Repub. Bulla Aurea fuit insigne puerorum ingenuorum, quæ eis dependebat à pectore, qua primũ Tarquinii

quinii Prisci Filius, quod in puerilibus annis hostem occidisse ferrent, donatus fuit *Alexander ab Alexandro lib.2. Geneal. dier. cap.25.* quæ & rotunda in cordis figuram formata erat, ut eam inspicientes ita demum se homines esse cogitarent, si corde præstarent, ut putat *Macrob.l.1.Saturn.6.* Fuit & aliud Bullarum genus, quibus nobilium ostia decorabantur, scilicet scutulati clavi, qui bullæ vocabantur, quod *Plauti* testimonio clarescit, is enim *in Asin. Act.2.* sic loquitur: jussin' in splendorem dari bullas has foribus nostris. Et *Cic.in Verrem.orat.9.* Bullas omnes aureas ait, ex his valvis, quæ erant multæ & graves, non dubitavit auferre. *Tiraq.c.37.num.160.de nobilit.* Verùm hoc loco Bulla nihil aliud insinuat, quàm majus ipsius Imperatoris sigillum, quod negotiis gravioribus appendi solebat, ut enim in quotidianis vel sigillum vel annulus, ita in gravioribus bulla adhibita fuit. Et ut in Pontificum plumbea, sicuti videre est *ex lib.1.sacrar.cærem.Ecclesiæ Rom.cap.2.in fin.* ita Imperatorum concessionibus & sanctionibus gravioris momenti aurea appendi consuevit, cujus vel adspectus solus immensum quiddam majestatis & gloriæ contemplantibus ingerit, & venerabundos cogit summi Imperii & veteris Romæ atque aurei seculi meminisse, ut Franc. Petrarcha de oblata comitiva sub aurea Bulla alibi loquitur. Quare cum noster Carolus vice Comitibus Mediolanens. perpetuum Imperii vicariatum vendidisset, aurea Bulla id confirmavit, *teste Cuspin.in ejus vita.* Et Frid.II. privilegia Romanæ Ecclesiæ nonnulla aureâ Bullâ muniri jussit. *Goldast.tom.1. Const.Imper. fol.73.* Sigismundus Imperator quoque decretum in Comitiis Norinbergæ Anno 1431. perlatum aureâ Bullâ roboravit, hæc enim in fine ejusdem leguntur verba: Versiegelt mit unser königlichen anhangenden gülden Bullen/apud *Goldast.tom 1 Const.Imper fol 166.* Et idem Sigismundus sub aurea Bulla jura Electorum Palatinorum obsignari præcepit *Goldast.tom.1. Const.Imper.* Et cùm de gravissimis Imperii Romani negotiis Carolus IV. in præsenti hac sanctione leges protulerit, facilè, cur eas sub aurea Bulla promanere voluerit, intelligimus. Sanctio itaque ipsa synecdochicâ denominatione aurea Bulla ab ejus appensione appellatur Carolus Imperator, inquit *Trithem. in Chron. Hirsav. Anno 1356* bullam dictam auream, quia sigillo sit aureo roborata, conscribi fecit, & *Albert. Crantz.li.9. cap.29.*

cap.29.in Saxon. multa, ait, constituens, quæ usque in hodiernum observantur & aureo sigillo desuper literas decernens, appellari jussit Constitutionem Imperialem, Bullam auream. Hinc bullare nihil aliud est, quàm sigillare. *Petrus de Vineis Epist.21.lib.1.* existens ipse, ait, bullator & Scriptor & forsan numerator. Hacque ipsa de causa Dd. bullati, quod literis bullatis & non Academico examine gradum adepti sint, appellantur.

V.

Quæritur: An Doctores bullati frui debeant privilegiis eorũ, qui in Academiis promoti sunt?

Extra ordinem, & dum bullarum mentio nos detinet, inseremus hanc quæstionem, quam magno consensu nostri negativè decidunt, ut apparet ex iis, quos citat *Matth.Coler.p.2.c.3.n.135.de Proc. execut. Jacob.Benius p.2.n.6.de Privilegiis JCtorum. Rutger. Ruland. lib.1.c.14.n.8. de Commiss.* quorum argumenta si excutere libeat, parùm negativæ opinioni præsidii ex iis affulgere deprehendemus. Hi nòn præsumuntur, ait *Rutger d.l.* habere talem scientiam, quia non sunt publicè examinati, requiritur autem examinatio super scientia, *argumento l.magistros Cod. de Professorib. & Medic. Menoch.l.2. quæst.126.n.18.* Verum in eo argumento id, quod planè falsum est, assumitur. Constat enim ex literis Comitivarum; non aliter solere à Cæsarea Majestate Comitibus Palatinis facultatem Doctores renunciandi, quàm prævio examine adjunctis ad minimum duobus vel tribus Doctoribus (dispositio enim *l.10. C. de Professf. ab aula recessit. Benius p.1.priv.11.n.4.*) concedi, ut argumenti inversio non spernendum affirmativæ fundamentum præbeat. Si enim is, qui publicè examinatus est, cæteris paribus rectè gradum Doctoris suscipit, & rectè is eo, qui bullatus dicitur, ornari poterit, quia utique publicè & in præsentia aliquot Doctorum eum examinari volumus, nec examine hòc prætermisso ad eundem aditum ei concedimus. Progreditur *Rutger*: Deinde multa solennia, ait, necessariò in actu Doctoratus requisita, 1. ut finito examine confirmetur. 2. ut pileus capiti imponatur. 3. ut in cathedram collocetur. 4. liber clausus & apertus ei porrigatur, 5. annulus digito inseratur, 6. osculo dimittatur. Verum nequicquam hoc quoque stringit fundamentum, quia

Comiti

Comiti Palatino suum Candidatum ad id honoris fastigium educere non aliter quam servatis servandis concedimus. Progreditur *Rutger*. Nec mirum, ait, quia & aliis favoribus Doctoribus concessis privantur. Nam in simili, si statutum loquatur, ut non nisi Doctores vel Licenciati in Collegium vel Ordinem Ecclesiasticum vel civilem cooptentur, qualia multa sunt in Germania & Francia; hoc casu nō admittendos Bullatos certum est. Verum hoc facti, si hoc prætextu excludantur, & non juris est, nec spectandum quid hic vel alibi fiat, sed quid fieri debeat, *l. 12. ff. de off. præsid.* Nam si eruditio hunc honorem mereatur, Bulla seu Universitatis testimonio innixus Doctor veniat, ex jure eum admittendum esse evincam rationibus paulò pòst sequentibus. Quo ipso similiter concidunt, quæ *Rutger* addit, quod scil. in numerum Cameræ Adsessorum non recipiantur, de quo tamen mihi nihil constat: nec à collectis immunes sunt juxta *Guidon. Pap. decis. 388.* nec Nobiles reputentur. Nam ex jure nostro ad eversionem objectorum pro affirmativa sententia sic argumentor: Quicunque moribus & facundia excellit, is ex Juliani Imperatoris constitutione ad gradum Doctoris admittitur, *l. 7. C. de Prof. & Med.* circa bullatum Doctorem, & morum & facundiæ excellentiam ponimus, siquidem si utroque destitutus titulum obtinuerit, non ex eo quod bullatus Doctor, sed mitratus asinus est, rectè privilegiis Doctorum privabitur. Nam & nostrorum communi calculo, si ritè recteque in Academiis promotum morum & facundiæ elegantia non commendet, conclusum extat, propter apparentem insufficientiam Doctoratus insigniis spoliari posse, *argumento l 1. ibid. Bart. C. d. Prof. & Med. Jacobus Benius d. tract. p. 2. in proœm.* Nec Doctor indoctus frui debet Privilegio Doctorum, ait *Petr. Greg. l. 18. de Repub. c. 9. n. 9.* Atqui dixeris, Julianum velle, ut judicio ordinis promovendus decretum Curialium mereatur optimorum consensu conspirante, & rectè. Hinc secunda nobis profluit probatio: Jubet Imperator, quia singulis civitatibus adesse ipse non potest, verba sunt *d. l. 7.* ut quisquis docere vult, judicio ordinis probatus decretum Curialium mereatur; Quapropter ex rationis identitate, quia Imperator ubique locorum Imperii esse nequit, & potestatis plenitudine, qua ordini Curialium in civitatibus potestatem eligendi Magistros & Doctores dedit, rectè etiam Comitib. Palatinis facultatem hanc conspirante optimorum & Doctorum ad hoc rogatorum consen-

consensu largiri potest. Et pro tertia ratione notamus: Si Imperator facultatem Comiti dare potest, utique is eandem rectè exercere poterit, sunt enim hæc consequentia, concedere quod fas, id exercere nefas dici nequit; atqui nemo dixerit Imperatori hanc facultatem Comiti tribuere fas non esse, *Regn. Sixtin. cap. 2. num. 23. de Regal.* quod præter quotidianam experientiam probatur rescriptis Imperatoris, quibus cavetur instar Sacrilegii esse disputare de principali judicio *l 3. C. de crim Sacril. l. 5. C. de divers rescript.* Fas itaque & erit Comiti Palatino hanc facultatem in eum, qui moribus & doctrina sufficientem sese præbet, exercere. Quartò non ignoti juris est, quod dubitare, an is dignus sit, quem elegerit Imperator, non liceat *d. l 3. C. de crim. Sacril.* bullatum autem nostrum elegit Imperator, etsi non per se, per alium tamen, qui vice ipsius fungitur. Nam cum, ut ait *Seneca de consolat.* humeris Principis totus innitatur orbis, unius autem ingenium tantæ molis capax non sit, in vicem curarum alios, qui in quibusdam partitionem earundem cum ipso instituerent, vocari necesse fuit; quod exemplo Academiarum pro Quinto demonstrari potest, quæ quia Princeps omnibus locis adesse nequit *dict. l. 7. Cod. de Prof.* ipsius autoritate Doctores creant: Doctorare, ait *Petrus Greg. Tholos. d. l. 18. c. 9. nu 8. de Repub.* aut privilegiare ad Imperatorem origine pertinet & Universitates Privilegia tantum ejus autoritate concedunt: pari itaque & simili ratione, si autoritatem Comiti Imperator tribuat, is ad instar Uniuersitatis concedentis autoritate Doctores creabit, siquidem in privilegio Doctoralium concessione non conferentem, sed primum eorundem concedentem, qui Imperator est, respicimus. Progrediamur sextò. Comes Palatinus creare potest Poëtas, quod Universitas non potest; Et in hoc est augustior Comitum quorundam potestas, qui si per imperium nomen & privilegia eadem cum ipsis, qui â Cæsare coronantur, habent, nulla ratio est, cur eorundem Doctores ab iis, qui in Academiis renunciati sunt, privilegiorum intuitu separari debeant, quia origo potestatis ab eodem fluit. Quodque septimò vel maxime juris ratione congruit, quæ non curat medium, dum modò rei effectum habeamus *l. in conditionibus ff. de condit. & demonst. Decius consil. 227.* Medium est scientiæ probatio, quo scilicet promotum dignè gradum suscepisse

isse clarescit. Nam actus ille, qui in renunciatione publica suscipitur, non dat scientiam vel peritiam sed solummodò eam probat, ut *Anton. Maria, Corasius lib. 1. tit. 6. inspect. 11. nu. 129. de communi D.d. opinione*. De hac itaque tanquam effectu cum per medium probationis à Comite promanantis constare satis superque possit, nescio an strictè eam, quæ ab Universitatibus impertiri solet, requirere necesse sit. Et sanè de Professorum in Academiis contestatione, velem injuria eruditi Hispani *Casparis Bætiæ in tract. de inope debitore c. 16. num. 136.* verba usurparem, solennia Doctorum & Licentiatorum, ait, non professione vel eruditione sed pecunia quæruntur, nemo enim offert pecuniam, cui non detur Doctoris titulus; At non omnes eruditionem habent ad prælegendum publicè: Quare rectius dicuntur Doctores, qui doctrinæ validis suffulti præsidiis docent, quàm qui annulo vel pileo accepto Doctoralis dignitatis codicillos ostendunt & nihil minus sunt Doctores, &c. Quibus omnibus consequens est, quia bullati examinantur, quia solemnia in eorum resignatione adhibentur, ideò in collegium vel ordinem ecclesiasticum vel civilem aut Adsessorem Cameræ Imperialis rectè recipi, à collectis immunes esse, & nobiles reputari, adeoque omnibus illis privilegiis, quibus in Academiis promoti fruuntur, gaudere debere.

VI.

Quænam verò causa Imperatorem ad promulgationem ejusdem impulit?

Eousque ambitio, ait, *Dubra. lib. 22. hist. Boëmic.* illorum etiam principum, qui se Electores vocant, exarserat, ut primum sibi quisquam locum, præcipuamque autoritatem in eligendo, assidendoque vindicaret, nedum ut alius alium in honore deferendo præveniret, unde simultates inter illos & aliquoties cædes ex domestico illo dissidio suscitabantur. Tu quidem invidia, *ait Carolus in proœm.* Christianum Imperium à Deo instar sanctæ & individuæ Trinitatis fide, spe & caritate, virtutibus Theologicis roboratum, cujus fundamentum super Christianismo regno feliciter stabilitur, antiquo veneno, quod velut serpens in palmites Imperiales & membra ejus propinquiora, impio scelere vomuisti, ut concussis columnis

lumnis totum ædificium ruinæ ſubjiceres, diviſionem inter ſeptem Electores Sacri Imperii, per quos velut ſeptem candelabra lucentia, in unitate Spiritus Septiformis ſacrum illuminari debet Imperium, multoties poſuiſti. Exemplum habet *Witeck. lib. 3. Saxon.* cum Otto Magnus in Cæſarem deſingnatus eſſet, quæſtio orta Pontificum ait, in conſecrando Rege, Trevirenſis ſcilicet & Coloniæ Agrippinæ, illius, quia antiquior ſedes eſſet, & tanquam à B. Petro Apoſtolo fundata; iſtius verò, quia ejus ad diœceſin pertineret locus, & ob id ſibi convenire arbitrati ſunt hujus conſecrationis honorem. Item cum Henricus IV. puer quinque annorum in Imperatorem Aquisgrani coronandus eſſet, inter Colonienſem Archiepiſcopum Hermannum, & Lupoldum Primatem Moguntinum conflictus fuit. Nam hic eam ſibi vendicabat dignitatem, quia negotia regni ſibi commiſſa eſſent; ille verò quia intra ſuam diœceſin locus iſte coronationis ſitus eſſet. *Zuing. l. 4. vol. 11. Theatr. human. vitæ,* In conventu Imperii, quo Heinricus VI. Friderici filius Rex Romanorum deſignabatur, die eo, quo Regi Corona imponenda eſſet, ambitioſam turbam excitavit Abbas Fuldenſis, Colonienſem enim Archiepiſcopum ſiniſtrum jam latus Imperatoris tenentem loco amovere niſus eſt, ut latius refert *Cranzius lib. 6. cap. 46. in Saxon.* Et cum Henricus III. eſſet Moguntiæ inter miniſtros Moguntini Archiepiſcopi, & Fuldenſis Abbatis de loco exorta eſt contentio: Res à verbis ad verbera proceſſit, ac ſine mora gladiis congredientes, templum humano ſanguine fœdarunt. *Naucl. vol. 2. generat. 36.* In Coronatione Caroli IV. cum Marchio Juliacenſis Sceptrum teneret Regale, Ludovicus Marchio Brandenburgenſis id eripere illi conatus eſt de manu, dicens: Ad officium ſuum hoc pertinere: Unde rumore inter illos orto Regem interveniſſe, *ex Rebdorffio notat Freber. ad ca. 8. lib. 2. Petr. de Antlo.* Et ideò cum omne regnum inter ſe diviſum, *ut in prin. hujus Bullæ ait Imperator*, deſoletur neceſſe eſt, nec inſuperabilem Rempublicam arma, non pecunia, ſed unius publicus decoris conſenſus, *teſte Jovio*, efficiat: ad unitatem inter Electores fovendam & Electionem unanimem inducendam ac deteſtandæ diviſioni, variisque periculis ex ea ſequentibus aditum præcludendum, approbante Senatu Principum frequentiſſimo ſubjicit, *Dubrav. d. l.* decretum Carolus promul-

promulgavit,quo gradus potestatesque Principum & aliorum ordinum ita discrevit,ut nullus de jure suo tanquam imminuto queri poterit; sed contra potius, ut tenuiores cum potentioribus se quodammodo æquari gavisi fuerint. Sic item vetera Cæsarum de eligendo Rege Romanorum placita renovavit,ut in hodiernum diem Carolina sanctio de mandandis suffragiis sola apud Principes vigeat,vigeatque *Thuan.lib.2. circa princ. histor.*

VII.

Potestnè ergò eam Imperator, si velit, abrogare?

Quod quidem dicendum videbatur,cum, quia legum generalium,qualis hæc est,promulgatio ad Imperatorem pertinet, *l. leges.l.humanum l fin.C.de LL.*cujus verò est promulgare, ejus etiam abrogare,*l.nihil tam naturale ff.de regul.jur. l.si quis in pr.ff.de legat.* Unde Moguntinus contra Heinricum Imperatorem, quem meritum investivimus,ait,quare immeritum non devestiamus? Num quod Principum decreto impendere licet, eorundem autoritate tollere non liceat? *Helmold.in Chron.Sclavor*, tum quia Imperator jura positiva,qualia hac Bulla continentur,tollere potest,*§.sed naturalia.Inst de jur.nat.& gent c.proposuit ext.d.concess.præbend. Clem. in infectis cum gloss.de immunit. [illegible] l.digna vox cum ibid.not. C.d. LL.*tum etiam, quia Carolus IV. non potuit subsequentes Imperatores obligare, propterea quod causam ab eo non trahant, habent enim Imperium per Electionem,*l.si quis demum ff locat. c. dilecto de præbend.ut in specie arguit Florentius de Vennigen. inter cons. Claud cantiuncul.cons.16.n.193.Balth Ajala c.7 n.10 l.1.de vir. & off. el.* Nec per parem obligare poterit, *l. 4. & 6. ff.de recept. arbit.l. receptum 14.d.jurisdict.* nec pacto antecessoris ligatur successor, *Decker.inter cons.claud.Catiunc.cons.14.n. 17.* adeò ut nec Electores Imperii futurū Imperatorem in Electione & coronatione adstringere pactionibus onerosis possint,*Florent.de Venning.d.cons.16.n.201.* Habet enim duplicem potestatē,Absolutam,& Ordinariam, hujus quidem intuitu est sub potestate legis,illius v. non item; nec quo

ad observantiam, nec quo ad vinculum in jure positivo *Florent.d. Venning.d.conf.16.num.250.* quorum intuitu non injuridicè locutus in Regio Senatu censeri potest. *Johannes Lupus de Palatiis rubeis in repet.rubr.cap.per vestras de donat.int.vir.& uxor.§.si enim 7. & 8.* Quod promissiones, quas reges Ferdinandus & Isabella in regni sui principio fecerunt, aliquibus magnatibus propter ipsorum importunitatem & Regum necessitatem adimplere non tenerentur; id nimirum est, quod graviter conqueritur *Paulus Jovius in fin. l. 18. histor.* id exitu verum manifestè perspectum esse, eam demum Principum & Regum omnium fidem ut pro libidine sanctissimas fœderum & conventionum leges attrectare, violareque non dubitent, cum semel præsenti tantùm commodo atq; ipsis temporibus serviendum esse censuerint. Verissimum enim & nos longè credimus Imperatorem hanc Bullam abrogare aut mutare non posse, moti autoritate *Bald.in c.licet de vit.d.elect.* Electores sacri Romani Imperii (concludit ille) simul cum ipso Imperatore non possunt mutare formam electionis futuri Imperatoris; quod si verum, multò minùs solus Imperator Bullam hanc, quæ inter alia formam electionis tradit, abrogare poterit. Cujus argumenti vis sequentium innixa rationum momentis magis ac magis clarescit. Si enim, ut per inversionem argumentum. I. pro hac sententia inducamus, Ejus est saltem abrogare, cujus promulgare: Sanè nec Imperator hanc Bullam abrogare poterit, quia non solo Imperatore auctore, sed ut textus habet, assidentibus Principibus, Electoribus Ecclesiasticis & secularibus ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium & Civitatum numerosâ promanavit multitudine, ita ut omnium eorum in destructione, siquidem eam abrogari vel in nonnullis immutari velimus, quorum in promulgatione autoritas & consensus interveniat, necesse sit. Quod enim alibi *Ambros. hom.5.* id sanè ad hanc augustissimam imperii legem omninò transferendum erit, hic Reipublicæ usus est, ait, leges omnibus esse communes, atque eas observari devotione communi, uno omnes teneri vinculo, non aliis jus esse, quòd alias sibi intelligat non licere, sed quod uni liceat, licere omnibus. Deinde Politicorum communi consensu receptum est, fundamentales Imperii leges nec mutari, nedum abro-

rogari sine corruptione status publici posse, quicquid prætende- possunt(ait *Pet. Greg. Tolos. l. 7. de Repub. c. 19. in fin.*) innovatores turbatores pacis Reipublicæ, qui forsan levi prætextu persua- ere conantur, & hanc legem non usurpandam, & non posse vide- æquam, quorum sententia statim à limine dum proponitur, est mnibus modis & remediis omninò explodenda, tanquam ad Rei- ublicæ pacatæ interitũ perducens *Bodin. 1. de Rep. c. 8. Althus. c. 6. in olit. Heig. li. 1. quæst. 5. n. 2.* Et ideò cum lex nostra Imperii fundamen- lis sit, hoc est, talis, sub qua Imperium constitutum est, & qua- nquam fundamentum ex consensu communi & approbatione- itur, *Heig. d. q. 5. num. 2. Pet. Greg. d. lib. 7. num. 17. vers. possumus dice-*, & qua salus, dignitasque totius Imperii continetur, ut *ait Pruck- n. §. soluta potestas effect. 3. n. 3.* Cujusque autoritas in dubiis meri- sequenda *Hartm. Maurus de coronat. Caroli V. tit. quo apparatu:* cui semper stare oporteat *Heig. d. q. 5. n. 1.* & qua qualescunque omani Imperii reliquiæ, illique ferrolutei pedes utcunque conti- entur, & à dissolutione & ruina adhuc conservantur, *Freher. in- rat. 2. de propria gubernatione Frider. IV.* Consequitur eam volun- te Imperatoris abrogari non posse; sitque hoc tertium: Quicquid apitulatione, hoc est, formula potestatis legitimæ gubernationis probatæ, *Heig. q. 2. 17. lib. 1.* continetur, id omninò Imperatorem bservare decet, quod innuere volens Moguntinus Elector de Ca- olo V. agens, & de non transferendo Imperio, ait, vel imminuen- o jure ac libertate nostra fidem nobis dabit per jusjurandum *bleid. 1. comm. de stat. relig.* Sunt enim hæc invicem connexa; fi- em si dare fas est, certè eam frangere nefas est. Illud verò in hunc que diem communis observantia Imperatorum, qui initio regi- nis in certa capita jurare coguntur. *Warem ab Erenberg. c. 1. num. 0. l. 2. de fœderib.* ostendit. Et ideò cum inter cætera, quod Auream Bullam mutare non velint, fide jurata adpromittere coguntur, ut pparet ex capitulatione Caroli V. apud *Schleid. d. l. 1. & 8.* relin- uitur, siquidem fidei observantes eos esse volumus, quod vel ma- mè illis convenir, nec fas aliter sentire, arbitrio eorum Bullam on subesse, nec statui Imperii præsentis illud Guntheri respondet ib. 8. in Ligurino:

——————— *pro lege voluntas*

Principis esse solet, quicquid decreverit ille,
Esse ratum mos est & juris habere vigorem.

Præsertim cum & aliàs non ignotum sit, Principē, qui ex pacto Regnum vel Imperiū init, omninò pacto stare teneri. Nam ut *Bald. dicit in rubr. d. const. in pr.* Edictum Prætoris, *pacta servabo*, æquum est & ab ore Dei processit, h. e. tàm Principi quàm aliis positum est, siquidem is Dei legib. peræquè ac subditi, obligatur. Recogitent, inquit *Tertull. in Apolog.* Quousq; Imperii vires valent, & ita Deum intelligent, adversus quē omnino valere nō possunt, per eum se valere cognoscant. Cœlū deniq; debellet Imperator, cœlū captivū triumpho suo invehat, non potest, ideò magnus est, quia cœlo minor est, illius n. est ipse, cujus est cœlum & omnis creatura: Optime Deos exemplum Principib. constituam (ait *Senec. lib. 5. c. 4. d. Clement.*) ut se tales civibus præbeant, quales sibi Deos esse volunt. Quare regiè ut pleraq; alia Alphonsus Rex Nepolitanus dixit, solam fidem tantum apud Principem, quantum juramentū apud privatos valere debere, *teste Panorm. de dict. & fact. Alphonsi lib. 1. n. 58.* & Archiepiscopus Coloniens. apud *Cranz. lib. 6. c. 46. in Sax.* Verba, inquit, Cæsareæ Majestatis mihi pro juramento sunt. Eleganter *Gunth. lib 3. f. 60.* *Nudo jus & reverentia verbo, Regis inesse solet, quovis juramine major,* & *Bald. in l. 1. ff. de pact.* adducit Aristotelem, ad Alexandrum Magnum dicentem: O Alexander, observa fidem datam & fœdera confirmata, aliàs malus finis sequetur. Cujus rei exemplum in Imperio depositione suâ posteris exhibuit Wenceslaus Caroli nostri filius. Paralipomena *Abb. Ursberg. in Wencesl. Hotom. disp. feud. cap. 41.* & Adolphum juramenti transgressorem de solio Imperiali dejectum refert *Aventin. lib. 7. Annal. Bojor.* Quid? Quod mutatione vel abrogatione hujus Bullæ de proclivi in antiquam sylvam dissensionum principalium rediretur. Nam alius si induceretur ordo, periculi res plena erit, quia non ignotum quam Magnates terminos dignitatis antiquos ipsis moveri ægrè ferant. Cujus quidē rei cum non aliunde melius consilia petantur, ut ait *Halycarnass.* quæ in futurum prosunt, quàm ex præteritarum rerum exēplis, recolite ea, quæ de controversia Archiepiscopi Coloniens. & Abbatis Fuldens. ex *Cranzio d. lib. 6. c. 46.* attulimus. Moguntinensis & ejusdem Abbatis ex *Naucl. vol. 2. generat. 36.* Sanè Carolus Borbonius ob demandatam primæ

aciei

ei curam Alenconio, quam sibi deberi dicebat, ad Carolum V. de-
it *Jovius lib. 22. hist.* Et Dux alius à Carolo VII. Galliarum Rege
errogatus, quanã ratione à fidelitate, tot experimentis hactenus
perspecta, abduci posset? si vel semel, respondit, contumeliosè
quid in me dixeris, vel feceris. Andreas Doria maris Præfectus à
ancisco I. Rege Galliæ, quod verbo parum honorifico ipsum ex-
erat, similiter ad Carolum V. transivit *Casparus Ens lib. 1. Epidor-
l.* Quod sanè si in Germania non ingenia sed Heroës saltem sub-
tui alios consideravimus, amplissimam litium segetem mutatio
jus Bullæ secum trahat necesse est: quæ tantum abest, ut Imperiali
tâ provocari debeat, ut nihil magis ei incumbat, quàm solicitâ
ovisione eam extirpare, & ut foro, curiæ, ac omnibus autoritas &
io-vetus constet, prospicere: aliàs enim partarũ rerum cœlo cu-
ulus æquatus sedem stabilem nõ habebit, ut loquitur *Valer. Max.
2. c. 4.* Quod innuens Frid. I. Imperator prudenter super contro-
rsia Archiepiscopi Coloniensis & Abbatis Fuldensis interpella-
s respondit: Veteres approbamus, ut tenemur, Imperii nostri con-
etudines, quocirca major an minor æquo discrimine est. *Cranz.
lib. 6. c. 46.* Nec in contrarium opposita nos quicquam movere de-
nt. Nam & 1. argumentum per inversionem nostræ sententiæ as-
ere ostendimus. Et 2. corruet ex juramento electi, quod initio
ectoribus præstare cogitur. Quo ipso concidit quoque 3. objectio,
ia non Carolus sed proprii oris assertio mutationem vel abroga-
nem hanc Imperatoribus adimit. Quare nec par hoc in passu pa-
m, aut Antecessor obligat Successorem, quanquam nec hoc à juris
tione alienum sit, successorem antecessoris obligari pacto, quia
Principe duo considerantur; Persona, & dignitas ejus, Persona
idem moritur, Dignitas verò semper & ubique, quàm diu Impe-
um durat, manet. Cujus intuitu, cum omnia, quæ cum Imperato-
actantur, peragi soleant, relinquitur dignitate manente, & etiã
a, quæ ab illa promissa sunt, stare debere. *Peregr. de jure fiscali lib.
it. 1. n. 37. Pruckm. § soluta potestas memb. 2. cap. 4. effect. 2. n. 10. & 11.*
putidum est, Electorum pactionibus juratis constringi Impera-
em non posse; Nam & contrarium experientiâ docemur. *Schlei-
n. d. lib. 1. de stat. rel. Warem. ab Erenberg. c. 1. num. 160. lib. 2. de fœ-
r.* & vox illa divina: Reddes Domino juramenta tua, *Exod. 20.
Levit.*

Levit.19. tàm Imperatorem quàm alium obligat: Ejus enim intuitu non ut Princeps sed ut homo consideratur. Quo pertinet *Plinii in Panegyr. ad Trajan.* elegans sententia: Princeps ut se hominibus imperare norit, ait, ita seipsum quoque hominem esse cogitet, itaque voces & laudes, quæ numini soli debentur, tanquam putidissimas assentationes oderit. Rectè *Horatius lib.3. carm. Od.1.*

Regum timendorum in proprios greges
Reges in ipsos imperium est Jovis
Clari Giganteo Triumpho
Cuncta supercilio moventis.

VIII.

An Civitates Imperiales & liberæ jus votandi in Comitiis habent?

Imperium Romano-Germanicum primitùs sex circulis seu regionibus Reichsabschied. A. 1500. Vnd die sechs Rähten postmodum superadditis quatuor A. 1512. Reichsabschied / vnd darauff haben wir. Atque ita decem circulis circumscriptum fuit, quorum consilia etsi nullam verè jurisdictionem habeant, tamen ut esset, unde Senatus Imperii suppleri & paci publicæ rectiùs consuli, ac leges Imperii, latæque sententiæ executioni demandari possint, prudenter recepta sunt. *Thuan.l.2.hist. Pet. Denais in comp jur. Cam. num. 72.* Ex illis etiam, quoties de rebus ad Imperii tranquillitatem pertinentibus deliberatione opus est, status Imperii ad Comitia evocari solent, quorum triplex est consilium, factâ enim propositione Electores in suum, Principes itidem tàm Ecclesiastici quàm seculares in suum; & civitates in suum consilium secedunt, & deliberationem de rebus propositis instituunt. Deliberatione habitâ rursus similiter conjunguntur, Electoresque suam aperiunt sententiam; quæ si Principibus & Civitatibus non placet, suas quoque sententias indicant, aut si variantibus sententiis inter eos conveniri nequit, vel ab Imperatore aut ipsius Commissariis in concordiam rediguntur; vel rursus certis personis rei controversæ consultatio committitur. *Obrecht.c.6.n.75. de jurisdict.* Atque hæc quidem de consilio Electorum & Principum apud omnes in confesso sunt: Civitatibus verò

rò nonnulli jus quidem consultandi, non verò votandi seu suffragandi concedunt. Sic enim Orator Reipub. Venetæ apud *Phi- Honorium in Relatione sua de aula & Regno Imperatoris Rom.* itates (ait) etsi sententiam suam quasi consilium conferunt, tan nullum in decidendo suffragium habent, à quo non dissenis *Peucer. in complem. Chron. Philip. Melanch. lib. 5.* apertè civis non suffragandi, sed consulendi tantùm jus habere scripsit. us quidem opinionis, etsi nullas illi prodiderit rationes, opinanen licet has vel similes collimasse, quod quemadmodum pri- jus suffragandi in Comitiis non conceditur, similiter nec civibus, utpotè quæ privatorum loco sunt, *l. eum qui vectigal. ff. de r signif. l. nihil interest. ff. ad SC. Maced. Heig. l. 1. q. 23. n. 25.* d permitti debere videtur; Nam in Comitiis vetus illa & anti- Romani Imperii Majestas etiamnum elucet. *Arnold. Clapmar. 4. de arcan. Imper.* cujus sanè communicatio cum subditis, idē civitatib. jus votādi in Comitiis cōcederetur; instituere|tur; dem in iis nihil aliud disceptari solet, quàm quod ad Impeajestatem pertinet, ait *Thuan. l. 2. hist.* ut cum de pace, de bele tributis in communis belli sumtus imponendis, de fœderide sociis, de legumlatione vel abrogatione, de moneta, aliisq; ibus rebus agitur; quod quidem indivisibilis natura Majestan admittit, *Bodin. lib. 1. c. 10. de Repub.* quæ tamen in nullo læ vel communicatur, etiamsi consulrandi jus Civitatibus conur, quodq; prudenti consilio permissum opinari licet. Nam oneribus Imperii illas defungi necesse sit, præteriri utiq; & di Comitiis periculosum fuit. Est enim, ut *Aristot. lib. 3. Po-* monet, plebis natura, siquidem ab honoribus removeatur, issima statui præsenti, & ideo quasi Comitiorum participes vocari, consiliumq; ab iis, ne neglectæ aut indignæ habitæ ntur, exigi existimare licebit. Principes plebis, ait *Liv. lib. 4.* nitia malebant, quibus non haberetur ratio sui, quàm quibus igni præterirentur. Consilium autem, cum intuitu ejus, cui merè voluntarium sit, eiq; id sequi vel respuere liberum retur, nihil earum vocatione, quod Comitiorum dignitati de-, aut Civitatibus magnoperè conceditur, admittitur. Sic ve- Reges Romanorum, Romulus, Servius, aliiq; institutis Comi-

tiis centuriatis ad eorum autoritatem rerum summã sese referre simulabant, cum tamen, ut Pompon. noster *in l.2.§.1.ff. de orig. jur.* autor est, omnia manu à Regibus gubernarentur. Solon. Comitia suffragiis populi committenda quidem censuit, sed quia is facilè in quamcunq; partẽ trahitur, nec satis consilio aut judicio valet; non aliter ei quicquam proponi voluit, quàm si Senatus decreto dignũ, de quo suffragia inirentur, comprobatum fuisset, *Plutarch. in vita Solonis.* Deniq; nulla constitutio aut lex principalis, qua Civitatum suffragium comprobari potest, extare videtur. Nam quod Bullam nostram *in fin. pr.* attinet, eâ quidem præsentia, sed non suffragium adstruitur, quod Civitatib. non patrocinatur, utpote queis diversæ sententiæ autores non solùm interesse Comitiis, sed etiam consiliũ suum reliquis Statibus impertiri licere concedunt. Verùm alii & illi quidem Status Germanici peritiores Civitatibus jus suffragandi quoq; tribuunt, quorum opinio hisce & similibus stabiliri potest: Quia Status Imperii sunt, *Andr. Gail. 2. obs. 57. n. 7. & 6. 6. n. 11. de pac. publ. Rutg. Ruland. lib. 5. c. 4. n. 41. de commiss.* ubi dicit: quod iis competant regalia & jura Principum & Imperio non minus incorporatæ sint, quàm ipsi Principes, Prælati & Comites, nec non Cameræ & Imperatori immediatè contribuunt, & consequenter jus votandi habent, quia Status sessuræ & dictionis sententiæ communicatione actuali definitur *Knich. ver: Ducum c. 2. n. 1. de Saxon. provoc. jure & invelitat. Apolog. num 127. Paurmeist. lib. 1. de jurisdict. cap. 6. num. 4.* quod colligunt ex *Gail. cap. 6. num. 25. de Arest. Imp.* Deinde, si jura Principum liberæ & Imperiales Civitates habent, quod jam dictum est, & latiùs ex *Gail. d. obs. 57. nu. 7. Warem. ab Erenb. lib. 2. n. 35. & seqq. de fæder.* colligi potest, utiq; si Principes in Comitiis jus suffragandi habent, & Civitates quoq;, quia in æquiparatis idem jus observatur, habebunt. De Principibus nullus dubitat, nempe post septem Electores (ait *Onuph. Panvin. c. ult. de Comitiis*) ex veteribus Imperii Principibus, quo Comitiorum jus de eligendo scilicet Imperatore amissum, æquiore animo ferrent, in cæteris negotiis Imperii transigendis admissi sunt. Probari insuper hæc opinio potest multis decretorum Comitialium locis, quorum in principiis hæc vel similia reperiuntur verba: Haben wir uns mit Churfürsten / Fürsten vnnd gemeinen Ständen / auch der abwesen-

dens

...n Rähten vnd Gesandten / vnd sie mit vns sich vergliechen ꝛc. Ecce, ...nperator non solùm cum Electoribus & Principibus, sed etiam ...tatibus aliis, hoc est, Civitatibus (nam Principum appellatio... & Comites & Barones in Statuum distributione veniunt, ...aurmeist. lib. 2. cap. 2. num. 22. de jurisdict. Pruckman. cap. 2. ...um. 3. de regal.) & illi vicissim cum Imperatore habita delibe...ratione in unum conveniunt, quod sanè necessum non foret, si ...is suffragii Civitatibus non competeret. Nam cujus in nego...o assensu non egeo, ut cum eo conveniam vel transigam, nulla ...e cogit necessitas; quin imò cum *Ulpian. test. in l. 1. §. 3. ff. de ...act.* illi demum, qui ex diversis motibus in unum consentiunt, ...d est, in unam sententiam decurrunt, convenire dicantur, Res ...ipsa cogit nos fateri, siquidem conventionem inter Status & Im...peratorem admittimus, ut civitatibus jus suffragandi (qui enim ...liàs diversos animorum motus in unum conferrent?) largia...tur. Et quod pro 4. notari potest, in quàm plurimis decretis ...mperii hæc vel similia *cir. fin* apponi solent verba: Vnd wir Chur...fürsten / Fürsten / Prælaten / Graffen vnd Herren / vnd des H. Reichs ...freye vnd Reichsstädte / Gesandten / Botschafften vnd Gewaltshaber / ...ernach benandt / bekennen öffentlichen mit diesem Abschied / daß alle ...nd jede Puncten vnd Artickel mit vnserm guten Wissen / Willen vnd ...Rath vorgenommen vnd beschlossen seyn ꝛc. Quo quidem quid ...larius & ad rei propositæ comprobationem dilucidiùs proponi ...ossit, non video. Si enim Statuum, inter quos etiam nomina...tim referuntur civitates, scientiâ, voluntate & consilio, Mit ...utem Wissen / Willen vnnd Rath alle vnnd jede Artickel nicht allein ...flegen vorgenommen / sondern auch beschlossen zu werden. Ecquis ...nquum jus votandi Civitatibus denegaverit? Nam si solum ea...um consilium requiritur, velle & consensu opus non erit, quia, ...iti est *Bartoli* doctrina, in *l. in honor. ff. de administr. tutel.* qui ...alicujus consilium requirit, debet ei credere, non tamen ejus ...consilium sequi tenetur, unde vulgò dici solet, Consilium non ...necessitat. At velle & consensu Civitatum, ut decretum Comitiale ...concludatur, opus est, quod sanè quid ultra consilium importare in ...confesso est, prodiitq; nuper tractatus hoc titulo: Außführlicher Be...richt / wie es auff Reichstägen pfleget gehalten zu werdē ꝛc. in quo claris

C 2 verbis

verbis fol. 18. ita scribitur: Der dritte Ordinari Reichsrath ist der Frey vñ Reichsstädte Gesandte vñ Botschafften/welcher auch abgesondert in einer andern Rathsstuben gehalten wird/dariñen sind zwo Bäncke/ die Reinische/ darunter Cöln vnd Aach die fürnemsten seyn / die andern die Schwäbische/als Regenspurg/ Vlm/Nürnberg/Augspurg/inmassen denn auch die Städte im Außschiessen alle mehr nicht als zwey vota haben / aber in jhrem Rahte votiret ein jeder vor sich selbst ꝛc. Et si Civitates votum non habent, cur ad Imperii Comitia vocantur? cur in ipsis Comitiis in communi conclavi relinquuntur? cum extranei & peregrini exire teneantur & jubeantur: cur Imperatorum propositiones audiunt, si de iis suffragium ferre non possunt? Cur Electores & Principes ante omnia suas sententias Civitatibus aperiunt, cùm eas rectâ Imperatori, si civitatibus consilii saltem non suffragii jus esset, referre possent? Cur Civitatum Legati cum Imperatorum, Electorum & Principum Legatis ad exteros Reges vel Principes in causis gravissimis mittuntur? non scilicet alium ob finem, quàm ut constet, non duo in Comitiis, scilicet Electorum & Principum, sed tertium quoq; nempe Civitatum consilium esse. Et hanc quoq; sententiam tuentur *Knich. d. l. Paurm. lib. 2. c. 2. nu. 23. de jurisd. Obrecht. d. c. 6. nu. 79. Rutger. d. l. nu. 41.* quam non infringunt ea, quæ pro contraria disputata sunt. Nam quod 1. oppositũ fuit, Civitates privatorum loco censeri, ad statum Imperii præsentis vitiosè profertur: nam ut *Petr. Heig. q. 23. n. 30. lib. 1.* verbis utar; ubi post divisum Romanum Imperium Caroli M. auspiciis pax Italiæ & cæteris Occidentalibus gentibus reddita est, ibi, ut aliarum rerum omnium, ita jurisdictionis quoq; nova facies apparuit. Etenim quæ anteà in nullius patrimonio & commercio erat, privatorũ nec tantùm civitatũ esse cœpit &c. Et quæ antè Carolum solius Imperatoris erant, statu Imperii mutato non ad Principes solos, exemplo sint regalia, sed etiam ad civitates devenerunt liberas, quæ & ideò liberæ dicuntur, quod certo & definito censu (verba sunt *Frid. Guicciard. lib. 7. hist. Ital.*) Imperii autoritatem agnoscant, in reliquis omnibus suis legibus non Imperio suo augendo, sed propriæ libertati conservandæ operam dantes vivunt, ideoque ipsis Principibus assimilari solent. Ineptè itaq; ad privatorum conditionem ablegantur. Quod si quoq; Civitates removere ex eo Co-
mitiis:

itiis fas fuerit, quia Majestatis communicatio, siquidem jus suf-
agii in Comitiis illis tribuamus, instituēretur: non solùm hoc ar-
mento civitatum, sed & Electorum & Principum Consilium
dubium vocabimus. Nam cum Majestas indivisibilis sit, nec il-
communicari poterit. Verùm cum Majestati nihil detrahatur,
amsi Electores & Principes in partem solicitudinis eorum, quæ
avioris momenti sunt, vocentur; sicuti id exemplo veterum
peratorum Romanorum videre est, qui etsi summam & abso-
tam habuerint potestatem. *l. 1. ff. de const. Princ.* non tamen si-
consensu & consilio Senatus ea, quæ ponderis alicujus videban-
, expediebant *l. human. C. de leg. l. cum hic status ff. de donat. int.*
. & ux. Bris. lib. 1. antiq. cap. 16. Non omnia Augustus, ait *Dion*
. lib. 53. hist. Rom. proprio consilio egit, sed multa publicè deli-
anda proposuit, ut si quid aliis displiceret, id corrigere posset;
nes verò adhortatus est, ut suum sibi consilium aperirent, si
id rectiùs invenirent, libertatem omnem eis concedens, eorúq;
tus sententiis quædam retractavit &c. Similiter nec Majestati
icquam officiet, etiamsi in partem Consiliorum Civitates vocen-
, quod Platonis judicio congruit, qui voluit, ut Senatus proba-
imorum hominum, sit Collega Regis, quasi quædam Respubli-
Optimatum, *Simanca lib. 6. de Rep. c. 1.* Tertia objectio per In-
sionem sententiæ nostræ non leviter assistit. Cum enim lex na-
æ dictitet, commoda eum sequi, qui incommoda sustinet, debe-
; inconfesso autem sit onera Imperii tàm ad Civitates, quàm ad
os status pertinere. Concedamus ergò & commodis, quæ in ju-
suffragandi sunt, easdem gaudere, ut omittamus, commune ubi
iculum est, ibi communia consilia exquirenda esse, *l. 4. C. d. au-*
præstan. Et quod omnes tangit, ab omnibus probandum vel im-
bandum esse. Quod deniq; Bullam nostram attinet, dicimus eâ
n spernendum nostræ opinioni affulgere præsidium: asserit
m Imperator, se Bullam hanc maturâ deliberatione prævia &
tuta promulgasse; cum quibus si quæsieris, respondebit pro
Carolus, assidentibus nobis omnibus Principibus, Electoribus,
clesiasticis & Secularibus ac aliorum Principum, Comitum, Ba-
num, Procerum, Nobilium & Civitatum multitudine numero-
Ecce ut Electores, ut Principes, sic & Civitates deliberatione

 inter-

interfuerunt, utiq; illi cum jure suffragii, ergò & civitates, quia determinatio una sub eadem oratione plura determinata respiciens, ea æqualiter determinat, *arg. L. cum hoc jure ff. de vulg. & pupil. substit. l. quamvis. C. de impub. & aliis substit. Tiber. Decian. cons. 1. num. 232. vol. 1.*

IX.
Quo loco promulgata hæc Bulla?

Quamvis in pr. hujus Bullæ dicatur, quòd in solenni Curia seu Comitiis Norinbergæ edita sit, adeoq; cum hac opinione Præstantissimi JCti *Petr. Heig. lib. 1. q. 4. n. 10. Cothman. cons. 44. n. 11.* & probatæ fidei Historici transeant, *Thuan. lib. 2. histor. Bucholz. in ind. Chron. Anno 1356. Crus. lib. 5. p. 3. c. 5. Annal. Suev.* Existimat tamen *Peuc. lib. 5. Chron. in Carolo IV.* Metis eam promulgatam esse, reversus in Germaniam (ait) conventum egit Principum celeberrimũ & frequentissimũ in urbe Metensi, in qua re sapienter & multum deliberata ac disputata cum præcipuis Ordinib. Imperii, conjunctis in unum atq; digestis in ordinem institutis ac moribus antiquis ac recentibus ad Imperii decus & Majestatem pertinentibus condidit legem Carolinam, Aureæ Bullæ nomine notam ac celebrem &c. Cujus opinioni suffragari videtur Bulla Sigismundi Imperatoris, quæ extat apud *Goldast. tom. 1. pag. 166. c. 1. in verb.* In dem Gesetz seiner Keyserlichen gülden Bull vorzeiten zu Metz gemacht. Suffragari itidem videtur illud, quod legitur *c. 24. hujus Bullæ*: Infra scriptæ leges, habet textus, promulgatæ sunt in Curia Metensi. Sed si per temporum distinctiones processerimus, non uno sed duobus in locis constitutiones hujus Bullæ emanasse apparebit. Error priorum, ut & *Peuceri* ex eo ortus videtur, quod non satis attenderint ad verba *d. c. 24.* quæ ut satis disertè infra scriptas & seqq. post *d. c. 24.* constitutiones Metis promulgatas esse innuunt, ita priores Norinbergæ juxta pr. Bullæ editas, Peucerus advertere debuit. Quod ipsum quoq; clarissimè ex verbis *c. 12. hujus Bullæ* apparet: Hinc est, ait Imperator, quod in solenni Curia in Nürnberg celebrata &c. Et cum ibidem ad annum sequentem in civitate Metensi Curiæ seu Comitiorum celebrationem remittat, non dubium est, illas, quæ à cap. 24. sequuntur, prioribus adjectas esse,

atq;

tq; ita ex diversis Constitutionibus sub aureæ Bullæ nomine hæc sanctio pragmatica Anno 1356. emanavit, *Bucholtz. d. loco.*

CAPUT PRIMUM.

X.

Quid Capite primo tractatur?

Tria complexus est hoc capite Imperator, Nam à principio usq; *ad §. 18.* de salvo conductu Electoribus, aut eorum nunciis præstando agit, *à. §. 18.* usq; ad *§. 22.* quando, & per quem Electores ad electionem novi Imperatoris vocari debeant, pertractat, & tertiò *in* §. *22.* quid Francofurtenses tempore Electionis agere debeant, explicat.

XI.

Quomodo salvus conductus Electoribus præstari debet?

Cum Carolus intelligeret ad curam Majestatis Imper. pertinere, ut pacatæ & tutæ sint Imperii regiones *l. 3. in fin. l. congruit ff. de off. præsid.* referunt namq; nostri ad jus Majestatis Imperium liberum & pacatum conservare *Alth. c. 7. v. tert. jus in Polit. Warem. ab Erenb. c. 5. n. 37. de regn. subsid.* ideò quod Impp. veteres hanc curam sibi, certos scilicet viis publicis curatores attribuendo, reservarint, *Sixtin. c. 4. n. 11. de regal.* cujusmodi curatorem Generum suum Agrippā Augustus esse voluit, *teste Sueton. in ejus vita.* Et rectè. Spectat enim viarum commodum ad Principem, quod in vectigalib. consistit *Knich. ver. Ducum c. 5. n. 165. d. Saxon. non prov. jure*, quare & tutas eas conservare debet, ut laudabiliter dixerit Philippus Hassiæ Landgravius: Man soll einen Fürsten kennen bey seiner Strasse/guter Müntze/ vnd haltung geschehener Zusage. *Warem. ab Erenb. c. 5. n. 36. de regn. subsid. c. 5. n. 37.* Quo nomine utiq; deprædicandus est Hermannus, qui postea Ottonis M. beneficio totius Saxoniæ Dux primus factus est, mediocri loco inter Saxones natus, septem tantummodo sub se Colonos habuit; qui cum apud ipsum deferrentur, quod prædam in vicinos egissent, omnes in crucem acti sunt, *ut refert Holsat. Chron.* Et Carolus noster non solùm contra prædones & viarum infestatores hanc salutis omnium

in Bo-

in Boemiæ regno iniit rationem, ut illud in duodecim regiones diviserit, singulisq; idoneos viros præfecerit, inter alia illis permissa potestate inquirendi & puniendi quoslibet latrones, ipse adeò illis infestus, ut sæpius de via ad receptacula illorum deflecteret, nec nisi loco expugnato ad solumq; diruto, ipsis verò raptoribus tùm Nobilibus tùm Ignobilibus in sublime suspensis, inde abiret. *Dubrav.lib. 22 hist. Bohem.* Verùm etiam in Imperio & præsertim tempore eo, quo necessitas Regis Romanorum in Imperatorem promovendi emerserit, & Principes Electores ad electionem abire contigerit, sapienti consilio viarum securitati prospiciens cavit, ut illi, per quorum ditiones & terras Electores aut eorum nuncii transire cogantur, eos contra omnem injuriam tueantur & ad locum destinatum perducant.

XII.

Decernimus, inquit, ut quoriescunq; & quandocunq; futuris temporibus necessitas sive casus electionis emerserit; puta si vel moriatur Imperator *§.19. hoc cap.* vel deponatur, quod accidit Adolpho Nassoviensi, *Cuspin. in ejus vita*, & Wenceslao, *Onuph. Panvin. de Comit. Imperat. cap. quibus Imperium abrogatum est*, aut etiam religionem ingrediatur, quod exemplo Anastasii II. Theodosii III. Isaci Commeni fecerunt Lotharius I. & Carolus V. Germanici Impp. *Thuan. lib.6.Hist.* Tunc quidē Elector requisitus quoslibet Principes Coëlectores suos vel ipsorum nuncios sub pœnâ perjurii & perditionis suæ vocis pro illâ duntaxat vice, alius verò Princeps, Comes, Baro, miles, nobilis aut ignobilis, cives & quicunq; Romano Imperio subditi sunt, eosdem conductum ab iis exigentes per territoria & ditiones suas sub pœna perjurii, privationis omnium feudorum, possessionum, libertatum, gratiarum & privilegiorum ab Imperio obtentorum conducere tenentur. *§.1.2.3.* Nam cum conductum denegantes contra Rempubl. statum ac dignitatem Imperii impediendo scil. electionem, & quasi honorem proprium, quo ut subjectus Imperio dignitatem quisque & commoditatem ejus promovere tenetur, imò salutem suam, quæ in tuto sine certo rectore esse nequeat, agant, adeoq; hoc modo, non ut in cæteris maleficiis ad singulos aut ad paucos, verbis utor

autoris

autoris ad Herennium lib. 4. ex alieno peccato injuria perveniat, sed hujus sceleris, qui sunt affines, uno consilio universis civibus atrocissimas calamitates machinentur, non immeritò tantæ rei neglectores, tanquam rebelles, inobedientes, & perfidi pœnis an- etactis affici debent.

XIII.

Queîs & omnium civitatum cives, & communia constrin- it, quæ Electoribus, aut eorum Nunciis communi & solito pretio d victum necessaria vendere renuunt §. *3.* extenditq; easdem pœ- as ad omnes Principes, & alios, qui vel insidias struere aut Electo- um vel Nunciorum personis, aut rebus damnum, etsi conductum on exegerint, dare præsumserint §.*4.* Sunt enim Legati Imperii, ui gentium jure securitate gaudent *l. ult. ff. de legation.* ita ut eos- em lædentes ruptores fœderis humani violatoresq; gentium juris cantur, *Livio lib.4.* Et cum Electionis causa publica sit, ei meritò ivatæ subditorum inimicitiæ cedere debent, quapropter mandat, etiam eo in casu non obstantibus inimicitiis Elector Electorem l ejusdem nuncios salvo conductu deducere, sub pœna perjurii perditionis suffragii & voti istâ vice; *§. 5.* Princeps verò vel Co- es vel alius, quibus cum Electorum aliquo minus benè conve- :, itidem eundem sub pœnis supra enumeratis conducere te- bitur. *§. 6.*

XIV.

Ut verò salvi conductus cautio firmior sit, quæ aliàs fragilis hiberi solet. *Menoch. consf. 100. nu. 185. lib. 1.* præsertim inter mi- ites viros, qui suum habent interpretationis genus in explen- fide, quæ nullis codicibus legitur, ait *Crantz. lib. 11. cap. 28. in- ton.* & non rarò aliud agentes aliud simulantes, exemplo eo- n Comitum (de quibus *Crantz. d. loco.*) se corrumpi patiuntur, nomine Ausonius Theonem suum Epistola 4. insectatur:

An majora gerens totâ regione vagantes
Persequeris fures? qui te postrema timentes
In partem prædamq; vocent, tu mitis & osor

D *Sangui-*

Sanguinis humani condonas crimina nummis,
Erroremq; vocas, pretiumq; imponis abactis
Bobus, & in partem scelerum de judice transis.

Ideò Imperator vult eam non solùm literis, sed & juramento, quo, *ut Cic. 3. in off.* ait, nullum vinculum ad astringendam fidem arctius est, confirmari, & contra detrectantem pœnas pro personarum qualitate ante dictas statuit *§. 7.*

XV.

Quod si verò Elector vel Princeps, Comes, Baro, Nobilis, qui nondum de Electoratu, Principatu, Comitatu, Baronatu, aut feudo investitus est, Constitutionem hanc de salvo conductu implere noluerit, aut ei contravenire præsumserit: & quidem si Elector sit, consortio Electorum exclusus, voce, loco & jure Electionis carere, nec de Electoratu aut feudis Imperii investiri debet: Si verò alius Princeps, aut vir Nobilis sit, similiter nec de feudis investiri, quæ à sacro Imperio vel alio ei subjecto expetit, pœnis quoq; personam concernentibus durantibus poterit §. *8.*

XVI.

Et quamvis omnes requisiti salvum conductum Electoribus, aut eorum Nunciis modo præmisso exhibere cogantur, tamen pro locorum & regionum adjacentiâ cuilibet Electorum magis aptos designat §. *9.* Ut Regi Bohemiæ suos *§. 10.* Archiepiscopo Coloniensi itidem suos §. *11.* Treverensi suos §. *12.* Comiti palatino Rheni suos §. *13.* Duci Saxoniæ suos §. *14.* Marchioni Brandenburgensi similiter assignat suos, qui eum conducere tenentur *§.* 15. Quod si verò Elector salvum conductum per ditiones aut territoria cujusquam expetat, tempestivè, & per quam viam transire velit, significare debet, ut is, cujus conductus petitur, ad eum se præparare, & componere valeat §. *16.* Et non solùm illi, qui in contextu nominantur, verùm omnes qui conductus gratia requiruntur, Electores vel eorum nuncios per terras & ditiones conducent suas, quanto possunt longius §. *17.*

Quo-

uo quidem in casu si forsan vicinus conducentem progredi ve-
t, ne Elector conducendus molestetur, cautela est, si convenire
ter se nequeant conducentes, ut Elector in prima cohorte suos
ittat Equites, postmodum subsequantur concertatores, sic enim
utri actus praejudicabit. *Knich. ver. Ducum c. 5. num. 104. de*
xon. jure non provocando.

XVII.

Quotuplex est salvus conductus?

Quanquam in textu nostro de eo saltem conductu agatur, ui Electoribus aut eorum Nunciis ad Electionem novi Impera- ris euntibus cum Comitatu praestari debet, quo in significatu o Superioritatis symbolo accipitur. *Knich. ver. Ducum cap. 5. um. 102. de Saxon. non &c.* Attamen non infrequenter pro ea curitate quoque accipitur, quae homicidis vel aliis conceditur, defensionem suam vel innocentiam praetensam deducere pos- nt. *Knich. d. loco num. 101. Farin. lib. 1. quaest. 29. tit. 4. num. 620. praEtica crim. Petrus Brehm. q. 2. de securit. promissa.* Simi- r & non rarò pro assecuratione nomine Principis concessâ m merces, quàm mercatores, aut alias personas concernen- s, quae tempore mercatuum nomina sua profitentur, persol- untq; eo nomine hactenus solitum, unde per territorium de- ucuntur. *Knich. d. loco num. 38.* cujusmodi securitatem omni- us per Imperium peregrinantibus praestari, vult Carolus V. om. Anni 1548. vers. Ferner zu noch mehrer etc. Et sanè pe- re perquam *utile* erit. Nam depraedatus damni emendatio- em jure postulat *Gail. lib. 2. obs. 64.* Atqui forsan dices, pe- itio salvi conductus eo in casu cum de crimine inculpatis con- editur, supervacanea est. Nam petens vel innocens est, & pro o legis & Imperii praesidium, quod securitatem omnibus tri- uit, militat, *l. jubemus 4. v. sed & C. de praepos. sacri cubic.* vel ocens est & frustra improbat auxilium Magistratus, contra quem eliquit, *l. auxilium in fin. de minor.* nec crimina delinquentibus

 parce-

parcere convenit, ait Justin. Sed hoc patientibus, ut non talia &c. præsumtoribus patiantur *c. neq; autē Novell. 17.* Verum quia salvus conductus hunc ob finem ab accusatis peti, iisq; prævia tamen cautione dari solet, *Coler. p. 2. c. 3. num. 90. de process. execut.* ut metu carceris liberati commodius defensionis & innocentiæ prætensæ telam pertexere possint, inspectio illa an nocens vel innocens sit, conductum tardare non debet, sed ad litis finem, qui prout sese ostenderit, reum excipiet, rejici debet. Atq; hoc etiam juri Saxon. congruit *Coler. decis. 165.*

XVIII.

Quisnam salvum conductum accusatis concedere potest?

Et sunt plurimi qui id ad solum Principem spectare credant, moventur textu *l. relegati in fin. ff. de pœn.* ubi dicitur, quod nemo potest commeatum remeatumvè dare exuli nisi Imper. ex aliqua causa, Non ergo id potest inferior. *Blancus §. ignorantia num. 189. in pract. crim.* etiamsi juramento salvus conductus firmatus sit, *citati à Farinac. d. q. 29. num. 80. t. 4. lib. 1. in pract. crim.* Nam cum teste *Boëtio lib. 4. de Philosoph. consolat. prosa 2.* Duo sint, quibus omnis humanorum actuum constet effectus, voluntas scilicet ac potestas, quare si alterutrum desit, nihil est quod explicari queat: Deficiente enim voluntate, ne aggreditur quidem quicquam, quod non vult, ac si potestas absit, voluntas frustra fit. Quapropter cum in casu nostro potestate ea, quâ salvus conductus concedi solet, inferior destituatur, frustra voluntas ejusdem interveniet. Addunt insuper, eum, qui salvum conductum habentem offendit, crimen læsæ majestatis incurrere *l. 1. ib. vel adversus ejus sententiam ff. ad l. Jul. majest.* quod sanè vel omnium confessione adversus solum Principem committitur *d. l. 1. §. publica Instit. de pub. jud.* Verum horum opinio experientia quotidianâ, quæ vel Stultorum magistra esse solet, satis superq; refellitur. Videmus enim totâ die etiam Principp. recognoscentes Cæsarem, immò Comites, Barones, Civitates & Nobi-

obiles merum imperium habentes, salvum conductum concede-
. Quod rationem habere videtur: Nam cum *sententiam illi* in cri-
minibus ferre omnes possunt, ad eam verò nisi accusatus auditus
perveniri nequeat, audiri verò is non aliter quàm judicio præ-
ns sit, soleat, *l. pen* §. *1. de publ. jud. J. Clar.* §. *f. q.32.* comparere
rò in loco non tuto haud cogatur, *cap. accedens 4.* §. *mandamus.*
tr. ut lite non contest aut salvum conductum concedere ipsi fas
it, aut judiciorum tela impediretur. Nam cum Cæsar omnibus
cis adesse nequeat *l.7. C de profess.& medic.* si eum pro salvo con-
ctu reus solicitare cogeretur, judicium interea sileret, quod di-
ndum non est, per *not. Sichard. cons. crim. 5. num. 12.* Atq; hanc
ntentiam habet *Tib. Decian. cons. 96. nu.1. vol.3. Farin. d.q. 29. nu.*
& seqq. P. Brehm. q.1. de securit. promiss. Nec obsta t verba *d.l.*
egati. Quia non loquuntur de salvo conductu, sed remissione
indulgentiâ criminis, quam solus Imperat ex ll. & jure
stro potest. *Farin. lib. 1. t.1. q.6. nu. 1. & s* *crim. Heig.*
2. qq.22.num. 21 & seqq. quanquam & hac in re m s suam
potestatem leges redegerint: illis enim eò deventum vi mus, ut
mitibus, Baronibus & liberis Civitatibus post sententiam deli-
rum quoq; veniam concedere fas esse. *Osascus q. 66. num. 39. P.*
hm. d. q. 1. de securit. promiss. ex Constitutione provinciali no-
rum Principum absq; consensu Principali id nulli subditorum
mittitur *t. 6.* Non obstat quoq; alterum argumentum, quod de
nine læsæ Majestatis *ex d. l. 1. ad l. Jul. Majest.* allatum fuit,
mvis me non lateat, aliter *Budæum & Duarenum lib. 2. Disp.*
vocabulum *Securitatem, in d. l. 1.* ac vulgò solet, nempe pro
quillitate & pace interpretari: Attamen licet communis intel-
us retineatur, nihil sententiæ nostræ adversatur, siquidem eum
m in violatore securitatis à Cæsare concessæ admittimus. Nam
ferior securitatem concesserit, quia nullam is Majestatem ha-
delinquens pro arbitrio judicis mitiore pœna plecti debet. *Fa-*
c. d. q. 29. nu.14. Coler. p.4. c.1. nu.229. de process. executiv. quod
m in facti contingentia non attenta rigorosa juris Saxon. dis-
tione, quæ extat Landr *lib. 2. art. 13.* §. die einen Mann schlagen.
jusdem sententia hisce in terris pronunciaremus per *not. Guid.*
decis. 418. num. 1. Farin. d.q. 29. num.17.

XIX.

An salvus conductus alicui concessus ad locum judicii, etiam ad intermedia loca, per quæ ipsi eundum est, extendi debet?

Et pro negantium sententia argumenta hæc militant. 1. Salvus conductus est quædam per modum gratiæ dispensatio, quia interim dum conceditur, fovet delictum. *Sichard. cons. crim. 5. n. 24.* Dispensationes autem, utpotè odiosæ, sunt restringendæ, *c. 1. de fil. Presbyt. in 6. c. odia de R. J. in 6.* Quapropter licet ad locum judicii concessus sit salvus conductus, quia tamen intermedia loca expressa non sunt, aut etiam eo in casu, ubi ad concedentem ea haud pertinent, exprimi non potuerunt, & ideò ad illa securitas data extendi non potest. 2. Deinde limitata causa limitatum producere debet effectum, *arg. l. in agris de A. R. D.* & extra territorium nullum jubendi jus est. *l. extra territorium ff. de Jurisdict.* Ergò cum concedens limitatam habeat jurisdictionem, extra quam jussus ejus sese extendere nequeat, certè nec securitas tanquam effectus, hunc n. procreat jurisdictionis robur, ulterius sese exerere poterit. 3. Et si ad loca intermedia securitatē extendere volumus, vel ponendū, quod ea sint superioris, ut si Nobilis securitatē ad pagum certum, ubi solet judicium exercere, concedat, reus a. necesse habeat per Principis ditionem ire, certè, quia inferior in superiorem nullam potestatem habet, *c. cum inferior. extr. de majorit. & obed.* vel ponendum erit, quod cōcedens æqualis sit ei, per cujus territoriū reus ire cogitur, & quia nec æqualis in æqualem imperiū habet, *l. 4. & 5. ff. de recept. arbitr.* sanè vix est, ut salvus cōductus, etsi generaliter loquatur, extendi ad loca intermedia possit. Et tamen pro affirmativa sequentia stare videntur. 1. Quia securitatis promissio est bonæ fidei, & verba salvi conductus sunt verba fidei datæ, sapiuntq; naturam pacti *P. Brehm. q. 6. de securit. promiss.* Bonæ fidei a. congruere videtur, & de natura pacti est, ut id quod promissū est, præstetur, *l. 1. ff. de pact.* Promissa v. securitas est generaliter sine ullius loci expressione aut exemtione, vulgaris n. hæc est formula: Wir geben dir zu Ausführung deiner Unschuld ein Gleit zu recht vnd vnrechter Gewalt. *Coler. d. c. 1. p. 4. n. 247. de process. execut.* & ideò generaliter exaudienda & ad inter-

ermedia loca extentenda erit. Est insuper non ignotũ, quod re-
onsio petitioni conformis censeri debet. *l. si fine 9. §. interrogatus
de interr. injur. fac.* Reus v. generaliter petivit salvum conductũ
loca omnia. Conformis itaq; & cōcessio, quæ instar responsio-
est, dici, & generaliter ad loca quævis extendi debet: vel maxi-
cum ll. cautum sit, concesso consequente etiam necessarium
ecedens concessũ reputari *l. 2. ff. de jurisdict.* Cum ergò conces-
it securitas ad locum judicii, utiq; & eadem ad loca intermedia,
quæ necessariò eundũ est, data dici debet. *Otto Meland. ad pro-
Noe Meiers p. 1. n. 54.* Potestq; colligi argumentũ ex verbis *Bal-*
qui sic loquitur *in cons. 414. lib. 5.* In istis securitatibus, ait, consi-
andum esse formã verborum, & nihilominus bonam fidem, &
ntem tàm promittentis quàm recipientis; qui videntur idem
tire, quod homines prudentes & viri boni sentiunt. Quis verò
quam vir prudens committeret se securitati tali, quæ, quod no-
n sonat, non plenè sed certis in locis saltem præstaret? Nullus
è nisi vitæ & salutis prodigus; nec judex ut vir bonus, *l. conti-
s. §. ita. ff. de V. O.* quenquam sub fide & autoritate sua decipi
ietur. *l. 1. C. de his qui ven. ætat. impet. l. Barbarius. ff. de off. præto-
s.* Existimo itaq; pro concordia utriusq; opinionis sic distingui
a incommodè posse, vel judex citans & securitatẽ præstans in-
mediorũ locorũ dominus est, & haud dubiè ad ea securitas ex-
di debet, vel dominus non est, & hoc casu, si in locis intermediis
m detineri propter defectũ jurisdictionis procuraret, quia id in
adẽ præstitæ securitatis fieret, à viri boni a. officio; fide & aucto-
te sua periculũ alicui creare, alienũ esse debeat utiq; id ei con-
endũ non erit, & tamen, quia defectus jurisdictionis sese osten-
nec concedens quicquam superiori vel etiam pari præjudicare
sit, *Celsus Bargalius lib. 1. c. 6. n. 23. & seq. de dolo.* Ideò ut securitate
nâ reus gaudere possit, rectius fecerit, si conductũ ejus quoq; per
us territoriũ ad locũ tribunalis ipsi veniendũ est, petierit *Coler.
4 c. 1. n. 213. & seq. de process. execut.* Atq; hac distinctione benè
ntâ facilis superiorum argumentorum erit concordia. Nam
pro negativa sententia prolata sunt, suam recipiunt interpre-
onem, & præsertim secundum & tertium ex posteriore mem-
distinctionis nostræ: primum verò, quo salvum conductum
ctè interpretandum esse innuebatur, corruit ex eo, quod
imò

imò bonæ fidei eum esse diximus, & ex fide bona explicandum. *Menoch. cas. 336. n. 17. de arbitr. jud. qq.* & argumentis affirmativæ adsistentibus prius distinctionis membrum fulcitur.

XX.

An salvus conductus concessus ad eundum, redeundi quoq; facultatem contineat?

Et quidem si de conducto eo, qui Electoribus aut eorum Nunciis præstari debet, quæratur, id haud dubiè affirmandum erit *§. 3. & 6. hujus c. 1.* Verùm quia in conductu Reis impertiri solito non una omnium est sententia, ideò de eis paucis dispiciendum erit. Stephanus Rex Poloniæ monitu Turcici Imperatoris fide datâ ad se Potkovan militum Ducem inusitatæ fortitudinis evocaverat, qui cum se Regi sisteret, à Legato Turcico incusatus, quod damna contra fœderis pacta Turcis intulisset plurima, capitis damnatus fuit. Cumq; nonnulli fidem datam obtenderent, Rex quidem id negare non potuit, verùm eam recipere hanc interpretationem volebat, quatenus vocatus non malam foveret causam, quæ cũ in Potkova ex eo, quod contra fœderis pacta egisset, satis effulgeret, non utiq; ut veniendi, ita & redeundi facultatem ei concedi posse, *Laurent. Müll. in Histor. sua Septentrional.* Hoc nimirum illud est, quod supra ex *Crantzii lib. 11. c. 28. in Saxon.* attulimus: *Militares viri*, ait, *suum habent interpretationis genus in explenda fide, quæ nullis Codicibus legitur.* Fac enim Potkovam contra fœderis pacta egisse, & per hoc regni Polonici hostem fuisse, an propterea fides data tàm ancipiti interpretationis modo circumscribi debuit. Cumq; Philippus Landgravius Hassiæ fide datâ ad Carolum V. Halam venisset & in captivitatẽ ire jussus esset, ortum certamen inter Cæsarem & intercessores duos, ut cui pax publica ad conveniendum concessa esset, eam ipsam eodem jure gentium ad discedendum negari non debere, ait *Lambert. Hortens. lib. 7. de bell. germ.* Sanè in fidei aut securitatis promissione non solùm quid concedens, verùm etiam quid recipiens vero similiter cogitavit inspiciendum esse, monet *Bald. cons. 414. vol. 5. Menoch. cas. 336. nu. 15. de arbitr. jud. qq.* Ponendum verò recipientem de reditu omninò cogitasse, quia utique venire

nire etiam fine ulla securitatis promissione potuisset, & ideò ut
uritas data aliquem effectum habeat, omninò reditum implicet
cesse est, & captiosa ex eo satis apparet interpretatio, etiamsi ta-
læ securitatis in specie reditus insertus non fuisset; quia sufficit,
od in genere promissa sit securitas, quâ qui gaudere debet, ut tutò
dire possit, consectarium est; & ideò Fr. Sfortia, ne videretur à
rolo V. salvum conductum, ut in tuta redire posset, quod natura
is implicat, petiisse, Cæsarisq́ verbis sine tabulis non satis fidere,
conspectum admissus, nullam aliam cautionem, dixit, præsi-
imvè, quàm propriam innocentiam exoptare, idcircò liberè se
ei ab eo acceptæ renunciare, & hæc dicens ejus literas, quas ma-
tenebat, ante Cæsarem projecit, *Fr. Guicciard. lib. 19. Hist. Ital.*
ò cum in privatorum pactis iter eundi, jus quoq; redeundi con-
ieat, *l. utimur. ff. de sepulchro viol. l. si venditor ff. de relig. & sumpt.*
t. l. si mercedem. §. si eum fundum. ff. de actionib. emt. l. qui fun-
m §. 1. ff. de contrah. emt. Sanè in Regum & Principum promis-
nibus, in quibus exuberantior bona fides requiritur, hæc duo vel
ximè se invicem comitari debent, Unde Mauritius Elector Ca-
o V. subtiles quasdam interpretationes adversus Philippi Land-
vii liberationem nectenti: At ego, dixit, te tanquam Imperato-
n, non tanquam Legistam volo pactiones & fœdera interpretari
st Thuan. Gentil. 2. de Legation. 10. & habet securitatis promissio
nstar pacti, quia est duorum scil. concedentis & accipientis in
m placitum, *l. 1. ff. de pactis.* Ut ergò à pacto alterâ parte invitâ
edere fas non est, *l. sicut, C. de O & A.* Similiter nec concedenti
i à promissa securitate resilere licebit. Debent enim eadem
principia destructionis, quæ constitutionis; Turpe est, inquit
Isarius apud Procopium, tùm aliis omnibus, quibus vel minima
tus cordi est, tum inprimis Principi viro fidem fallere, & pacta
un Scripto sancita violare, ne abjectissimo homini decorum es-
rbitror. Quo nomine *Cuspinian.* Adolphum Nassoviensem inter
era Solio Imperiali dejectum scribit, quod fidem literis & sigil-
roboratam violare solitus fuit; Et Jacobus Barbatus Marchio
ndenburgensis, qui Wenceslao ignavo suffectus fuit, solâ barbâ
irum ostentabat, homo alioquin inutilis, & qui veritatem non
abat; promittens quæ neq; præstare poterat, neq; si posset, ser-

E vare

vare voluit, grandia intempestivè locutus, fidem & ore & literis promissam minimè servans. *Cuspin.in ejus vita.* Suppeditatq; miles, nescio quis veteranus, argumentum aliud, cui exigenti promissa à Sigismundo Imp. cum diceret Imperator: At immoderata petitio tua fuit; Respondit miles: Poteras negare cum peterem, nunc sine turpitudine, quod promissum est, rescindere non poteris. Tum Sigismundus: Si ex duob. alterum me ferre oportet, faciliùs rerum quàm famæ jacturam subibo. *Æn. Sylv. lib. 3. n. 3. com: ad Panorm. de dict. & fact. Alphons.* Quod si pro argumento in rei præsentis comprobationem assumserimus, rectè concedenti securitatẽ publ. regerimus; Poteras negare, cum ea peteretur, at promissam rescindere arbitrii tui non est, *Bursat. cons. 177, n. 41. vol. 2. Menoch. cas. 336. n. 33.* sed vel cum detrimento eam observare teneris. Quod confirmatur dicto *Decii in cons. 5. n. 3. in f.* cogitet, ait, inclytus Comes, quod dignitati suæ & honori multum conducat, ne sub fiducia literarum quis decipiatur; meruitq; non injuriâ Leo Pontifex X. hominum doctorum reprehensionem, quod tuto ac salvo conductu præcedente Joannem Paulum Bajonum Ducem strenuum ad se vocarit, & caput ei amputari jusserit, *Fr. Guicciard. lib. 13. Hist. Ital.* eiq; fidem salvi conductus violatã conquerenti respondit: securum iter veniendi, non a. revertendi se concessisse. *Matthaeacius de via & ratione juris lib. 1. c. 4. n. 21. & seq.* ubi subjicit. Sed Baldus consultus respondebat: tutum iter vel securitatem à Principe datam servari debere, nec verba calumnianda, sed omnia bonâ fide agenda, & varias affert formas, qualis etiam ea est, quæ per ora virûm passim circumfertur. Ibitis, redibitis, non capiemini, in qua solùm comma postpositum particulæ negativæ non eos captivos fore significat. *Bod. lib. 5. c. 6. de Republ. Menoch. cas. 336. n. 11. de arbitr. jud. qq. Rutger. Ruland. lib. 7. c. 8. n. 25. de commissar.*

XXI.

An Legatus in Principem, ad quem missus est, conjurans puniri possit?

Legati tacitâ gentium omnium conventione, salvo conductu & securitate gaudent *l. fin. de legation.* Legatorum jus, ait *Cic. 3. Verr.* humano divinoq; vallatũ præsidio est; cujus tàm sanctum & vene-

nerabile nomen esse debet, non modò ut intra sociorum jura, d etiam inter hostium tela incolume versetur. Quod an etiam m obtineat, cum adversus Principem, ad quem missus est, conjurationem ineat, nostris temporibus in Anglia ancipitem habuit bitationem. Nam cum Hispanus Legatus in defunctam nunc isabetham, cum Anglis quibusdam conjurasset, detectâ conjuratione res in utramq; partem agitata fuit. Et quidem pro affirmati videtur hoc, quod jam recitavimus, argumentum stare. Legatus ter hostium tela tutus esse debet: Tutus ergò & Hispanicus Legas inter Anglos esse debuit, quia per conjutationē jam hostes ipsi cti erant. Meritoq; Paulum IV. Pontif. *Thuan. lib. 17. Hist.* reprendit, quod Hispanicum Legatum ab Albano, quantumvis hoste Pontifici imminente, nulla jurisg. ratione habitâ, in carcerem njici jusserit. Nec laudare possum Francisci I. Galliar. Regis fam, qui ne id, quod Fecialis à Carolo V. Imperatore in mandatis bebat, audire cogeretur, ut adventare audivit, crucem pro Pala figi mandavit ac ei denunciari, certum sibi crucis exitium imminere, si mandata exposuisset. *Bodin. 5. de Republ. cap. ult*, id im fuit contra jus gentium. Deinde, personam sui Regis, id est, ispani, Legatus sustinebat. *Alb. Gentil. lib. 2. c. 18. Hispan. Advocanis.* Rex verò Hispaniæ judicari à Regina Angliæ non potuit, ia par in parem Imperium non habet, *l. 4. & 6. ff. de recept arbitr.* od argumentum Maria Scotiæ Regina huic nostræ opponebat, ia Regina erat, & dignitatis paritas Imperium æqualis non adittit, de qua actione videndus *Mich. Eyzinger in 2. pret. thesaur. incip.* & ultima conclusio fuit Conradi Sueviæ Principis, Nam m Carolus Andegavensis hunc bello captū mortis pœnâ damnarat, eiq; sententia legeretur, in Notarium invectus: Tunè imre Leno, ait, scelerate furcifer ausus es morti condemnare fim Regis, An nescis pari in parem Imperium jurisdictionemque n esse. *Nicol. Cisner. in orat. de Conradin Suev. ultimo Principe, uf. lib. 2. part. 3. cap. 19. Annal. Suev. Scipio Ammiratus lib 17. disc. polit. discursu 7.* Et haud dubiè Legato a Principe suo mandam fuit, ut res ipsius in Anglia, quantum posset, promoveret, arum utiq; successum mors Reginæ secum traxisset. Hoc unum ntendo, inquit *Fr. Le Faier. c. 6. de legatione.* impunè Legatis

licere sive per fas sive per nefas, quicquid sibi à Principe mandatum est, exequi ac perficere &c. Et Legatus Justiniani apud *Procop. lib. 1. de bello Goth.* Orator, air, qualiacunq; à Principe se delegante acceperit, profert; quæ si minus proba & recta videntur, non ipse propterea jure est incusandus, sed qui miserit fortè culpandus. Exemplo sint Legati Tarquinii, qui cum sub specie repetendorum supellectilium Romam missi erant, de reducendis Regibus contra Rempubl. cum nobiliss. adolescentibus conjurarunt, & quanquam videbantur commisisse, ait *Liv. lib. 2.* ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuit, & Aulus Posthumius Volscor. Legatos nullâ injuriâ affectos remisit, qui sub honestæ Legationis specie Romanas Legiones exploratum venerant, *Dion Halycarnass. lib. 6.* Satiusq; putatum omni tempore fuit, bis aut ter nocentem pœnis legitimis non constringere, quàm fidem publicam frangere, *argum. l. 1. Cod. de his qui veniam ætat. impetr. Pruckman. membr. 2. cap. 4. eff. 5. num. 42. in §. solùm potestas.* Quod observavit in Legatis Carthaginensium Scipio Africanus, qui, etsi non induciarum modo à Carthaginensibus fides, ait *Livius* lib. 18. sed etiam jus gentium in Legatis suis violatum esset, tamen se nihil nec institutis populi Romani, nec moribus suis indignum facturum dixit, & Legatos dimisit. Atque in contrariam si ire libet partem, metus est, ne idem in Hispania contingat Anglo, si Hispanum in Anglia puniri permiseris. Cum Legati Carthaginensium de suorum impietate erga Romanorum Legatos audiissent, certum sibi ob eam causam imminere supplicium judicabant. *Polyb. 15. lib. Histor.* in Gallia verba sunt, *Guicciard. lib. 18. Histor. Ital.* Rex Legati sui captivitate auditâ Cæsaris Legatum in Lutetianam arcem, quæ Castellatum vocatur, conjici jussit, & per totam Galliam Mercatores Cæsari subjectos retineri mandavit. Idem quoque, quod ad Cæsaris Oratorem attinebat, fecit Angliæ Rex. Quod argumentum videtur collimasse. *Gentil. lib. 2. cap. 18. de legation.* Bonæ opinionis vult ille ex sententia Platonis rationem habendam esse, & ideò nec violandas suspicione Legationes, Quis verò suspicione violatum Legatum non dicet? Meminerimus ejus, quod à Vero scriptum Marco fuisse Volcatius refert, in causis Majestatis, dicebat ille, hæc natura est, ut videan-

;eantur vim pati, etiam quibus probatur: Scis enim quid avus
is dixerit; misera conditio Imperatorũ, quibus de effectu tyran-
lis, nisi occisis, credi non potest. Et, si deliquisse Legatum con-
, remittatur ad regem suum puniendus: ei enim & non Angliæ
ginæ subest. *Albert. Gentil. lib. 1. cap. 8. Hispan. advocat.* Is ergò
ion Angla eum judicare potest, ita ut avocationi locus sit. *Gail.*
bs. 4. n. 5. Hocq; argumento usus inter cætera, Clemens V.
atifex Henricum Imperatorem non potuisse Robertum Siciliæ
gem Majestatis damnare contendit, quod domicilium non im-
perio sed regno Siciliæ, quod Feudum in Ecclesia Rom. habe-
Clem. Pastor. vers. nos quoq; de sent. & re jud. Contenduntq;
s nostri Interpp. crimen læsæ Majestatis à non subdito haud cõ-
ti. *Menoch. lib. 1. conf. 99. n. 16. & seq. Decian. conf 18. n. 329. vol. 1.*
od in Legato hoc Hispanico apertè respondit *Alb. Gentil. lib. 2.*
de legation. quoniam, ait, juris civ. ratio, ut in re tàm atroci
affectus nocendi & consilium pro eo puniri debet, atq; si man-
a effectui fuisset, non est ratio naturalis, non jurisg. quo uno Le-
is censeri debet, & Hispanus dimissus ille fuit. Qua quidem in
lacet illud *Polybii lib. 15. Histor.* de Legatis Carthaginensium a-
tis, judicium assumere, non tam spectatum in ea dimissione
le, quid meritò patiendũ Hispano, quàm quid Anglos facere de-
:. Nam de Hispano ex jure supplicium sumi potuisse per sub-
j. rationes contendo. Juregentium solo censetur Legatus, *l. ult.*
e legation. Verum Legatus ille Hispanicus in Reginam conju-
s contra jus gentium egit, etiam si sceleris effectu potitus non,
quia ad jurisgentium esse perhibetur, quo gentes utuntur
u autem civil. Inst. de jure N. G. Gentium verò instituta mores q;
jurantem, licet effectum non ferat, puniunt. Apud Macedo-
Parmenio Alexandro quamvis gratissimus & socii detectâ
juratione supplicium subière. *Q. Curt. lib. 6. Histor.* Apud Per-
non solùm conjurantes sed & uxores & eorum liberi puniti
. *Justin. lib. 10. Plutarch. in Artaxerxe.* Apud Ægyptios similis
a fuit, ut exemplo Cleomenis, qui in Ptolomæum conjuravit
onstrat *Plutarch. in vita Cleomen.* Scribitq; *Polybius lib. 2. Histor.*
Græcia cœtum Pythagoreorum ob clandestinam conjuratio-
concrematum fuisse. Regem Lacedæmoniorum, ne hostes

quidem temerè, cum eis in acie occurrerent, attingebant, sed deflectebant; verentes venerantesq; ejus Majestatem, ita ut multis in conflictibus, quos conservcrunt cum Græcis unus saltem ante Philippi ævum lanceâ ictus ceciderit. *Plutarch. in Agide.* Hispanorum, Gallorum, Ungarorum, aliorumq; exempla & historiæ cum in propatulo sint, imò & Angli ipsi socios conjurationis Legati Hispanici ad mortem damnarint, non puto dubitari, quin id quod Romanis legibus de conatu & consilio expressum est *in l. quisquis C. ad l. Juliam Majest.* etiam gentium aliarum legibus & institutis consentiat. Jus gentium ergò etiam punit conatum, & si non puniret, miserrima Regum foret conditio, quibus de affectu tyrannidis nisi occisis credi non posset, ut jam dictum. Et lenitas Anglica Legatum alium ad similia invitaret de facili, qui instrueret Anglos & rationibus, quibus Dominum naturalem interficerent, informaret, si sola dimissione, quæ etsi labem secum trahat, non tamen condigna est tanti criminis molimine, utpote quæ in patriam ad suos reditum saltem ipsi imponit, se tutum sciret. Est enim *ut Cic. 3. off.* ait, quotusquisque reperietur, qui impunitate proposita abstinere possit injuria, ea enim maxima est peccandi illecebra. Nec incognitum est, quod sub fide publicâ Princeps, ad quem Legatus mittitur, decipi non debeat, *argum. l. 1. C. de his qui veniam ætatis impetr. Celsus Bargal. lib. 1. cap. 6. num. 12. de dolo.* Quod utique si Legatum dimiseris, fit, quia non solùm quantum in ipso fuit, Principem decepit crimenq; perfecit, sed subditos Reginæ in eam armavit, Et frustra mihi Legatus suum obtendit privilegium, quia id extra casum eum, de quo loquitur, non extenditur. *Pruckman. d. loco num. 38.* Legatus autem ita demum legationis jure gaudet, si se Legatum, non proditorem ostenderit. Eleganter *Fabius in declam. 12.* Sed Legatus fuisti? ait, quid tamen ipsum? quid est aliud quàm rem tractare? Rem autem qui malè agit, ut arbitror, lædit. An existimas hanc Legatis dari peccandi licentiam, ut quæcunq; scelera in eo commiserint officio, cum his omnibus hac una lege decidant? O nimiam invidendam hujus legationis conditionem, si tibi legem remisit! Ut jure Barabarses Edessæ Præfectus Arabes primarios viros 12. cum equitibus 500. & totidem Camelis arcas portan-

...ntantibus, in quibus duo armatorum millia latebant, seq; ad Imperatorem Michaëlem Paphlagonem munerum offerendorum ...usa proficisci simulabant, cum tamen urbem occupare, ut Cedre... autor est, vellent, interfecerit, Nam ut Ovidius ad rem cecinit:

Judice me, fraus est concessa repellere fraude;
Armaq; in armatos sumere jura sinunt.

...jura violanti, si jus non præstatur, ei non violari, sed jus reddi... ditum est; ait *Alb. Gentil. l. 2. de Legat. c. 2.* Immò in omni man...to & privilegio utilitas publica excepta credi debet, *l. si quis in... ...ri. §. is quoq; ff. ad Syllan.* excepta itaq; erit & in Legati privile..., quod adversus Rempubl: ejusve utilitatem valere non potest, ...si, ut vult *Bodinus l. 5. c. ult. de Republ.* Legatum Principis sui ma...statem tueri ita deceat, ut ejus, ad quem missus est, illæsa majestas ...vetur, utiq; si eam læserit, pœnâ eum constringi res exigit. Sunt ...im hæc consequentia, offendere si prohibitum, pœnam infligere ...endenti permissum erit, eleganter Plutarchus: qui nos docuit ...ittare, non vetuit jaculari, sed vetuit, ne aberraremus à scopo, non est interdicta punitio, sed in tempore & aptè facienda. De...e, Legatus fines mandati diligenter observare debet, quos si ex...at, non ut Legatus, sed ut privatus agit, *l. 16. ibi. non nisi injunctò ...vere fungitur. ff. de legation. l. 5. ff. mandati,* & ideò cum Metro...us Schepsius Tigrani responderet, ut Legatum suadere bellum ...tra Romanos, ut Metrodorum dissuadere, responsio ei exitium ...vit. *Plutarch. in vita Luculli*, quia aliud quàm ipsi à Mithridate ...nctum fecit, corrumpitur, atq; dissolvitur officium imperantis; *...ell. lib. 1. Noct. Att. c. 13.* si quis ad id, quod facere jussus est, non ...quio debito sed consilio non desiderato respondeat. Et Ideò ... Legatus Hispanicus aliud, nec enim à Rege suo id in manda...buit, fecit, ut privatus, non ut Legatus censeri debeat, siqui... jus & privilegium legationis, quod habet, ex mandato habet, ... si transiliat, qualitas Legati non attenditur. Et hoc est, quod ...solet: Privilegiũ meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur ...state *c. ubi distinct. 74.* ut omittamus eũ, qui plus potest, arctio...œnæ metu constringendũ esse, *arg. l. 9. C. ubi causæ fiscal.* Plus a... potest

poteſt Legatus propter muneris, quo fungitur, dignitatem, conſtringi ergò arctioris metu pœnæ debet: & non ſolùm Legati, verùm etiam ut Principis, ad quem miſſus, in tuto ſit ſalus, providendum erit, qui ſi lædatur, pœnas à lædente meritò exigit, nam juxta Statium lib. 5. Thebaid:

——— movet & cœleſtia quondam
Corda dolor, lentoq; irrepunt agmine pœnæ.

Atq; ita caſum hunc definit Paulus JCTUS *in l. non aliàs 24. §. 1. ff. de judic.* Legati ex delictis in legatione commiſſis, ait, coguntur judicium Romæ pati, ſive ipſi admiſerunt ſive ſervi eorum. Nec patior mihi replicari, textum loqui de Legatis Provincialibus ſeu municipalibus, quia illi, ut ſubditi Legatos ad Romanos non mittebant. *Alb. Gentil. lib. 2. c. 10. de legat.* Hinc Carolus V. Imperator Legatos Ducis Mediolanenſis ſibi ſubditi & bellum machinantis carcere concluſit, *Bodin 1. de Republ. cap. 6.* Loquitur ergò Paulus de Legatis hoſtium aut fœderatorum. Atq; in hanc ſententiam editum eſt ſcriptum Electoris Saxon. Johannis Friderici & Philippi Landgravii Haſsiæ adverſus Henricum Ducem Brunſuicenſem Anno 1539. Haben aber ſolche Legaten/ ait, in zeit jhrer Legation etwas verwircket/ betrügliche Sachen braucht oder gehandelt / ſo hat man ſie ohn unterſcheid angegriffen/ gefänglich angehalten/ jhre Brieff erbrochen/ vñ zu Zeiten geſtrafft etc. Neq; ab hac ſententia nos dimovere debebunt illa, quæ pro parte alterâ diſputata ſunt. Nam primum & ſecundum argumentum procedit, ſi ſe Legatus, ut Legatum decet, gerat. Legatum puniri nolumus, conjurantem plecti concedimus. Legatus inter hoſtium tela non conjurans tutus eſt: Legatus ab eo, ad quem miſſus eſt, judicari nequit, conjurans poteſt. Nam per delictum forum in loco, ubi deliquit, ſortitur *l. 4. C. de commerc. & mercator. l. 2. C. quæ res export. non deb.* Sic Petrus Juſtini Legatus Theodatum Regem Gothorum, apud quem erat, judicem, inſimulatus adulterii, non recuſabat, ſed crimen amoliebatur. *Procop. lib. 1. de bell. Goth.* Quodq; tertiò oppoſitum ex mandato ſui Regis debuiſſe id facere Legatum, apertè falſum eſt, & fallitur vehementer *Franſc. le Fair. d. loco* dum per fas & nefas Legato ad mandator. executionẽ graſſari licere exiſtimat, Legatus enim cenſetur jure gentium *l. ult. ff. de legation.* Jus gentium verò nihil aliud eſt, teſte *Cic. de LL.* quàm ratio

atio summa insita à natura, quæ jubeat, quæ facienda sunt, pro-
ibeatq; contraria. Turpia itaq; ut illo jure non mandantur, sic
iandata exequi licere Legato nonpermittitur. Quod intelligens
Caroli V. Imper. Legatus, cum ab ipso Franciscus I. Galliæ Rex pe-
eret, ut Epistolam suam ad Cæsarem perferret, atque ejusmodi
erba nunciaret, videl. Cæsarem, in eo quod Feciali suo, se ipsi fi-
em non servasse, dixisset, falsum dixisse, quotiesq; id diceret, to-
es ipsum mentiri. *Guicciard. lib. 8. Histor. Ital.* mandatum ut rei
rpis recipere recusavit. Nec Legatorum Tarquinii aut Volsco-
m exempla sententiæ ejus patrocinantur, quia magnanimitatis
omanorum, non juris sunt, qualia nos in exemplum trahi,
i ex jure differimus, non admittimus. Et non satis apta mihi
Tarquiniis Livii ratio videtur, jus tamen gentium valuit, ait,
ò contra jus gentium illi fecerant, quod jam probatum à nobis:
dere itaq; & illud contra illos debuit. Legati Volscorum, quia
que nomen aliud explorator & speculator, potuerunt puniri,
m dimittere nihil aliud quàm eos voti compotes facere. *Alb.
ntil. lib. 2. cap. 4. de legation* Et rectè *Balthasar Ayala lib. 1. c ult.
. de jure & off belli* exemplo hoc non putarem, ait Legatos simi-
molientes tutos esse. Quod quinto objectum: satius nocentem
nittere, quàm fidem publicam frangere, utique verum est,
ocenti fides data est. Nam si Legato post conjurationem fides
a est, ea servanda erit. Sed cum fidem, quam jus gentium
at, fregerit, ei, ut fœdifrago, non rectè fidem servari petitur.
Exemplum Scipionis Africani ad magnanimitatem, non
quod nos inquirimus, pertinet, quod *Polyb. d. lib. 15. Histor.* di-
è innuit, non tàm, ait, spectandum esse, quid meritò patien-
a esse Carthaginensibus, scilicet ex jure, quàm quid Romanos,
gnanimitate scilicet, facere quadam decet: Etsi nullo non ju-
cipionem Legatis parcere debuisse, *Ayala lib. 1. cap. 6. num. 19.
uris. & off. bell.* existimet. Malè, quia generalis est conven-
is regula: ut nemo illis stare teneatur, nisi ex adverso, quæ
venerunt, præstentur, quam tradit *Ayala d. c. 6. num 17.* Car-
ginenses autem sua ex parte Legatis Rom. fidem non serva-
, sed contra jus gentium dimissos in mari oppugnarant.
b. d. lib. 15. & ideò nec illorum Legatis fides præstari ex jure
F debuit,

debuit. Similiter & in sexto argumento jus collimamus, non quid contingere possit. Jus non permittit ut Hispanus Anglum probum puniat, quia improbus Hispanus in Anglia punitus est. Quod si secus fiat, violatur jus gentium, cujusmodi facta extra disputationis cursum sunt. Nec suspicione violatur legatio, quod arbitratur *Gentil.* Si puniatur Hispanus, quia utiq; de conjuratione constare volumus & constitit. Nam socii criminis Angli puniti sunt, & vult *Gentil.* eum remitti ad suos. Ergò de delicto constitit, quia ad suos remitti ex solâ suspicione non debet. Et ideò quia labem illa remissio habet, causa justa & probata præcedere debet, quæ si judici Anglicano approbata fuerit, propter suspiciones Hispanorum Legatus dimitti non debet. Et licet Legatus ut Legatus non subsit Angliæ Reginæ, attamen ut conjurans contra eam subest, nam delictum ei forum & judicem Anglicanum sua voluntate constituit, *l. Imperatores ib. ipse te huic pœnæ subdidisti. ff. de jure fisci,* quod sufficit ad enervandum id, quod dictum est, crimen majestatis à non subdito committi haud solere. Nam quatenus delinquens in regno ejus, contra quem conjuravit, invenitur, puniri potest, quamvis non abnuam mitiorem Hispano, & non eam, quæ in Anglia observatur. *Camdemus de actione in Henric. Carnetum* dictari pœnam ejus intuitu potuisse, sufficere enim capitis potuit. Ratio *Gentilis* jam superius rejecta est, quia & jus gentium solum conatum in hoc crimine punit, quo concludimus hanc disputationem; nam quamvis *Gentilis* & hanc addat, nimium sæviri, si Legatus interficiatur, nihil aliud quam petitionem principii implicat, id enim in quæstione est, An Legatus interfici possit? nos per rationes nostras affirmamus, quod qui negare velit, aliàs, cur nimium sæviatur in illum, adferre necesse habet, diceretq; nimium sæviri non sufficit: Nec sola dimissio, quod jam antea tactum est, condignam tanti criminis punitionem habet, & si staret hæc argumentatio: potest mitius Legatus puniri: Ergò nimium in ipsum sævitur, valeret vel hæc consequentia: Potest objurgari; Ergò dimitti non debet, quia id mitius est, nec famam ejus & remissio onerat, *l. ob hæc verba. ff. de his qui not. infam.* Verum quia ut *Cic. 3. de LL.* dixit, noxæ pœna par esse debet, sanè proportio inter remissio-

ssionem & criminis commissi gravitatem, ut omnium gentium xempla ostendunt, haud instituereturu.

XXII.

Quid si Elector aut ejus Nuncii insolitam viam ingrediantur & spolientur, tenebiturne territorii dominus, si ejus conductum petere neglexerint ad damni emendationem? N.

Jacobus Marchio Badensis: ubi latrocinium in sua ditione ommissum didicerat, vocatis iis qui damno affecti fuerant, tanim eos ex fisco suo accipere jussit, quanti esse, quæ amiserant, rejurando affirmassent. *Æneas Sylvius lib. 4. ad Panorm. de gest. lphonsi n. 7.* Quod ut laudandum, ita & in casu proposito idem jure decidendum videtur. Nam ut vult textus noster §. 9. Omnes nperio subjecti Electoribus aut eorum nunciis conductum præare tenentur, & quidem per terras & territoria eorundem indiincte *§. 17. hic.* ideò & per viam insolitam, quoniam & ea est inrum territorio: Et consequenter si spoliati fuerint, damni emenitionem rectè postulant, *Gail. 2. obs. 60. Mynsing. 5. obs. 70.* vel aximè si consideraverimus eos, dum ad electionem novi Impetoris eunt, Legatos Imperii esse, argumento eorum, quæ ex Varne & Cic. tradit *Alb. Gentil. l. b. 1. c. 2. de legationib.* Legati aum etiam in via insolitâ tuti esse debent. Nam quod juris est into, idem in qualibet ejusdem parte esse debet. *argum l. qua de ta 76 ff. de R. J.* Sunt autem illi in Imperio toto tuti, & per conquens in qualibet etiam ejusdem parte. Retinent insuper ubiq; corum nomen Legati sacrosanctum *l. 8. §. 1. ff. de rer. divis.* etmsi conductum à territorii domino non petierunt. *Rutger. Rund. lib 7, cap. 8. nu. 5. & seq. de commiss.* Quoniam securitas, quâ uuntur, non ab unius sed communi hominum jure dependet *l. ff. de legat.* Quare Galliæ Rex ob interfectos Cæsarem Fregom & Anton. Rinconem Legatos suos, quos ille quantumvis per as insolitas ad Turcam destinaverat, bellum Carolo V. Imratori inferre voluit. *Sleid. lib. 14. de stat relig.* Possunt quoque ulta esse, ob quæ Elector malit per viam insolitam quam

vare voluit, grandia intempestivè locutus, fidem & ore & literis promissam minimè servans. *Cuspin. in ejus vita.* Suppeditatq; miles, nescio quis veteranus, argumentum aliud, cui exigenti promissa à Sigismundo Imp. cum diceret Imperator: At immoderata petitio tua fuit; Respondit miles: Poteras negare cum peterem, nunc sine turpitudine, quod promissum est, rescindere non poteris. Tum Sigismundus: Si ex duob. alterum me ferre oportet, faciliùs rerum quàm famæ jacturam subibo. *Æn. Sylv. lib. 3. n. 3. com. ad Panorm. de dict. & fact. Alphons.* Quod si pro argumento in rei præsentis comprobationem assumserimus, rectè concedenti securitatē publ. regerimus; Poteras negare, cum ea peteretur, at promissam rescindere arbitrii tui non est, *Bursat. cons. 177, n. 41. vol. 2. Menoch. cas. 336. n. 33.* sed vel cum detrimento eam observare teneris. Quod confirmatur dicto *Decii in cons. 5. n. 3. in f.* cogitet, ait, inclytus Comes, quod dignitati suæ & honori multum conducat, ne sub fiducia literarum quis decipiatur; meruitq; non injuriâ Leo Pontifex X. hominum doctorum reprehensionem, quod tuto ac salvo conductu præcedente Joannem Paulum Bajonum Ducem strenuum ad se vocarit, & caput ei amputari jusserit, *Fr. Guicciard. lib. 13. Hist. Ital.* eiq; fidem salvi conductus violatā conquerenti respondit: securum iter veniendi, non a. revertendi se concessisse. *Mattheacius de via & ratione juris lib. 1. c. 4. n. 21. & seq.* ubi subjicit. Sed Baldus consultus respondebat: tutum iter vel securitatem à Principe datam servari debere, nec verba calumnianda, sed omnia bonâ fide agenda, & varias affert formas, qualis etiam ea est, quæ per ora virûm passim circumfertur. Ibitis, redibitis, non capiemini, in qua solùm comma postpositum particulæ negativæ non eos captivos fore significat. *Bod. lib. 5. c. 6. de Republ. Menoch. cas. 336. n. 11. de arbitr. jud. qq. Rutger. Ruland. lib. 7. c. 8. n. 25. de commissar.*

XXI.

An Legatus in Principem, ad quem missus est, conjurans puniri possit?

Legati tacitâ gentium omnium conventione, salvo conductu & securitate gaudent *l. fin. de legation.* Legatorum jus, ait *Cic. 3. Verr.* humano divinoq; vallatū præsidio est, cujus tàm sanctum & vene-

nerabile nomen esse debet, non modò ut intra sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur. Quod an etiam in obtineat, cum adversus Principem, ad quem missus est, conjurationem ineat, nostris temporibus in Anglia ancipitem habuit dubitationem. Nam cum Hispanus Legatus in defunctam nunc Elisabetham, cum Anglis quibusdam conjurasset, detectâ conjuratione res in utramq; partem agitata fuit. Et quidem pro affirmativa videtur hoc, quod jam recitavimus, argumentum stare. Legatus inter hostium tela tutus esse debet: Tutus ergò & Hispanicus Legatus inter Anglos esse debuit, quia per conjurationē jam hostes ipsi facti erant. Meritoq; Paulum IV. Pontif. *Thuan. lib. 17. Hist.* reprehendit, quod Hispanicum Legatum ab Albano, quantumvis hoste Pontifici imminente, nulla jurisq. ratione habitâ, in carcerem conjici jusserit. Nec laudare possum Francisci I. Galliar. Regis factum, qui ne id, quod Fecialis à Carolo V. Imperatore in mandatis habebat, audire cogeretur, ut adventare audivit, crucem pro Palatio figi mandavit ac ei denunciari, certum sibi crucis exitium imminere, si mandata exposuisset. *Bodin. 5. de Republ. cap. ult*, id enim fuit contra jus gentium. Deinde, personam sui Regis, id est, Hispani, Legatus sustinebat. *Alb. Gentil. lib. 2. c. 18. Hispan. Advocationis.* Rex verò Hispaniæ judicari à Regina Angliæ non potuit, quia par in parem Imperium non habet, *l. 4. & 6. ff. de recept arbitr.* Quod argumentum Maria Scotiæ Regina huic nostræ opponebat, quia Regina erat, & dignitatis paritas Imperium æqualis non admittit, de qua actione videndus *Mich. Eyzinger in 2. pret. thesaur. Princip.* & ultima conclusio fuit Conradini Sueviæ Principis, Nam cum Carolus Andegavensis hunc bello captū mortis pœnâ damnaverat, eiq; sententia legeretur, in Notarium invectus: Tunè impure Leno, ait, scelerate furcifer ausus es morti condemnare filium Regis, An nescis pari in parem Imperium jurisdictionemque non esse. *Nicol. Cisner. in orat. de Conradin. Suev. ultimo Principe, Crus. lib. 2. part. 3. cap. 19. Annal. Suev. Scipio Ammiratus lib 17. dissert. polit. discursu 7.* Et haud dubiè Legato a Principe suo mandatum fuit, ut res ipsius in Anglia, quantum posset, promoveret, quarum utiq; successum mors Reginæ secum traxisset. Hoc unum contendo, inquit *Fr. Le Faier. c. 6. de legatione* impunè Legatis

 licere

licere sive per fas sive per nefas, quicquid sibi à Principe mandatum est, exequi ac perficere &c. Et Legatus Justiniani apud *Procop. lib. 1. de bello Goth.* Orator, ait, qualiacunq; à Principe se delegante acceperit, profert; quæ si minus proba & recta videntur, non ipse propterea jure est incusandus, sed qui miserit fortè culpandus. Exemplo sint Legati Tarquinii, qui cum sub specie repetendorum supellectilium Romam missi erant, de reducendis Regibus contra Rempubl. cum nobiliss. adolescentibus conjurarunt, & quanquam videbantur commisisse, ait *Liv. lib. 2.* ut hostium loco essent, jus tamen gentium valuit, & Aulus Posthumius Volscor. Legatos nullâ injuriâ affectos remisit, qui sub honestæ Legationis specie Romanas Legiones exploratum venerant, *Dion Halycarnass. lib. 6.* Satiusq; putatum omni tempore fuit, bis aut ter nocentem pœnis legitimis non constringere, quàm fidem publicam frangere, *argum. l. 1. Cod. de his qui veniam ætat. impetr. Pruckman. membr. 2. cap. 4. eff. 5. num. 42. in §. solùm potestas.* Quod observavit in Legatis Carthaginensium Scipio Africanus, qui, etsi non induciarum modo à Carthaginensibus fides, ait *Livius* lib. 18. sed etiam jus gentium in Legatis suis violatum esset, tamen se nihil nec institutis populi Romani, nec moribus suis indignum facturum dixit, & Legatos dimisit. Atque in contrariam si ire libet partem, metus est, ne idem in Hispania contingat Anglo, si Hispanum in Anglia puniri permiseris. Cum Legati Carthaginensium de suorum impietate erga Romanorum Legatos audiissent, certum sibi ob eam causam imminere supplicium judicabant. *Polyb. 15. lib. Histor.* in Gallia verba sunt, *Guicciard. lib. 18. Histor. Ital.* Rex Legati sui captivitate auditâ Cæsaris Legatum in Lutetianam arcem, quæ Castellatum vocatur, conjici jussit, & per totam Galliam Mercatores Cæsari subjectos retineri mandavit. Idem quoque, quod ad Cæsaris Oratorem attinebat, fecit Angliæ Rex. Quod argumentum videtur collimasse. *Gentil. lib. 2. cap. 18. de legation.* Bonæ opinionis vult ille ex sententia Platonis rationem habendam esse, & ideò nec violandas suspicione Legationes, Quis verò suspicione violatum Legatum non dicet? Meminerimus ejus, quod à Vero scriptum Marco fuisse Volcatius refert, in causis Majestatis, dicebat ille, hæc natura est, ut videan-

deantur vim pati, etiam quibus probatur: Scis enim quid avus ius dixerit; misera conditio Imperatorũ, quibus de effectu tyrannidis, nisi occisis, credi non potest. Et, si deliquisse Legatum conet, remittatur ad regem suum puniendus: ei enim & non Angliæ eginæ subest. *Albert. Gentil. lib. 1. cap. 8. Hispan. advocat.* Is ergò non Angla eum judicare potest, ita ut avocationi locus sit. *Gail. obs. 4. n. 5.* Hocq; argumento usus inter cætera, Clemens V. ontifex Henricum Imperatorem non potuisse Robertum Siciliæ egem Majestatis damnare contendit, quod domicilium non inperio sed regno Siciliæ, quod Feudum in Ecclesia Rom. habet. *Clem. Pastor. vers. nos quoq; de sent. & re jud.* Contenduntq; ris nostri Interpp. crimen læsæ Majestatis à non subdito haud cõittti. *Menoch. lib. 1. cons. 99. n. 16. & seq. Decian. cons. 18. n. 329. vol. 1.* Quod in Legato hoc Hispanico aperte respondit *Alb. Gentil. lib. 2. 18. de legation.* quoniam, ait, juris civ. ratio, ut in re tàm atroci se affectus nocendi & consilium pro eo puniri debet, atq; si manata effectui fuisset, non est ratio naturalis, non jurisg. quo uno Letus censeri debet, & Hispanus dimissus ille fuit. Qua quidem in placet illud *Polybii. lib. 15. Histor.* de Legatis Carthaginensium antis, judicium assumere, non tam spectatum in ea dimissione uisse, quid meritò patiendũ Hispano, quàm quid Anglos facere deit. Nam de Hispano ex jure supplicium sumi potuisse per subqq. rationes contendo. Juregentium solo censetur Legatus, *l. ult. de legation.* Verum Legatus ille Hispanicus in Reginam conjuns contra jus gentium egit, etiam si sceleris effectu potitus non, quia ad jurisgentium esse perhibetur, quo gentes utuntur *jus autem civil. Inst. de jure N. G.* Gentium verò instituta moresq; onjurantem, licet effectum non ferat, puniunt. Apud Macedoes Parmenio Alexandro quamvis gratissimus & socii detectâ onjuratione supplicium subière. *Q. Curt. lib. 6. Histor.* Apud Pers non solùm conjurantes sed & uxores & eorum liberi puniti unt. *Justin. lib. 10. Plutarch. in Artaxerxe.* Apud Ægyptios similis œna fuit, ut exemplo Cleomenis, qui in Ptolomæum conjuravit emonstrat *Plutarch. in vita Cleomen.* Scribitq; *Polybius lib. 2. Histor.* Græcia cœtum Pythagoreorum ob clandestinam conjuratioem concrematum fuisse. Regem Lacedæmoniorum, ne hostes

quidem temerè, cum eis in acie occurrerent, attingebant, sed deflectebant; verentes venerantesq; ejus Majestatem, ita ut multis in conflictibus, quos conserverunt cum Græcis unus saltem ante Philippi ævum lanceâ ictus ceciderit. *Plutarch. in Agide.* Hispanorum, Gallorum, Ungarorum, aliorumq; exempla & historiæ cum in propatulo sint, imò & Angli ipsi socios conjurationis Legati Hispanici ad mortem damnarint, non puto dubitari, quin id quod Romanis legibus de conatu & consilio expressum est *in l. quisquis C. ad l. Juliam Majest.* etiam gentium aliarum legibus & institutis consentiat. Jus gentium ergò etiam punit conatum, & si non puniret, miserrima Regum foret conditio, quibus de affectu tyrannidis nisi occisis credi non posset, ut jam dictum. Et lenitas Anglica Legatum alium ad similia invitaret de facili, qui instrueret Anglos & rationibus, quibus Dominum naturalem interficerent, informaret, si sola dimissione, quæ etsi labem secum trahat, non tamen condigna est tanti criminis molimine, utpote quæ in patriam ad suos reditum saltem ipsi imponit, se tutum sciret. Est enim *ut Cic. 3. off.* ait, quotusquisque reperietur, qui impunitate proposita abstinere possit injuria, ea enim maxima est peccandi illecebra. Nec incognitum est, quod sub fide publicâ Princeps, ad quem Legatus mittitur, decipi non debeat, *argum. l. 1. C. de his qui veniam ætatis impetr. Celsus Bargal. lib. 1. cap. 6. num. 12. de dolo.* Quod utique si Legatum dimiseris, fit, quia non solùm quantum in ipso fuit, Principem decepit crimenq; perfecit, sed subditos Reginæ in eam armavit, Et frustra mihi Legatus suum obtendit privilegium, quia id extra casum eum, de quo loquitur, non extenditur. *Pruckman. d. loco num. 38.* Legatus autem ita demum legationis jure gaudet, si se Legatum, non proditorem ostenderit. Eleganter *Fabius in declam. 12.* Sed Legatus fuisti? ait, quid tamen ipsum? quid est aliud quàm remtractare? Rem autem qui malè agit, ut arbitror, lædit. An existimas hanc Legatis dari peccandi licentiam, ut quæcunq; scelera in eo commiserint officio, cum his omnibus hac una lege decidant? O nimiam invidendam hujus legationis conditionem, si tibi legem remisit! Ut jure Barabatses Edessæ Præfectus Arabes primarios viros 12. cum equitibus 500. & totidem Camelis arcas portan-

...ttantibus, in quibus duo armatorum millia latebant, seq; ad Imperatorem Michaelem Paphlagonem munerum offerendorum causa proficisci simulabant, cum tamen urbem occupare, ut Cedrenus autor est, vellent, interfecerit, Nam ut Ovidius ad rem cecinit:

Judice me, fraus est concessa repellere fraude,
Armaq; in armatos sumere jura sinunt.

...jura violanti, si jus non præstatur, ei non violari, sed jus reddi ...ditum est, ait *Alb. Gentil. l. 2. de Legat. c. 2.* Immò in omni mandato & privilegio utilitas publica excepta credi debet, *l. si quis in ... §. is quoq; ff. ad Syllan.* excepta itaq; erit & in Legati privilegio, quod adversus Rempubl: ejusvè utilitatem valere non potest, ...si, ut vult *Bodinus l. 5. c. ult. de Republ.* Legatum Principis sui majestatem tueri ita deceat, ut ejus, ad quem missus est, illæsa majestas ...tur, utiq; si eam læserit, pœnâ eum constringi res exigit. Sunt ...im hæc consequentia, offendere si prohibitum, pœnam infligere ...fendenti permissum erit, eleganter Plutarchus: qui nos docuit ...ittare, non vetuit jaculari, sed vetuit, ne aberraremus à scopo, ... non est interdicta punitio, sed in tempore & aptè facienda. Deinde, Legatus fines mandati diligenter observare debet, quos si excedat, non ut Legatus, sed ut privatus agit, *l. 16. ibi. non nisi injuncto ...nere fungitur. ff. de legation. l. 5. ff. mandati,* & ideò cum Metro...rus Schepsius Tigrani responderet, ut Legatum suadere bellum ...ntra Romanos, ut Metrodorum dissuadere, responsio ei exitium ...avit. *Plutarch. in vita Luculli*, quia aliud quàm ipsi à Mithridate ...junctum fecit, corrumpitur, atq; dissolvitur officium imperantis; *Gell. lib. 1. Noct. Att. c. 13.* si quis ad id, quod facere jussus est, non ...sequio debito sed consilio non desiderato respondeat. Et ideò ...m Legatus Hispanicus aliud, nec enim à Rege suo id in mandatis habuit, fecit, ut privatus, non ut Legatus censeri debeat, siquidem jus & privilegium legationis, quod habet, ex mandato habet, ...od si transiliat, qualitas Legati non attenditur. Et hoc est, quod ...ci solet: Privilegiū meretur amittere, qui concessâ sibi abutitur potestate *c. ubi distinct. 74.* ut omittamus eū, qui plus potest, arctio... pœnæ metu constringendū esse, *arg. l. 9. C. ubi causa fiscal.* Plus a... potest

potest Legatus propter muneris, quo fungitur, dignitatem, constringi ergò arctioris metu pœnæ debet: & non solùm Legati, verùm etiam ut Principis, ad quem missus, in tuto sit salus, providendum erit, qui si lædatur, pœnas à lædente meritò exigit, nam juxta Statium lib. 5. Thebaid:

——— *movet & cœlestia quondam*
Corda dolor, lentoq; irrepunt agmine pœnæ.

Atq; ita casum hunc definit Paulus JCTUS *in l. non aliàs 24. §.1. ff. de judic.* Legati ex delictis in legatione commissis, ait, coguntur judicium Romæ pati, sive ipsi admiserunt sive servi eorum. Nec patior mihi replicari, textum loqui de Legatis Provincialibus seu municipalibus, quia illi, ut subditi Legatos ad Romanos non mittebant. *Alb. Gentil. lib. 2. c. 10. de legat.* Hinc Carolus V. Imperator Legatos Ducis Mediolanensis sibi subditi & bellum machinantis carcere conclusit, *Bodin 1. de Republ. cap. 6.* Loquitur ergò Paulus de Legatis hostium aut fœderatorum. Atq; in hanc sententiam editum est scriptum Electoris Saxon. Johannis Friderici & Philippi Landgravii Hassiæ adversus Henricum Ducem Brunsuicensem Anno 1539. Haben aber solche Legaten/ ait, in zeit jhrer Legation etwas verwircket/ betrügliche Sachen braucht oder gehandelt / so hat man sie ohn vnterscheid angegriffen/ gefänglich angehalten/ jhre Brieff erbrochen/ vñ zu Zeiten gestrafft ꝛc. Neq; ab hac sententia nos dimovere debebunt illa, quæ pro parte alterâ disputata sunt. Nam primum & secundum argumentum procedit, si se Legatus, ut Legatum decet, gerat. Legatum puniri nolumus, conjurantem plecti concedimus. Legatus inter hostium tela non conjurans tutus est: Legatus ab eo, ad quem missus est, judicari nequit, conjurans potest. Nam per delictum forum in luco, ubi deliquit, sortitur *l. 4. C. de commerc. & mercator. l. 2. C. quæ res export. non deb.* Sic Petrus Justini Legatus Theodatum Regem Gothorum, apud quem erat, judicem, insimulatus adulterii, non recusabat, sed crimen amoliebatur. *Procop. lib. 1. de bell. Goth.* Quodq; tertiò oppositum ex mandato sui Regis debuisse id facere Legatum, apertè falsum est, & fallitur vehementer *Fransc. le Fair. d. loco* dum per fas & nefas Legato ad mandator. executionẽ grassari licere existimat, Legatus enim censetur jure gentium *l. ult. ff. de legation.* Jus gentium verò nihil aliud est, teste *Cic. de LL.* quàm ratio

tio summa insita à natura, quæ jubeat, quæ facienda sunt, probeatq; contraria. Turpia itaq; ut illo jure non mandantur, sic andata exequi licere Legato nonpermittitur. Quod intelligens roli V. Imper. Legatus, cum ab ipso Franciscus I. Galliæ Rex peret, ut Epistolam suam ad Cæsarem perferret, atque ejusmodi rba nunciaret, videl. Cæsarem, in eo quod Feciali suo, se ipsi fim non servasse, dixisset, falsum dixisse, quotiesq; id diceret, tos ipsum mentiri. *Guicciard. lib. 8. Histor. Ital.* mandatum ut rei rpis recipere recusavit. Nec Legatorum Tarquinii aut Volscom exempla sententiæ ejus patrocinantur, quia magnanimitatis omanorum, non juris sunt, qualia nos in exemplum trahi, ex jure differimus, non admittimus. Et non satis apta mihi Tarquiniis Livii ratio videtur, jus tamen gentium valuit, ait, ò contra jus gentium illi fecerant, quod jam probatum à nobis: lere itaq; & illud contra illos debuit. Legati Volscorum, quia ique nomen aliud explorator & speculator, potuerunt puniri, im dimittere nihil aliud quàm eos voti compotes facere. *Alb. ntil. lib. 2. cap. 4. de legation* Et rectè *Balthasar Ayala lib 1. c ult. de jure & off belli* exemplo hoc non putarem, ait Legatos simimolientes tutos esse. Quod quinto objectum: satius nocentem mittere, quàm fidem publicam frangere, utique verum est, nocenti fides data est. Nam si Legato post conjurationem fides ta est, ea servanda erit. Sed cum fidem, quam jus gentium dat, fregerit, ei, ut fœdifrago, non rectè fidem servari petitur.

Exemplum Scipionis Africani ad magnanimitatem, non, quod nos inquirimus, pertinet, quod *Polyb. d. lib. 15. Histor.* ditè innuit, non tàm, ait, spectandum esse, quid meritò patienm esse Carthaginensibus, scilicet ex jure, quàm quid Romanos, agnanimitate scilicet, facere quadam decet: Etsi nullo non juScipionem Legatis parcere debuisse, *Ayala lib. 1. cap. 6. num. 19. jurisf. & off. bell.* existimet. Malè, quia generalis est conventionis regula: ut nemo illis stare teneatur, nisi ex adverso, quæ nvenerunt, præstentur, quam tradit *Ayala d. c. 6. num 17.* Carthaginenses autem sua ex parte Legatis Rom. fidem non servarnt, sed contra jus gentium dimissos in mari oppugnarant. *olyb. d. lib. 15.* & ideò nec illorum Legatis fides præstari ex jure

F debuit,

missionem & criminis commissi gravitatem, ut omnium gentium exempla ostendunt, haud institheretur.

XXII.

Quid si Elector aut ejus Nuncii insolitam viam ingrediantur & spolientur, tenebiturnè territorii dominus, si ejus conductum petere neglexerint ad damni emendationem? N.

Jacobus Marchio Badensis: ubi latrocinium in sua ditione commissum didicerat, vocatis iis qui damno affecti fuerant, tantum eos ex fisco suo accipere jussit, quanti esse, quæ amiserant, jurejurando affirmassent. *Æneas Sylvius lib. 4. ad Panorm. de gest. Alphonsi n. 7.* Quod ut laudandum, ita & in casu proposito idem ex jure decidendum videtur. Nam ut vult textus noster *§. 9.* Omnes Imperio subjecti Electoribus aut eorum nunciis conductum præstare tenentur, & quidem per terras & territoria eorundem indistinctè *§. 17. hic.* ideò & per viam insolitam, quoniam & ea est in eorum territorio: Et consequenter si spoliati fuerint, damni emendationem rectè postulant, *Gail. 2. obs. 60. Mynsing. 5. obs. 70.* vel maximè si consideraverimus eos, dum ad electionem novi Imperatoris eunt, Legatos Imperii esse, argumento eorum, quæ ex Varrone & Cic. tradit *Alb. Gentil. l. b. 1. c. 2. de legationib.* Legati autem etiam in via insolitâ tuti esse debent. Nam quod juris est in toto, idem in qualibet ejusdem parte esse debet. *argum l. quæ de tota 76 ff. de R. J.* Sunt autem illi in Imperio toto tuti, & per consequens in qualibet etiam ejusdem parte. Retinent insuper ubiq; locorum nomen Legati sacrosanctum *l. 8. §. 1. ff. de rer. divis.* etiamsi conductum à territorii domino non petierunt. *Rutger. Ruland. lib 7, cap. 8. nu. 5. & seq. de commiss.* Quoniam securitas, quâ fruuntur, non ab unius sed communi hominum jure dependet *l. fin. ff. de legat.* Quare Galliæ Rex ob interfectos Cæsarem Fregosum & Anton. Rinconem Legatos suos, quos ille quantumvis per vias insolitas ad Turcam destinaverat, bellum Carolo V. Imperatori inferre voluit. *Sleid. lib. 14. de stat relig.* Possunt quoque multa esse, ob quæ Elector malit per viam insolitam quam

regiam ire, vel quia illa compendiosior sit, aut etiam facilior, vel commodior saltem ipsi, quæ sanè commoditates, si damni emendationem petere nequeat, ipsi præciderentur; nam utique in viâ regiâ & solitâ passo damnum, id Dominus territorii resarcire teneretur. *Gail. d. obser. 64.* Ut omittamus Constitutionis Carolinæ scopum hûc dirigi, ut Elector quam potest ocyssimè & sine incommoditate magna ad locum electionis perveniat *§. 3. 6. 17. hîc*, quem non collimabimus, si præcisè ab insolitâ ad Regiam Electorem coëgerimus, præsertim si illa hac tutior sit. Rectè *Halycarnass.* Securitatis ratio prior quàm decoris habenda est, ait: quo spectat nostrorum decisio, licet via solita, ait *Vivius decis. 190. num. 3.* per insolitam deserenda non sit, tamen hoc, ubicunq; via ipsa inusitata foret magis tuta, claudicat. *Surdusq; consil. 12. num. 28.* si viâ rectâ, inquit, & usitata non sit tuta, debet ad aliam divertere non adeò consuetam. Verum cum, ut vetus habet diverbium, semita quærenda non sit, ubi via adest, placet mihi pro territorii domino stare, cujus partes tuetur textus noster *in §. 16. hîc.* Volumus autem, ait, & expresse statuimus, ut unusquisq; Princeps Elector, qui talem voluerit habere conductum, his, à quibus ipsum postulare decreverit, hoc ipsum adeò tempestivè, viamq; quâ fuerit transiturus, insinuet, & talem conductum exposcat. Res composita est; Nam si viam, quâ transiturus est, indicare debet, utique, si id omiserit, damnum, utpotè suâ culpâ contingens, ipsius sufferre debet, & si, ut vult textus, conductum exposcere tenetur, sequitur, si petere eum neglexerit, Constitutionis nostræ beneficio non gaudere. Ratioq; non una astipulatur: Jus enim non patitur alii per alium iniquam conditionem inferri, quod fieret, si derobatum vestire Dominus territorii cogeretur. Nam dum ex jure ad solitæ viæ securitatem saltem constringitur, facto hoc, si contrarium diceremus, ad insolitæ quoq; curam eum adigeremus. Et hoc est, quod nostri magno consensu tradunt, viam solitam & non inusitatam in damni præstatione attendendam esse. *Cravett. consil. 400. n. 15. Gail. d. obs. 64. n. 12.* Constatq; quod mutatâ viâ, jus quoq; ejusdē mutetur, ut in simili dicimus, mutato territorio, mutatur potestas. *Alb. Gent. lib. 1. c. 5. Hisp. advoc.* & ideo cū alia ratio sit viæ, alia deviæ; illâ quippe tutâ, hanc non itē præstare dominus

minus territorii tenetur, aliud quoq; non mirū, si jus observetur. Deinde nomen, quod profiteri spernimus, mox nobis patrocinio esse, cum volumus, non debet: & est commune nostrorū dictum: Qui non vult, cum debet, id cum vult, non potest *Alb. Gentil. lib. 2. c. 2. de Legation.* Quod si assumserimus, sanè nec Elector dum nomen suum profiteri apud territorii dominum spernit, potest ad id, si quid adversi ipsi accidat, confugere; sibi n. imputet, quod concesso uti prætermiserit. Et notum est, quod initiū cujusq; rei inspiciendum sit, *l. 1. ff. de orig. J.* Initium autem nostro in passu illicitum fuit, quia debuit viam solitam transire, & ideò ex illicito ad damnum alterius pro sui refocillatione progredi ipsi fas non erit. Quin si ab Ulpiano decisio hujus rei peteretur, haud dubiè eam hisce verbis definiret. Ingressum etiam, hoc eum observare oportet, ut per eam partem provinciam ingrediatur, per quam ingredi moris est: magni enim faciunt provinciales, servari sibi consuetudinem istam, & ejusmodi prærogativas, ut loquitur in *l. 4. §. 5. ff. de offic. Proconsulis*, & quià Imperii Legatus est, occultè iter ingredi & intutum, ait *Carolus Pascalius c. 23. tr. de legat.* & sanctissimo Legationis munere indignum est, latebras ignorat Legatio, palàm ambulabat & aperto velo, amat agnosci, aspici, salutari. Athenienses suos, quos in Arcadiam miserant Legatos, ideò morte affecerunt, quod per viam insolitam iter fecissent. *Ælian. lib. 5. var. Histor.* Atque ab hac sententia nostra non dissentiunt argumenta in contrarium allata. Et non quidem primum, nam Electori quoq; per viam insolitam conductum territorii dominus præstare tenetur, scilicet si eum petierit, *d. §. 16. h.* Alterum argumentum concedimus: Sunt enim Legati ubiq; tuti, etiam in via insolita, quia utiq; sacrosanctum Legati nomen esse debet; sed id non eam habet consequentiam, ut deprædati emendationem damni petere possint. Sufficit enim territorii dominum solitam viam tutam reddere, quâ omissa, si insolitam ingressus fuerit Legatus, facere id quidem, sed suo periculo, poterit, Quodq; si in eos inciderit, qui nullâ jurisgentium ratione habitâ eum spolient, non territorii domino, sed sibi imputare debet. Quodq; tertiò oppositum est, tutum esse Legatum, etiamsi conductum non petierit, verum quidem est, sed id tamen non eum implicat intellectum, ut non à domino territorii, sed

 aliis

aliis læsus damni emendationem petere possit. Est enim quod de se queratur, cur fines viæ solitæ transilierit, cur non Legati potiùs quàm speculatoris more itionē suā instituerit, habitū privatū omisso tàm illustri publico finxerit. Fregosum & Rinconem quod attinet, peperit eorum interceptio anceps & grave inter Cæsarem & Gallum bellum, nec hîc placari voluit, etiamsi Carolus Imp. nec factum probaverit, verba sunt *Bodini lib. 1. de Rep. c. 6. inf.* & ulturū se promiserit, si cædis autores in suā potestatem venirent, & in jussu Cæsaris cæsos esse dicit, *Ayala lib. 1. c. ult. de J. & off. bell. n. 5.* qui jure tamen eos à Cæsarinis interfectos esse pronunciat. Rinco enim exul Hispanus, Fregosus Genevensis erat, quæ ad Imperium urbs pertinet, quia & ideò Regis & Imperatoris sui jurisdictioni & potestati se eximere non potuerunt. Quæ ratio, meâ opinione, ad rem parum apta est, quia non ad missos sed mittentē respiciendum fuerat, qui si mittere Hispanum & Genevensem potuit, non jure cæsi erunt. Mittere verò Gallus potuit, nā nulla ratio est; quæ Hispanū aut Genevensem Gallo servire vetat; si servire possunt, utiq; quæ ipsis à Domino injuncta fuêre, ut studio fideli exequerentur, necesse habuerunt. Quapropter inspectio hæc à qualitate illa desumtarem non explicat, nec jure Rinco, quâ exul Hispanus aut Fregosus, quâ Genevensis cæsi sunt, quia Legati erant Gallici, quod nomen qualitatem à Nativitate ductum tollit, & tamen jure cæsi videntur, quia Legati erant Galli contra Cæsarem ad ejus hostē Turcā? Cæsar verò rectè Legatum ad hostem suum hostilia molientem, qualia in mandatis Rinco & Fregosus habuerunt, intercipit, exemplum habet *Livius lib. 23. de Legatis*, quos Philippus Macedoniæ Rex ad Annibalem misit, qui in manus Romanorum incidentes Legatos se ad Romanos dixére missos, fœlici primùm mendacio, ait ille, evasêre, mox verò cogniti capti sunt, Romamq; deducti. Rectè, inquit, *Alb. Gentil. lib. 2. c. 3. de Legat* Legati enim ad Romanos non erant, sed ad hostes, itaq; hostilia molientes, si passi paria sunt, non habent, quod justè doleant, non magis quàm miles quispiam qui parci sibi ab hostib. velit, quod ipse non per se, sed pugnet pro Principe suo: & Gallus ipse si ad Turcā contra Cæsarem itionem instituisset, jure interceptus fuisset, quâ itaq; ratione Legatis ejusdem parci prætenditur? Parantem enim nos offendere, illum licitè offendimus,

l. f. C.

f. C. quibus causis in integrum restitut. necessaria non est. Oportet, *Nicephor. lib. 5.* qui citra periculum velint vivere, eos occurrere ıpendentibus malis & antevertere, nec esse cunctandum aut exectandum, ut acceptam injuriam cum periculo ulciscaris, si inesentia crescentis plantæ præcidere possis, & adversarii malè cotantis conatus opprimere. Aptè & ingeniosè ad rem *Ovidius* Fastis cecinit:

Quiq; potest alios perdere, perde prior.

dq; hanc rationem in eo scripto, quod habet *Sleid. lib. 14. coment. stat. relig.* Cæsar ipse collimare videtur, Quid verò conati sint egosus atq; Rinco illius mandata per Italiam atq; Turciam, ait, quam operam ei sæpè præstiterint, satis esse notum, voluisse eım Rempubl. Christianam proditione in summum adducere distimen. Non ergò pacis Nicænæ potuisse frui beneficio, qui pacem ıblicam ipsi violassent. Subjicit & alteram priore non minus prænantem. Deinde furtim & occultè transcurrisse per Insubriam um exulum comitatu, quod ipsum capitale est ejus regionis conetudine. Quod insuper oppositum fuit, multa esse posse, ob quæ lector viam insolitam transire velit: concedimus, & si id velit, onductum per eam à domino ejusdem expetere debet, *d. §. 16.* lioquin si eum omiserit, ad damni emendationem dominus non enebitur. Quod ipsum & resolutionem argumenti à scopo contitutionis Carolinæ ducti continet: Si enim majori commoditae & celeritate Francofurtum per viam insolitam se pervenire posarbitretur Elector, exposcat conductum, aut suo periculo si se inlicare nolit, eam ineat.

XXIII.

Quisnam Electores ad Electionem novi Imperatoris convocare debet?

Est hoc alterum membrum hujus capitis, per quem scilicet Electores ad Electionem novi Imperatoris convocari debeant, quod etsi ad Moguntinum Archiepiscopum spectare putet Carolus *in §. 18. h.* & ab antiquo eidem competiisse dicat, *in §. 2. infr. cap. 4.* res tamen non sine scrupulo transire videtur, quoniam inter cætera ideò hujus nostri CAROLI Electionem nonnulli Prin-

Principes Imperii improbant, quod non debito servato processu juris electus esset, quoniam, ait *Cuspinian. in vita Caroli IV.* Palatinus Rheni tùm habuit convocare Electores non Moguntinus, qui à parte Caroli vocationem fecerat. *Paralip. ad Abbat. Ursberg. in Ludovic. Bavaro.* Et in depositione Wenceslai Rupertus Comes Palatinus Rheni ex suo officio Imperii Principp. ad Comitia convocavit, *idem Cuspinian. in vita Ruperti.* Si itaque Caroli, imò Ruperti, qui post Carolum vixit, tempore Palatinus convocavit, quâ ratione Carolum nostrum, id ab antiquo Moguntino tribuentem excusabimus? Et si evolvantur, quæ de Impp. rebus gestis extant literis monumentisq; vestutioribus prodita ante interregnum, quo post Fridericum II. & Conradum ejus filium, atq; eas, quæ exortæ sunt de Imperio concertationes, & in Electione dissensiones, Imperium annos amplius octodecim certo gubernatore caruit, Principum aliis novo exemplo contra ll. veteres Alphonsum Hispanũ, aliis Richardum Anglum ad Imperium deposcentibus, illa ergò si perlustrentur, nulla reperietur mentio vel septem Electorum. *Peucer. lib. 4. in Otthon. III.* Aut etiam de Moguntini convocatione memoria occurret aliqua, inveniuntur Impp. per Moguntinum uncti, Ottho apud *Witekindum lib. 2. de rebus gestis Saxon.* Henricus *teste Sigeberto*, & propter primatum ad eum consecratio Regis pertinet. *Schnaffaburgens. in Annal. Ann. 1054.* Sed de convocatione silentium altum est. Non itaq; ab antiquo convocatio Moguntino; siquidem demum post interregnum atq; ita tempore Rudolphi I. Imperatoris eidem tributa fuit, qui quintus ante Carolum fuit, competiit. Et extat liber de jure Cæsareo & Regio allegatus *à Schardio in libello de Electorib. c. 9.* in quo autor ejusdẽ Moguntino Palatinum conjungit; & cum Electionem facere volent, ait, conventum Francofurtum indicunto, Moguntinus sub pœna censuræ Ecclesiasticæ; Palatinus sub pœna proscriptionis. Verùm enim verò cum Carolus tanquam Imperator, & qui ex Imperii Archivis rem potuit habere exploratissimam, attestetur, ab antiquo convocandi facultatem Moguntinum habuisse, non sanè temerè contradictio admittenda erit. Et si rem altius repetere libeat, ab antiquo Moguntinũ suos Coëlectores convocasse inveniemus. Constat enim jam à tempore Pipini, quem ritu Christiano Bonifacius Episco-

Episcopus Moguntinus inunxit, primas eum per Germaniam Imperatoris deligendi tenuisse. *Crusius part. 1. lib. 11. c. 6. Annal. Svevic.* ex cujus liberalitate jus Metropolitanum Wormatiense consecutus est, *Sigfrid. Presbyt. lib. 1. Epit. Misnens. Irenicus c. 35. lib. 3. Exeges. Germ.* ita ut ditissimus Archipræsulatus sit effectus, nam omnia penè quæ Wormatiensium juris erant, huic cesserunt. Ottho etiam Dux Brunsvicensis in Regem Neapolitanum consecratus, omne suum patrimonium Archiepiscopatui huic vendidit, totam enim Eichfeldensem regionem tunc consecutus est, *Iren. d. c. 35. in f.* ita ut tanquam Archipræsul & quidem ditissimus inter Ecclesiasticos, potentiæ intuitu primatum facilè obtinuerit. Quod si verum, consequentia non absona putamus eum, qui primas tenet, quique primus dicitur, id quod primo in omni collegio, scil. convocare competit non denegandum esse. Atq; hujus primatus intuitu cum Imperatoris filius Henricus, ait *Schnaffaburgens. in Annal. An. 1054.* consecratus esset in Regem Aquisgrani ab Hermanno Coloniensi Archiepiscopo, vix super hoc impetrari consensus Lupoldi Archiepiscopi potuit, quia ad Primatum Moguntinæ Sedis consecratio Regis, Et cætera negociorum Regni dispositio potissimùm pertinebat. Quod ipsum quoque testimonio Friderici Imperatoris hujus nominis I. satis clarescit, qui Germaniæ Episcopis, eum commonentibus, ut debitam reverentiam *Pontifici* exhiberet, respondit: Debitam patri nostro reverentiam libenter exhibemus, liberam Imperii Coronam divino tantùm beneficio asscribimus, Electionis primam vocem Moguntino Archiepiscopo, deinde, quod superest, cæteris secundùm ordinem Principibus recognoscimus. *Radericus lib. 3. cap. 16.* Quod Güntherus in Ligurino lib. 6. sic expressit:

Debita Pontifici faveat reverentia, regnum
Legibus antiquis & prisco more regatur,
Cujus ab æterno tantùm collatio Rege
Provenit, ad Proceres Electio pertinet, in qua
Præcipuam vocem Præsul de jure vetusto
Moguntinus habet.

Quod si ergò, ut Güntherus vult, qui vixit regnante Friderico I. Anni 1060. jure vetusto etiam sui temporis ratione Moguntinus

præcipuam vocem habuerit, rectè utiq; Carolus noster, qui longo tempore post Fridericum nempe An. 1356. hanc Bullam promulgavit, ab antiquo ei potestatem convocandi competiisse dicit. Nec enim à jure primæ vocis ut *Radericus*, vel præcipuæ, ut *Güntherus* loquitur, convocandi prærogativa separari potest, quod etiam ostendit *Schnaffaburg. in Annal. An. 1073.* Archiepiscopus Moguntinus, ait, cui potiss. propter Primatum Moguntinæ Sedis eligendi & consecrandi Regis autoritas deferebatur, Principes de toto Regno Moguntiam evocavit, ut communi consilio Rudolphum Ducem Regem, constitueret. Et constat, quod Moguntinus Imperii per Germaniam Archicancellari, dignitatem à tempore Caroli M. sibi vindicet, ut ostendit diploma confirmationis Monasterii Gengebachensis, in quo interventu petitionis Lutvvardi & Archicancellarii se ad eam permotum perhibet Carolus M. *Crus. part. 1. lib. 11. c. 4. Annal. Suev. Knitb. v. Electorum c. 1. n. 47. de Sax. non provoc. jur.* cujus intuitu decreta Imperialia olim solus signavit. *Tob. Paurmeist. lib. 2. c. 2. nu. 33. de Jurisd.* Archivum Imperii penes se servat. *Rutger. Ruland. lib. 5. c. 4. n. 10. & seq. part. 2. de commiss.* & consilium cum Cancellaria, quæ in aula Imperatoris habetur, juramento ei obstringitur. *Thom. Michaël th. 28. de Jurisdict.* Et ideò ut caput sanctioris istius Electoralis consilii meritò alios convocat, eiq; ut Budæi verbis utar, de Cancellarii officio agentis, omnes Magistratus honori suorum fasces submittere non indignantur, *ad tit. de offic. præf. prat. Lancellot. lib. 1. c. 1. §. 4. v. Cancellarii, de præstantia & potentia Imperatoris.* Invenio etiam Moguntinum se Decanum Principum Electorum scribere, uti constat ex Epistola Electorum ad Papam Benedictum XII. Sanctissimo in Christo Patri ac Domino, incipit Epistola: Domino Benedicto Papæ, vestri devoti filii, Henricus Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Moguntinensis Electorum Principum Decanus, nec non per Germaniam Sacri Imperii Archicancellarius &c. *extat tom. 1. Germ. Scriptor. Freheri inter Annales Rebdorphii fol. 425. quod idem Freherus lib. 2. cap. 2. ad Petrum de Anthlo ex lib. ceremon. Eccles. Roman. comprobat.* Principes Electores Romani Imperii, habet textus, digniores habentur aliis Principibus præter Reges, sicut Cardinales aliis Prælatis ratione Electionis, hi septem

tem numero sunt, Tres Archiepiscopi &c. Moguntinus qui &
ecanus est Elector &c. Convocat ergò Coëlectores suos, quia
Decanus non solùm est cæteris honorabilior, *cap. post electio-
m extr. de conceß. præbend. P.-Gregor. Tholos. lib. 2. tit. 9. cap 5.
m. 4. partit. J. C.* Et est prima dignitas post Pontificalem,
a decis. 318. part. 1. Unde cum Moguntinus, Trevirensis, nec
ulió post Coloniensis ad consilium Tridentinum venissent,
agnâ omnium gratulatione, ait *Thuanus lib. 8. non procul à
Histor. sui temp.* & lætitiâ accepti sunt, quod post Legatos
ntificios præcipuum gradum dignitatis obtinerent, ob idque
agnam Synodo autoritatem conciliaturi crederentur. Verùm
iam, quia Decani est convocare. *Æneas Sylvius cap. 30. in
script. German. Paurmeist. lib. 2. cap. 2. num. 45. de Jurisdict.*
ideò post obitum Henrici V. Imperatoris à Moguntino cu-
s hoc est officium, ait *Cuspinianus* Lotharius in Regem Rom.
signatus est. Et cum Pontificis fulmini innodatus esset, Ot-
o IV. primas in Electione Friderici habuit Moguntinus, *Cu-
nianus in vita ejusdem.* Cumq; in odium Friderici II. Imper. iti-
m Pontifex Electores ac alium & non ex sanguine ejusdem or-
m instigaret eligendum, primas Moguntinus in designatio-
Henrici habuit. *Cuspinianus in vita ejusdem.* Cumq; Albertus
dolphum profligâsset, & adesset Gebhardus Moguntinus Archi-
iscopus, qui videns Adolphi cadaver flens diceret: Ah! quàm res
at deploratissimæ, quod probissimum cor, quod in mundo est,
jacet; timens ideò Albertus, ne Moguntinus non ratam ha-
ret Electionem, affatur Episcopum: Non dimittam vos, inquit,
si meâ re absolutâ, & profectus Aquisgranum coronatur Alber-
s. Paralipom. ad Abbat. Ursperg. in Adolpho. Et Anno Domini
46. provisus Moguntinus de Nassau, ait *Albertus Argenti-
nens. in Chron. d. anni* ad villam Rhens super Rhenum ad Fe-
m quartam post Margarethæ ad eligendum Regem Princi-
s convocavit, ubi convenientes Imperium diu vacasse decer-
ntes, prædictum Carolum hunc scilicet nostrum in Regem
omanum eligerunt. Germani jampridem, ait *Dubrav. lib 22.
stor. Bohem.* Roberto Bavaro amisso, quem Wenceslao su-
rstiti surrogaverant, rursus ad alium ei surrogandum animos

G 2 adji-

adjiciunt, Moguntino Comitia Electoribus indicente. Et mortuo Maximiliano I. pro consuetudine Imperii, inquit *Schleid, lib. 1. de statu Relig.* à Maguntino cæteri Electores convocati sunt. Et cum Carolus V. Ferdinandum fratrem in Regem Rom. provectum vellet, Moguntini literis, nam ejus in eo primæ sunt partes, ait *Schleid. lib. 7. d. loc.* cæteri convocati fuerunt. Fuit autem tempus, quo insigni astutiâ Pius II. Pontifex, antè Æneas Sylvius dictus, hoc jus convocandi Moguntino intervertere conatus fuit, & per obliquum jus eligendi Cæsaris in Sedem Romanam derivare. Nam Archiepiscopum Maguntinum Comitem Isebergium cogere voluit, ad sese juramento obstringendum Sedi Roman. & successoribus, ne unquam, nisi assentiente Romano Pontifice, Moguntinus Electores convocaret, *Peucer. lib. 5. Chron. in pr.* Sed mucro acutissimi illius gladii ab Imperii jugulo, plerorūq; Princip. Electorum prudentiâ, præsertim verò Moguntini Antistitis industriâ, Friderici Palatini fortitudine, & Ludovici divitis Briariæ Ducis ope rejectus est, *Nicol. Cisner. in Orat. de Otthone III.* Ita ut in hunc usque diem ejus juris prærogativa etiamnum Maguntino salva sit. Nec magnoperè nos eo, quod Carolo nostro de omissione debiti processus, circa vocationem ex Cuspiniano objectum diximus, moveri oportet. Nam aut Principum ei adversantium vanus is prætextus fuit, qui ut in dissidiis pro veris falsa, dummodo causæ color aliquis inducatur, sæpè miscentur, hoc Carolo injustè objecerunt; aut si ex sententia Cuspiniani prolatum hoc accipiatur, lapsum memoriæ eum sustinuisse necessum est, confitemur. Nam quæ ex Raderico, Ligurino, Schnaffaburgensi & aliis prolata sunt, evidentiora sunt, quàm ut ullo effugio eludi queant. Quale & itidem illud à memoriæ fluxu profectum non immeritò censemus, dum arbitratur, ex officio suo Palatinum Rubertum ad publica Comitia Principes convocasse: quia nondum, ait, Aurea Bulla firmata erat, nam plusquam certum est anno Caroli Imperii primo in Comitiis Noribergæ habitis firmatam comprobatamq; Bullam fuisse, ut principium ejusdem ostendit, adeoq; juxta ejus tenorem Wenceslai Electio Successoris filiiq; Caroli, vel ipso Cuspiniano teste, instituta fuit, recepta ergo Bulla fuit, ratio itaque alia convocationis à Palatino Ruberto factæ reddenda, quæ hæc

fuit

fuit: Cũ depoſito Wenceslao Electores Fridericum Ducem Brunſvicenſem natum Magno juniore & Catharina filia Woldemari Marchionis Brandenburgenſis poſtremi ex ſtirpe Aſcania, Imperatorem deſignaſſent; Moguntini inſidiis ad Frislariam interfectus fuit, quod atrox, & parricidiale ſcelus, cum Princ〈ipp〉. Imperii indignisſimè ferrent, & Moguntinum meritò deteſtarentur, Rubertus Palatinus, ne Imperium capite orbatum pejora perferre cogeretur, Princ〈ipp〉. Electores convocavit, *Peucer. lib. 5. in Rubert. Pantaleon in Frideric.* non, quia aurea Bulla nondum recepta fuerat, ſed quod Moguntinus propter atrocitatem ſceleris, quo ſe inquinaverat, Electorum congreſsibus arceretur. Quod tertiò objectum fuit, de convocatione Moguntini non multa literis prodita extare; non admodum ſtringit, quia utiq; ejus rei pro ratione temporum iſtorum, quibus homines noſtri propter imperitiam & negligentiam, vel ſcribere non curarunt; vel quid ſcribendum præcipuum foret & potiſsimum non intellexerunt, ut ait *Fabric. de orig. Sax. lib. 2.* ſatis aperta extare teſtimonia oſtendimus, cum enim Moguntinus jam à tempore Pipini primas per Germaniam deligendi Imperatoris tenuerit, non ineptè & eum jam convocaſſe, rationibus antea tactis collegiſſe videbimur. Quod attinet autorem libri à Schardio allegati, Moguntino Palatinum conjungentem, ſanè cùm argumenta illa omnia, quæ ab inſtituto & uſu majorum deſumta, vel maximè attendenda ſunt, *Knich. verſ. Ducum c. 2. n. 104. de Saxon. non provoc. jure.* incurrat, non magni autoritas ejus facienda erit, quod agnoſcens Schardius ait, etſi enim libri, paucis hucusq; cogniti, non eam fidem fore cernerem, ut ejus autoritate contra quoslibet irrefragabiliter niti poſſent.

XXIV.

Quid ſi tempore eo, quo convocatio fieri debet, non ſit Archiepiſcopus, ſuccedetnè Capitulum?

Et quidem affirmativam ſententiam tueri videtur id, quod Bonifacius VIII. conſtituit: Epiſcopali ſede vacante, ait, poteſt Capitulum, ſeu is, ad quem Epiſcopalis jurisdictio tunc temporis

tur *Bl. in l. 1. n. 4. vers. item hæc dictio C. de bon. poss. contra tab.* quod si ordinatum sit, ut solus Episcopus aliquid faciat, per hoc non intelligit esse exclusum Capitulum ipsius Ecclesiæ, quia dictio taxativa non excludit ea quæ connexa sunt. *Pacian. lib. 1. c. 31. n. 6. de probat.* Connexum a. usq; adeò Capitulum Episcopo est, ut ejus membra dicantur esse Canonici *c. novit extr. de his quæ fiunt à Prælat. c. cum non deceat de elect. in 6. Picard. d. cons. n. 52. n. 140.* & pars corporis Episcopi, sicut Cardinales Papæ, *Heig. lib. 1. quæst. 4. n. 63.* & inter Episcopum & Capitulū spirituale conjugium esse perhibetur, quod electione iniatur, ratum fit confirmatione, consummatur in consecratione, ut Innocentius III. ad Moguntinensem rescripsit *in c. licet, extr. de translatione Epis. Pet. Greg. Tholos. l. 1. tit. 29. c. 7. part. tr. Can.* Verùm his non attentis Capitulo convocationem minimè concedendam esse arbitramur, moti cùm textu nostro, tùm rationibus sequentibus. Textus quippe loquitur de Archiepiscopo, non verò Capitulo, præterea statuimus ac etiam ordinamus, habet textus, ut Archiepiscopus Moguntinensis, qui fuit pro tempore, singulis Principibus Coëlectoribus &c. debeat literis intimare *l. §. 18.* & subjicitur per Archiepiscopum Moguntinensem jubemus & decernimus suis patentibus literis declarari *in §. 19. & in c. 1. §. 2. infra.* Et tunc Moguntinus Episcopus potestatem habebit &c. Aliud verò est Capitulum, alius verò Archiepiscopus, propriè loquendo Archiepiscopus tanquam summam dignitatē habens non est de Capitulo sed soli Canonici id constituunt *c. cum in cunctis in fin. ibi & Capitulum aut Metropolitanum, extr. de electione. Marcus decisione Delphin. 1171. n. 4 tom 1.* Et in materia indifferenti appellatione Episcopi non venit Capitulum, *Felin. in c. eam te n. 17. de rescriptis.* Deinde vult Carolus, si Archiepiscopus in executione & intimatione hujusmodi negligens aut remissus existat, quod tùm Coëlectores motu proprio convenire possint *d. c. 9. hic.* Si verò Capitulum convocandi jus haberet, utiq; negligente convocationem Archiepiscopo id obtineret, quia dictum est Innocentii, quod Episcopo negligente aut peccante potestas ejus devolvatur ad Capitulum & probat *c. nulla. extr. de concess. prabend. Innocent. in d. c. cum in cunctis n. 7. de elect.* Insuper constat, quod Capitulum sede vacante nō succedat in iis, quęEpiscopo nō ut Episcopo, sed aliunde competunt *c. 2. extr. nè sede vacante aliquid innovetur. Rom. cons. 506. n. 14.*

Ratio-

Ratio diversitatis est secundum *Innocent.d. n. 7.* quia in iis, quæ ad eos proprio jure pertinent, est inter eos major conjunctio, quàm in aliis, quæ aliunde obveniunt. Atqui verum est, quod jus convocandi Moguntino non tanquam Episcopo sed Principi & Electori Imperii competat. Hinc per discursum in hac Bulla dicuntur Principes & Ecclesiastici Electores *c. 1. in pr. & §. 2. 3. 5. 6. 16. 20. 21. 22. & c. 2. & c. 3. §. 1. & 2. c. 4. c. 6. in pr. & passim. Pet. Heig. lib. 1. quæst. c. 4. n. 53.* Unde & Archicancellarius Imperii audit *c. 2. hic,* & ab ipso non ad Papam sed ut Imperii Principe ad Cæsarem appellatur, *Gail 1. obs. 30. n. 1.* & per consequens Capitulum in jure convocandi non succedet. Quartò & hæc ratio addi potest, quod Capitulum non succedat in iis, quæ Episcopo jure speciali seu privilegio competunt, *Marc. d. decis. 81. n. 7. Pacian. c. 27. n. 25. lib. 1. de probat.* Moguntinum verò jure speciali & privilegio ipsi ab antiquo competenti convocare constat *c. 4. §. cæterum infrà.* Quin si Capitulum, sit hæc quinta ratio, non potest beneficia illa, quæ ad solum Episcopum pertinent, conferre, *c. illa. extr. nè sede vacante c. 1. & 2. nè sede vocante in 6.* certæ paritate rationis Principes Electores convocare, cum hoc ad solum Archiepiscopũ ut Principẽ Electorem spectet, haud poterit, & si deniq; in vicarium generalem, qui tamen in locum illius Episcopus suffectus dicitur, *Felin. in c. eam te n. 17. extr. de rescriptis. Picard. d. cons. 52 n 74. & seq.* Non transeant ardua aut reverentialia, *Picard. d. cons. n. 98.* utiq; nec in Capitulum arduum atq; illustre hoc convocandi jus, utpote cum illud supra vicarium fimbrias suas dilatare nequeat, *Picard. d. cons. num. 5. & seq.* transire poterit. Nec ab hac opinione nos retrahere debent illa, quæ pro affirmvtiva disputavimus. Nam argumentum primum procedit saltem in iis, quæ Episcopo ut Episcopo, non verò aliunde competunt, *Rom. d. cons. 506. n. 14.* Jus verò convocandi Archiepiscopo Moguntino non ut Archiepiscopo sed ut Principi Imperii competit, & ideò ad Capitulum id transire nequit, nec huic obloquitur *d. c. cum olim extr. de major. & obœd.* quia agit de electione confirmanda vel infirmanda ejus, qui Capitulo à conventu ipsi subjecto repræsentatur, quod potest, quia utique id Episcopo ut Episcopo conceditur, Ergò & vacante sede Capitulo largiri debet, quod ad convocationem Electorum transferri nequit, quia uti

dictum

lictum est, ea Archiepiscopo non ut Archiepiscopo, sed ut Principi mperii, & quidem speciali ex privilegio concessa est, quo ipso similiter concidunt illa, quæ pro tertio opposita fuêre de potestate penes Capitulum residente, & hinc promanantibus, eligendi, absolvendi, conferendi & aliis juribus, rectè enim illa omnia Capitulum sequitur, quia jure communi & non speciali ad Episcopum pertinent, *Felin. in d.c. eam te. n. 17. de rescriptis.* Atque eodem modo & rectè illa, quæ dignitatis summæ sunt, peragit, dummodò sedi Episcopali ut Episcopalis dignitas competant, qualis est, ut Capitulum Austregarum privilegium habeat, etiamsi dissentiat *Gail d. obs. 30. n.* . & ad comitia vocetur, quia utrobique intuitu dignitatis Episcopalis Capitulum suspicitur, corruitq; *Baldi* decisio ex iis, quæ acutè contra eam disputat, *Decius in l. 1. num. 5. C. de bonor. poss. contra tab.* constet sive cadat connexitas Episcopi & Capituli saltem in iis, quæ illi communi & ordinario, non verò speciali jure competunt, obtinet, *Roman. d. cons. num. 14. Felin. d. c. eam te. num. 17. Pacianus d. 27. nu. 25. de probationibus*, quia in illis major, quàm in his est conjunctio, inquit *Innocent. in d. c. cum in cunctis. num. 7. de Electione & electi potestate.*

XXV.

Quomodo convocatio facienda est?

Moguntinus ergò solus convocat, qui tamen nè, prout voluntas ipsum duxerit, in convocatione procederet, certus ei præscriptus est modus, quem strictè insequi & observare tenetur, præterea statuimus ac etiam ordinamus, ait Carolus, ut Archiepiscopus Moguntinensis, qui pro tempore fuerit singulis Principibus coëlectoribus suis Ecclesiasticis & secularibus electionem eandem per suos nuncios patentibus literis debeat intimare, *d. §. 18. hîc*, & rectè. Si enim in Episcopi aut alterius electione de forma ejus esse habetur, ut Capitulum vel Collegium integrum convocetur, cuti verbis Innocentii III. clarescit, statuimus, inquit ille, ut cum electio celebranda fuerit, præsentibus omnibus qui debent interesse, &c. *in c. quia propter extr. de elect. & electi potest.* Ubi *Innocent. aliter & ejus nominis IV.* sed tum temporis juris Canonici interpres *1.* notat, quod electio communis in Capitulo seu Collegio de necessitate formæ sequi debeat, sanè ea in electione novi Imperatoris

minimè negligi debet. Ut enim per hanc temporale caput populo Christiano constituitur, *c.2.§.1.infr.* & de re omnium gravissimâ instituti disceptatio necesse est, absonum utiq; fuerit non omnium eorum, quos electionis actui interesse oportet, vota exquirere, *Marc.decis.Delphinal.779.n.8.tom. 1.* quod subindicare nostri tum volunt, cõmunibus suffragiis explosa, *Hostiensis* sententia, tradunt, jus eligendi Imperatorem non ut ad singulos, sed ut Collegium & universos pertinere, *Lupold.dè Babenberg.c.6.de jurib. regni & Imperii Romani, Henning.Goëden consf.1.vers.de modo & eligendi forma n.1. Simon.Pistor.cons.1.n.9.Volum.1.inter Modestini consilia.* Id enim hunc intellectum recipit, tunc scil. rectè ad electionem procedi, non ubi unus aut alter, sed omnes & collegium integrum convocatum fuit, estque itidem, ut hoc addamus, jus eligendi tanquam incorporale quoddã individuum, & ideò ad omnes Electores insolidum pertinebit, ut nullus eorum negligi possit, idque exemplo juris patronatus constare poterit, quod si pluribus hæredib. competat, dicitur apud singulos insolidũ esse, ita ut omnium in eligendo requiratur assensus, *Modest.Pistor.cons.44.n.61.volum. 2.* Quapropter si unus Electorum vocatus non fuit plus ejus contemtus electioni quã cæterorum contradictio adversatur, *cap.venerabilem extra de Electione, & electi potestate.* Poteste; is, si velit contẽtum annihilatione electionis vindicare, *c.quod sicut extr.de Elect.c.in genesi eod.tit.Innoc.n..8. Lancell. lib.1.c.1.§.2.q.4.in prin.in templo omnium judicum Goëden d.l.n.7.& 8.* Quapropter cum Lotharius Imp.defecisset, ciq; substituendus alius esset, quidam ex Principp.timentes, nè fortè in generali curiæ Henricus Dux Bavariæ, qui tunc præcipui nominis & dignitatis in regno fuit, per potentiam prævaleret, consilio habito in oppido Galliæ Confluentia conventum celebrant, ibique Conradum Imperatoris Henrici Sororium Regem creant, at Saxones & Dux Henricus aliiq; qui ad electionem vocati non erant, Regem non legitimè sed per subreptionem electum prætendebant, *Otto Frisingens.lib. 7. annal. cap. 22.* Et cum in Ludovici Bavari electione Principp.Electores seculares indignum putarent, quod ab Ecclesiasticis solis ea potestas expectaretur, non expectatis tribus Archiepiscopis Electoribus ad electionem procederent, Archiepiscopi id ad suum contemtum reputantes, nullam esse electionem de Ludovico absque

ipsis

ipsis peractâ protestati sunt, *Paral. ad Ursberg. in Ludov. Bavaro.* Restitique cum aliis Principibus Comes Palatin. Carolo huic nostro inter alia prætendens, quod non apertè sed latenter, i. e. non omnibus Electoribus legitimè & ut oportet convocatis, electus esset, *Cuspin. in vita Caroli IV.* Et cum tempore Electionis Maximiliani eò, quod fortè non satis conveniebat inter Fridericum Cæsarem & Regem Bohemiæ, præteritus fuisset Bohemus, adeò non dissimulanter tulit, ut pœnam aureæ Bullæ, in quem inciderunt Principes, acerrimè interbellando postulare non cessaret, armaq; præter hoc se illaturum minitaretur, rediteq; in gratiam aliquandiu, litiq; renunciare pertinaciter recusârit, nisi ea conditione, ut remitteretur Regibus Bohemiæ jus illud Imperatorũ, quod Reges Bohemiæ Imperatores in Italiã in personis euntes sequi coguntur, aut loco ejus servitii 800. ducatos quoties Imperatorem Alpes transcendere contigerit, exsolvere, illo negato, à Cæsare Friderico tandem sub pacto & conventione ulterius ipsos nequaquam prætereundi Reges Bohemiæ sub pœnâ 500. marcarum auri decisum transactumque fuit, Et Ladislaus Rex ratificata electione Maximiliani quæsitis liti & juri renunciavit, Principibus hac etiam excusatione utentibus, electionem Maximiliani non ex prædestinato Francofurtiæ, sed urgentibus de causis perceleriter atq; subitariè celebratam, *Hartman. Maurus de coronat. Caroli V. tit. quo apparatu &c.* cujus loci recitatione cõmonemur, eos in hæresi esse, qui Regẽ Bohemiæ tunc demùm convocandum esse statuunt, cum alii Electores discordant, *Gœden. I. cons. 1. num. 10. Petr. de Andlo lib 2. c. 2.* de Imperio Romano. Incurrunt enim illi, præter jam citata, textum nostrum, qui vult omnes Electores convocandos esse, Bohemiæ verò Rex Elector est, *in principio & c. 1. §. 10. & c. 4. §. 3. & passim in hac Bulla.* Ut mirer, *Joannem Dubravium diligentem alioquin rerum Bohemicarum scriptorem lib. 6.* scriptum reliquisse additus tamen, ait, sex illis Principibus postea Rex Bohemus fuit, Elector septimus ad tollendam discordiam, quæ inter pares numero pari suffragio concurrente nonnunquam intercidebat, quem errorẽ ex aliorum sententia, *Crantz lib. 9. c. 26. Chron. Sax.* quoq; tangit, quamvis contendant nonnulli, inquit, Bohemiæ Regi jus non esse eligendi, nisi paribus invicem vocibus cæteri

 dissen-

diſſentiant,hi enim etſi concedere videantur Regem Bohemiæ ex præſcripto Carolino ad electionem vocandum eſſe, attamen non alias eſſe ejus partes,quàm ut paribus ſuffragiis ſaltem interveniat velle videntur,cum tamen diſertè Carolus ei *in cap.4.§.3.infr.* tertium ſuffragium tribuat,quod etiam notat *Thuan.lib.2.non procul à princ.hiſtoriarum*,ſed de hac re *ad c.4.* plura.

XXVI.

In quibus quidem literis talis dies & terminus, ait Carolus, exprimatur,infra quem,eædem literæ ad ſingulos eoſdem Principp. veriſimiliter poſſint pervenire, continebuntque ut à die in literis expreſsâ infra tres menſes continuos omnes & ſinguli Principp. Electores ad Francofurtum ad Mœnum conveniant vel ſuos legales ad eundem terminum atque locum nuncios deſtinare, cum plenâ & omnimodâ poteſtate,ſuiſque patentibus literis majori cujuslibet eorum ſigillo ſignatis ad eligendum Romanorum Regem in Cæſarem promovendum,&c. Quibus ex verbis à veteri & ante Caroli tempora conſuetudine recepta recedi conſtat,nam ut autor eſt *Lupoldus de Babenberg*, qui vixit tempore Balduini Comitis Lutzenbergenſis fratris Henrici VII.Imp.Archiepiſcopi Trevirenſis, atque ita ante Carolum noſtrum circiter annum Domini 1307.ut apparet *ex dedicatione dicti libri de jurib.Regni & Romani Imperii*, vacante Imperio juxta conſuetudinem antiquam,hactenus circa hoc obſervatam,verba ejuſdem *in c.6.recito*,conveniebant in villa Reinſee, ubi more aliorum collegiorum ſtatuebant terminum ad electioné Regis Rom.in oppido Francfurt. per eos communiter faciendam &c.ubi & de aliis Imperii rebus acturi convenire, Electores ſolebant,& celebre illud decretum tempore Ludovici Bavari factum fuit,ſacrum Rom.Imperium ſummum eſſe univerſi orbis magiſtratum,& à nullo niſi Deo recognoſci,*Aventin.lib.8.Crantz.lib 9.cap.15.in Saxonia*,qui Francofurti id promulgatum eſſe arbitratur, *Paralip.ad Vrsbergenſ.in Ludov.Bavaro.* Quod quoque in Caroli hujus noſtri electione ſervatum, teſtantur *Paralip.ad Vrsbergenſem.* Anno eodem Gerlachus de Naſſau Archiepiſcopus Moguntinus ad Rens convocat Principes obediturus mandato Papæ, convenerunt Balduinus &c. Carolum Moraviæ Marchionem filium Regis Bohemiæ Regem Romanorum elegerunt, in Ludovico Bavaro &c

Verùm

Verùm cum Carolus intelligeret, Principes & Magnates æquali potentiâ præditos, rarò in collocutionem descendere debere, fieri enim non potest, inquit *Cominæus lib.3.comm.de rebus gestis Ludovici XI.* quin ipsorum familiares de rebus anteactis loquantur, non absque molestia & fremitu alterius partis alii sunt aliis elegantius vestiti, nascitur ex eo ludibrium & jocus, ex ipsis quoque Principibus alii aliis sunt decentiores & aspectu magis honesto, iis jucundum est prædicari à multis, neque id fieri potest absque alterius, qui deformior est vituperatione, dimisso conventu passim ab omnib. jactantur ista, initiò quidem tacitè & submissè, postea verò palam & clarè, quod exemplo Ludovici XI. Galliarum Regis, & Henrici Regis Castiliæ, *Cominæus d.l.* Friderici III. Cæsaris & Caroli Ducis Burgundiæ, *Georg.Lauterbach.* Regentenbuch/*lib.3. c. 14.* ostendunt. Vidi, inquit Cominæus, quo tempore Carolus Dux Burgundiæ Comitem Palatinum Rheni per complures dies honorificè tractabat Bruxellæ, Burgundiones dicebant Germanos esse, sordidiores in rebus omnibus, ideò potissimùm, quod ocreas conjicerent in lectos cubiculares splendidè magnificeque paratos & levius multò, quàm antea, quum nondum vidissent, de iis judicabant, Germanis autem displicebat luxus ille immodicus & ostentatio, &c. Cumque itidem exploratum Carolus noster haberet, Principes æquales ut opes potentiamque suam ostentent, sumptuosissimos in congressibus mutuis sese exhibere, utpotè qui non rarò divitiarum & pecuniæ fructum non alium quàm profusionem credant, sordidos ac parcos illos, Neronis exemplo, appellantes, quibus ratio expensarum nota est, prælautos verò ac magnificos, qui divitiis abutuntur ac insanè facultates perdunt,

Proloquar atq; utinam patriæ sim falsus aruspex,
Frangitur ipsa suis patria nostra bonis.

& ne exteri hostesque Imperii custode publicæ pacis à statione diutius æquo remoto animum ad Imperii facultates occupandas adjiciant, quod non rarò & quidem præcipuè Maximiliano I. rebus humanis exemto Turcarum Imperator observavit, pacato regno in Syria & Ægypto magnâ felicitate cogitationes suas ad Pannoniam occupandam adjecit, eamq; in rem omni curâ & studio incumbebat, neque Gallus Mediolanum nemine jam adversante tenens non

minimam ſpem Imperii ad ſe trahebat, *Georg. Sabin. de Elect. & Coronat. Caroli V.* itaque his aliiſque difficultatibus & remoris Carolus obviare cupiens, nec conſultum reputans Electores in poſterum pro termino ad Electionem Regis Romanorum ſtatuendo convenire conſtituit, ut intra 3. menſes continuos à die in literis Moguntini expreſſa Francofurtum, vel ipſi aut ſi impediantur, eorum nuncii conveniant. *d. § præterea hic, & rectè.* Si enim privati, qui, ut Ulpianus ait, rebus ſuis ſupereſſe ipſi vel nolunt vel non poſſunt, per alios vel agere vel conveniri poſſint, *in l. 1. §. 2. ff. de procurat.* ſane id Electoribus, quibus vel temporis momento à curis & ſummis negotiis animus vacuus non eſt, minimè denegari debuit, nec enim viros Principes & Illuſtres ob Principatus amplitudinem, verba ſunt *Antonii Gueverræ lib. 1. c. 29. in horolog. Princip.* à ſervitute, ne dum curis immunes arbitrandum, multis enim partib. intolerabilius eſt animum curis ac ſolicitudinibus oneratum, quàm pedes ac colla ferro vincta habere; ſervo, ſi bonus ſit, catenæ laxantur, at Principes ac Dynaſtæ quo majores eſtis, eò majoribus obruimini curis, Principis enim, cui verè cordi eſt ſalus Reipublicæ, ne punctum quidem temporis quietus eſt animus, ſervus, tum vivit, ſe manumiſſum iri ſperat, at vobis nulla uſque ad mortem uſque ſperanda eſt libertas, ſervo compedes certo pondere impinguntur, at vobis ſine menſura curæ cumulantur, gravior enim animo triſti eſt una curarum uncia, quàm decem ferrei ſentibundia corpori, ſervus ſolitudinem nactus ferrum frangit aut lima atterit, at in vobis ſolitudo mille animum curis divexat, loca quippe ſolitaria Xyſti, ſunt mentium afflictarũ, ſervus, ubi opera ſua uni ſatisfecit, omnibus ſatisfecit, at vos Principes cunctis ſatisfacere neceſſe eſt. Boni enim Principis eſt ſolum tempus ſuum ducere, & ſibi impendere, cætera quæ habet omnium habere bono. Scitum eſt illud Platonis: minimam Principis partem ipſius eſſe debere Principis, ut enim Princeps totus ſit ſuus, nullam ſui ipſius partem habeat, oportet. Servus ſi interdiu laborat ſine cura & ſolicitudine nocturno tempore quieſcit & dormit, at Principes diem interpellationes audiendo, noctem verò indigeſta edendo ſuſpiria tranſigunt. Poſtremò ſeu bonus ſeu malus ſit ſervus vitâ ipſius finitâ, miſeria ipſius finitur, nullâ ipſius manente memoriâ, ſed quid de miſero

ſero fiet Principe quando moritur? Nam ſi probus fuit, brevis manet probitatis ipſius memoria, ſin verò improbus, nunquam ipſius occidit infamia, hactenus Gvevera. Et ideò cum puncto temporis variæ magnæque difficultates multa impedimenta, in eorum licet ſalutari & placitâ gubernatione improviſa ſapientiæ humanæ Principisque præſentiam expoſcentia, obtingere poſſunt, nil mirum, ſi Electoribus per nuncios vel Procuratores Electionis actum peragere conceſſum ſit, præſertim cum & aliàs abſens, ſi eſt in loco, unde vocari debet, juſtoque impedimento detineatur, Procuratorem conſtituere poſſit, qui vice ejus Electioni interſit, qui ſi ab Electoribus non admittitur, Electionem impugnare poteſt, *c. quia propter. extr. de Elect. & electi poteſtate.* Quia eo abſente facta eſt, cum potuerit eſſe per ſe vel per Procuratorem præſens, quorum alterum ſufficit, ait *Innocent. in d. c. quia propter. n. 10.* Et ideò cum Maximiliano I. mortuo Bohemiæ Rex Ludovicus à Moguntino Francofurtum cum aliis Electoribus literis eſſet vocatus, Legatum ſuum Ladislaum Sternebergum miſit, *Sleid. lib. 1. comm. de ſtatu Relig.* cumque divæ memoriæ Rudolphus II. nuper in fata conceſſiſſet, Electoresque ad eligendum Regem Rom. de more Francofurtum convenirent, modernus Elector Brandeburgenſis Dn. Joan. Sigiſmundus Legatum ſuum Dn. Adamum Gans, Dn. in Budliz eò ablegavit, *relatio actus Elect. Divi Matth. II &c.*

XXVII.

Quod tamen juris Canonici autores non aliter, quàm ſi juſto impedimento Elector impediatur, admittunt, ſuper quo, ſi opus ſit, fidem faciat juramento, ut loquitur *Pontifex in dict. c. quia propter. §. illud autem. de Elect. & Electi poteſt.* Cujus tamen deciſio an ad Principes Electores transferri debeat, equidem ſubdubito, tum quia textus noſter *in §. præterea. & §. Princeps verò hîc*, hujus juramenti mentionem faciat nullam, cum quia impedimentum in illis permanens ob negociorum varietatem præſumitur, magna Imperia, ut Seneca ait Suaſor. 5. nuquam otioſa ſunt. Alphonſus Arragonum Rex, cum inter cœnandum à difficili & importuno quodam ſene uſque adeò interpellaretur, ut vix edendi poteſtas eſſet, ſubclamavit: Aſinorum conditionem longè melio-

meliorem quàm Regum esse, illis quidem comedentibus dominos parcere, Regibus neminem. *Panorm. lib. 1. n. 12. de dictis & factis Alphonsi &c.* Et Henricus II. Gall. Rex aliquando multitudine sollicitantium in tantum pressus, ut Spiritum trahere impediretur; per Deum circumstantes, ut spacium respirandi fenestramque ei aperire concederent rogare, coactus fuit,

Sic mendicabat vilem Rex maximus ille
Aëra, quo miser in triviis mendicus abundat.
Dicite privatâ quis vestrûm talia vitâ
Ferre velit, &c.

Sicut de hoc ipso facto *Michaël Hospitalius Epist. lib. 1.* scripsit, ut non ineptè *Lucretius lib. 5.* cecinerit:

———Satius multo parere quietum
Quàm regere Imperio res velle & regna tenere.

Exemplum tamen contrarium *Goldast. in replic pro Imperio fol. 137.* adfert. Defuncto quippe Rudolpho Cæsare, cùm Electores Anno 1292. Francofurtum venissent, & Wenceslaus Bohemiæ Rex per Legatos suos jus ac vocem suam Archiepiscopo ac Electori Moguntino, ad cujus metrpolin tunc Bohemia spectabat, & à quo Rex inungi ac coronari consueverat, delegasset, attestatur Gerhardus Archiepiscopus in instrumento eâ de re confecto, So haben die Männer des Königes aus Behmen / daß er zu dieser Wahl eines Römischen Königes selbst persönlichen aus Ehehafften nicht erscheinen können/mit ihrem Eyde bekrefftiget / vnd erhalten/ꝛc Ex quo diplomate & illud elici posse videtur, tum, cum Procurator substituendus absentis loco venit, non extraneum sed Coëlectorum aliquem nominandum esse, est enim, quod Seneca in proverbiis dixit; Optimum sequi majorum vestigia, si rectè præcesserint, & ex instituto majorum & usu argumentum valet, *Modest. Pist. cons 51. num. 35. volum. 1.* Quod quidem juris Canonici disertè sanctio requirit, *dict. c. quia propter. § illud autem. extr. de elect. & elect. potest.* Nec deest ratio, quia haud consultum videtur, tàm illustris collegii arcana in extranei cognitionem devenire, illa enim pluribus auribus, ut *Nicephorus* dixit, commissa multifariam erumpunt, amissoq; arcanorum nomine fama celebris dici debet; Attamen quia textus noster id non expressit, & contrarium exempla superiora Regis nempe

Bohemiæ Ludovici & nunc regentis Electoris Brandeburgensis, qui extraneos miserunt, nec repudiati sunt, ostendunt, supervacaneum erit eâ de re cum adsit observantia, ulterius disquirere.

XXVIII.

Si tamen Elector collegæ vices suas demandârit, dubitari potest, num is duplicem vocem habere debeat?

Et quia in Electione Regis Romanorum judicio majoris partis statur, §. *postquam autem c. 2. infr.* Ideò si pares sint, utrinque, licet unus duas voces habeat, dicendum videbatur, quod una pars prævalere haud debeat, *Innocent. in d. c. quia propter. n. 14.* Verùm cum nullo effectu Elector Electori vices suas committeret, si non ex commissione is, cui committitur votum, consequeretur duplex, utique stante quamvis paritate votorum, is voto suo altero majora efficere poterit, hunc enim ob finem constituere Procuratorem vicemque alteri Elector absens committere solet, ut is jus, locum, ac vocem in collegio suam sustineat, *l. 1. ff. de procurat.* Hinc & in allegato diplomate Moguntinus ait: Haben wir auch mit Willen unserer Mitch Churfürsten seine Stelle eingenommen/ und so wol für unsere Person/als an statt und von wegen vorgemelten Königs in Böhmen / den Durchleuchtigen Fürsten und Herrn Adolphum/Graffen von Nassau/ zu einem Römischen Könige erwehlet/ꝛc. Quo verò astu prædictus Gerlachus usus sit, ut Adolphum ad fastigium Imperiale eveheret, *Cuspin in vita Adolphi* recitat.

XXIX.

Cum autem obitus Imperatoris Moguntino innotuerit, tunc à die notitiæ cæteros Electores intra mensem continuè numerandum convocare debet, §. *cum autem hic.*

Quod Canonum exemplo ita statutum videtur, qui volunt non antea ad Electionem progrediendum, quàm Ecclesiam Pasto-

 re vi-

re viduatam esse constiterit, justi quippe possessoris beneficium alii dare non debet, *c.2.& 3.extr.de conceß.præbend.c.2.& 3.eodem tit.in 6.* hujusq; loci autoritate Elector Saxoniæ Joannes Moguntini citationem non esse rectè neq; ordine factam dicebat, quâ vivente Carolo V. Imperatore creandi Regis Romanorum causa Coloniam evocaretur. *Sleid.lib.7.circa fin.comm.de statu Relig.*

XXX.

Quod si verò Moguntinus elapso menstruo spacio suos Coëlectores convocare neglexerit, tenentur illi intra spacium trium mensium Francofurtum non secus ac si vocati essent, venire, *d.§.cum autem.*

Nec enim socordia Decani cæteris obesse debet, aut etiam Imperium custode destitutum detrimenti aliquid ob negligentiam unius sustinere: quapropter cum deposito Wenceslao Electores Fridericum Ducem Brunsuicensem elegissent, isq; Moguntini insidiis interfectus esset, Rupertus Comes Palatinus & alii Electores non expectato Moguntino ad Electionem novi Regis processerunt, *Peucer. lib.5. Chronic.in Ruperto.*

XXXI.

An autem Moguntinus hoc spacium trimestre abbreviare insciis collegis posit, quæri potest?

Et revolvendo superiorum temporum acta, invenio Joannem Ducem & Electorem Saxoniæ, ideò inter alia Moguntini citationem, quâ Novembris die 28. ad ipsum perlata, ad diem 29. Decembris Coloniam creandi Regis Rom. gratiâ evocabatur, nec ritè nec ordine factam prætendisse, quia trimestre illud spacium, quod Electoribus ex hac Bulla competit, minimè continebat, *Sleidan.d.lib.7.de statu Religionis*, quod usque adeò non dissimulandum

dum putavit, ut intercessoribus Moguntino & Palatino, per filium Joannem Fridericum inter alias de creando Romano Rege conditiones proposuerit, ut Moguntinus trimestre illud spacium, quod à denunciatione Principibus ad conveniendum datur, non diminuat, *Sleid. lib. 8. de stat. Rel.* Et rectè. Cum quia Imperii & Reip. interest plurimum, si fortè unus & alter item tempore exclusi non adsint, *Sleid. d. lib. 8.* tùm, quia quando ordo vel modus in legis dispositione statuitur is, pro forma habendus est, *Felin. in c. cum dilectæ n. 6. de rescript. Pet. Greg. Tolos. lib. 1. c. 11. n. 4. in syntagm. juris*, quæ autẽ formæ sunt, mutari aut omitti nequeunt, *l. nemo potest. ff. de legat. 1. l. cum hi. §. si prætor. ff. de transact. Rol. à Val. cons. 72. nu. 54. vol. 3.* quod nominatim nostri de tempore legis vel constitutionis, quoque statuunt; ita ut non observans tempus constitutionis, dicatur non observare formam illorum, de quibus in constitutione agitur, *Tiraq. part. 1. gl. 4. n. 3. & 4 de utroq. retractu. Joan. Bapt. Asinius §. 3. cap. 36. n. 4. in praxi.* Tùm quia terminus legalis citationi inserendus est, *Gail. 1. obs. 53. n. 19.* Tùm, quod audiri non debeat, qui tempus constitutum non observat, *l. scire oportet. §. consequens ff. de excus. tutor. Tiraq d. tr. §. 3. gl. 4. num. 3.* Hinc in terminis Electionis nostri tradunt, quod Decanus, ad quem pertinet Capitulũ congregare, tempus regulariter abbreviare nequeat, *Francis. Marc. decis. 569. n. 2. part. 2.* regulariter dico, nam ex justa causa, utputa si periculum Imperio grave immineat, crediderim equidem terminum hunc abbreviari posse: quia ubicunque mora periculum allatura videtur, celeri festinatione ei obviandum erit: prudensque Procopii monitum est, securum antequam pericula veniant cogitare, quid agendum sit: Quippe moras extrema recusant. *Sylius Italicus lib. 7. de bello Punico.* Et ut in tranquillo tempestatem adversam optare dementis est, ita sanioris quavis ratione occurrere, cum tempus aut necessitas urget, erit, & Schanderbegus apud *Scodrensem lib. 6. de vita & reb. gest. ejusd.* impertinẽtia esse, dixit, longa consilia præsenti necessitati, *Fr. Marc. d. decis. n. 2.* quamvis arbitrium justæ causæ non ad solum Moguntinum pertinere crediderim, sed periculũ si tale emerserit, quod moram longiorem non ferat ad Palatinum & Saxonem Imperii Vicarios, *c. 5. infr.* sese remittere debebit, iisq; in consiliũ vocatis de eo & an tale sit, statuere licebit: quò haud dubiè Saxoniæ Elector spe-

ctavit, cum inter cætera noluerit soli Moguntino facultatem abbreviandi termini trimestris concedi apud *Sleid.d.l.8.* ne si contrarium dixeris in arbitrio Moguntini sit, eos Vicariatu prætensione periculi dejicere, quod ipsi tanquam inferiori, nam tempore Vicariatus Imperatoris vice funguntur, permitti non debet: Inferior enim in superiorem judicium exercere, multò minus superioritatis jure eum exuere haut poterit, *l.4.ff. de recept.arbitr.l judicium ff.de judiciis*: nec justi possessoris beneficium alterius voluntati subjacere debet, *c.2.de concess.præbend.in 6.* Ratioque juris exigit, quod neq; voluntas nostra sine facto nostro, neq; factū sine voluntate, neq; cum voluntate nudum, & quod non aliqua justa causa præcesserit, neque rei alienæ, quæ nostra non sit, dominium vel jus transferre possit, *l.id quod nostrum.Ibid.Pet.Fab.in pr.ff.de R.J.l. traditionibus. C. de pactis l si quis vi.ff.de acquir.poss.* Quod ipsum prudenti consilio ruminans Fridericus III.Imp.cū Carolus Dux Burgundiæ Trevirim ad ipsum venisset de rebus magnis acturi potissimum ferebant id Imperii rebus, ait *Cranzius lib.12.c.11.in Saxonia*, maximè profuturum, ut Carolus per Imperium Vicarius constitueretur ad domandos Imperio rebelles, aut minus parentes & ad subjuga mittendos, qui olim ad Imperium pertinuissent; sed ubi de rebus non conveniebat, quod Imperator sine assensu Principum Electorum nihil super his rebus possit constituere, ita fuit discessum, ut nubili vultus Principum annotarentur &c. Et Carolus V. Hispanias petiturus Vicarium Imperii Ferdinandum fratrem in absentia sua constituere cupiens, id cum consensu Palatini & Saxonis Electorum facere voluit, datis in hoc reversalibus, Daß gemelten Pfaltzgraffen unnd Hertzogen zu Sachsen ꝛc ihren Erben/verba sunt reversalium solch unser / unnd des Reichs jetzt geordenten Stadthalter unnd Regiment an jhrer Liebe Vicariat Ampt ererbten privilegirten unnd hergebrachten/ auch von uns bestetigten Gerechtigkeit/ desselben unnd anderer briefflichen Urkunden obgemeldt jetzo/ oder in künfftigen Zeiten keinen Abbruch / Nachtheil oder Schmelerung bringen oder geberen solle/noch möge/ ꝛc. Extant apud *Goldast.* in der Reichsſatzung *An 1521.* Hinc à nostris traditur, quod non nisi major pars Capituli terminum abbreviare possit, *gloss.& Dd.in cap.cum nobis extr. de Electione. Franciscus Marcus decis.789. num.4.* & quia contrariorum eadem est ratio, *l.1.ff. de his.qui sunt* *sui*

sui vel alieni juris, haud absonum erit dicere ex justa causa simili modo terminum trium mensium prolongari posse. *Marcus d. loco num. 5.*

XXXII.

Electores vocati quomodo comparere debent?

Cum Moguntinus Elector Collegas suos, modò jam tacto, convocaverit, horum officio incumbit comparere; ne tamen civibus Francofurtensibus oneri sint nimis, constitutum est, ut Princeps Elector vel nuncii civitatem Francofurtensem tantummodò cum ducentis equitibus tempore electionis introire possint, in quorum numero 50. armatos vel pauciores, non tamen plures habebunt, §. *Debet autem 20. hic.*

XXXIII.

Quod si verò Elector vocatus ad electionem venire vel etiam nuncios cum liberâ ac omnimodâ potestate mittere neglexerit, aut etiam venerit? Attamen antequam Rex Romanorum electus est, non relicto procuratore legitimo, recesserit, electionis voce seu jure, quod habuit, istâ vice carere debet, §. *Princeps verò 21. hic.* Est enim vocatio absentium non de substantiâ sed de justitiâ, quam qui agnoscere negligit, valet nihilominus electio, *Francisc. Marcus decis. 1332. num. 3. part. 1.* nec contumax in numero Electorum reputatur, *Innocent. in c. 1. extr de maior. & obedientia.* Ergò idem quando recedit, ait *Francis. Marc. decisc. 781. num. 3. part. 1.* Quia paria sunt non venire, vel non expectare usque ad finem *c. 1. extr. de judiciis c. certum causa 11. q. 3* Et si sufficiat quod vocatum apprehenderit citatio, *Speculator §. 1. vers. quæritur de Citatione*, multò magis quod præsens fuerit & recesserit, sufficere debet, nec contemtus ille, quem retrocedendo nondum Electione perfecta præ se fert, & ostendit, patrocinari discedenti debet, *c. ex tenore extr. de rescriptis.* unde dici solet: Quod contumacia etiam repræsentat in actu electionis absentes, *Innoc. in c. Ecclesia vestra n. 7. extr. de Electione & electi potestate.* Et si nonnulli de Capitulo exierint, illi qui remanent, nihilominus illa quæ perficienda sunt, implere poterunt, *Innoc. & Panorm. in c. cum vobis extr. de Elect.*

XXXIV.

Quid si verò major pars Electorum recesserit aut emanserit?

Et quidẽ ex *Innoc.*sententiâ *in c.Ecclesia vestra,n.7.de Elect.*minor pars ad electionem procedere non poterit. Quia sicut per cap. præfixus est terminus Electionis,ita per c.dicitur,demum fieri id, quod major pars facit,*l.quod major.ff.ad municip.*Noluitq; Albert. I. Cœsar Electionem suam legitimam reputare,ob Trevirensis & Palatini absentiam,qui Comitiis Imperialib.non interfuerant; nè itaque *ut* arreptum Imperium,ait *Cuspin.in ejus vitâ*,quis cavillaretur, priorẽ de se factam electionẽ Princìpp.resignavit, & denuò electus est &c. Neq; Güntherus Comes Schwarzburgensis aliâ conditione in sui electionem consentire voluit,quàm si major eorum pars, qui se jus eligendi habere assererent,conveniret,*Cuspin.in vita Güntheri.* Verùm hæc Innocentii decisio confundi videtur per text.nostrum *in d.§.21.*qui vult,recedentem privari voto suo, privabitur ergò non unus saltem sed & alter,tertius & quartus. Utrobique enim ratio contemtus, qui negocia publica impedire non debet, viget,adeò ut juxta Ulpianum jus omnium in unum recidere possit, *l.sicut §.2. ff.quod cujusq; universitatis nomine*,ubi pulcrè ait glossa: Licet unus non sit universitas,nec universi nec universus, retinetur tamen per eum jus universitatis,licet per unum ab initio constitui universitas non possit,sed per tres *l.Neratius ff.de V.S.* & de jure ad pauciores electio recidere potest,*c.gratũ extr.de postulatione prælatorũ*, & qui nolunt ad electionem celebrandam accedere, ipsorum absentia electionem impedire nequit,*c.quod sicut.extr.de Electione.* Sic Electoris Saxoniæ absentia electionem Ferdinandi in Regem Romanorum impedire non potuit,licet quod unum poterat, eam vitiosam esse,explicatis causis, neque sibi probari per filium protestaretur,*Sleid.in fin.lib.7.de statu relig.*Unde nostri tradunt, si Capitulum debito modo congregatum sit, quod tunc minor pars Capituli facienda explicare queat,*Francisc.Marcus decis.569.n.4.part. 2.* Ubi subjicit,quia vocati nolentes venire faciunt se alienos, nec debent computari in numero,ex quo recusant venire. Nec obstat ratio Innocentii, quia nostra in Electione non per Capitulum, vel Collegium,sed per legem hanc constituitur terminus eligendi, major verò po-

rò potestas est legis, quàm hominis, *l. si ita quis §. ea. ff. de V. O. l. filiusfamiliàs. §. Divi. ff. de Legat. 1.* Excluditurq; quis à jure suo post terminum juris, quod poterat exercere intra terminum nec amplius auditur. *Modest. Pist. cons. 44. n. 43. & seq. volum.* Ita ut post lapsum termini moræ purgatio non admittatur, quia videtur juri suo renunciare, quo uti poterat Elector recedens aut non veniens; renuncianti autem regressus non dari debet, *l. quæritur §. si venditor. ff. de ædilit. edicto. Modest. d. cons. n. 46.* Alberti exemplum non stringit, quia non tàm electionem repeti voluit, quod duo illi Electores non consenserant, quàm quod vivo Adolpho electus in Regem Rom. fuerat, *Cuspin. in vita Alberti.* Quòd attinet Güntherum Schwartzburgensem rectè is majoris partis consensum postulavit, quia in electione legitima majoritas attenditur *§. postquam 4. infr. c. 2.* Nos verò iis in terminis loquimur, ubi major pars electioni interesse detrectat, quo casu sufficit præsentium consensus *d. c. quod sicut. extr. de Electione.* Absens itaque vel recedens voce seu jure, ait textus *in d. §. 21. hîc*, electionis, quod in eâdem electione habuit, & tali modo deseruit, careat istâ vice; & rectè, quia tantum quis delinquere dicitur, *quantum contemnit, notata in c. cum quidam extr. de jurejurando. Tyberius Decianus resp. 14. n. 9. volum. 3.* & contumax unâ vice possit esse alterâ vice obediens, quapropter succedit id, quod dici solet, Qui contumax in uno, protinus non est in alio, *Tyber. Decian. resp. 96. n. 18. volum. 3. Francisc. Marc. decis. 1337. num 5. part. 1.* Trevirensis & Palatinus Electioni primæ Alberti non intererant, verùm secundæ astiterunt, *Cuspin. in vita Alberti*, Et Rudolphus Palatinus Caroli IV. electioni contrarius, eam cum filiam ejus in matrimonium duxisset, comprobavit, *Crantz. lib. 9. c. 26. in Saxon.* Electorque Saxoniæ primum Ferdinandi in Regem Romanorum electionem improbavit, postea vero factâ inter eos transactione eum pro Rege Rom. agnovit, *Sleid. lib. 9. & 15. de statu relig.*

XXXV.

Quid Francofurtenses tempore electionis facere debent?

Est hoc tertium & ultimum hujus capitis membrum, quod quomodo cives Francofurtenses tempore electionis sese erga Electores exhibere debeant, pertractat. Ante hanc Bullam quantum electionis

electionis locum attinet, variè observatum erat, inquit *Sebastian. Münster.lib.3.in suâ Germaniâ*, Nam etsi sint, qui usque ab Arnolpho Cæsare electionem Francofurti celebrari solitam velint, *Nicol. Reusner.de urbibus Imperial.num 8.* reperianturque, qui Gregorii V. Pontificis constitutioni hoc acceptum ferant, & à tempore Henrici II. Imperatoris cœpisse putent, *Ulric.Mutius lib 14. Anno 948. in Chronico Germaniæ*, attamen subsequentium Impp. Electionis utrãque opinionem refellunt, nam constat, quod Otto ejus nominis II. Wormatiæ Rex electus sit, *ut autor est, qui Regionem supplevit*, vel ut alii volunt, Aquisgrani, *Cuspin.in vitâ Ottonis II.* Henrici III. itidem Aquisgrani, *Crantz.lib.4.c.10.in metropoli.* Henric. V. Wormatiæ, *Frising.lib.7.cap. 40.Historiarum.* Lotharius II. Moguntiæ. *Frising. d. l. 7. cap. 17.* Conradus Suevius Confluentiæ, *Frising. lib.1.cap.2. de rebus gestis Friderici Imperatoris.* Henricus Lutzenburgensis in Reins, *Paralipom.ad Ursberg.in Henrico Lutzenburgensi, &c.* Quanquam negari nequeat, plures itidem Francofurti electos fuisse. Primus ibi Arnolphus electus est Imperator, *Sebastian.Münster.d. l.* Frideric.I. Barbarossa, *Otto Frisingens.lib.2.c.1.de reb.gestis Frideric. Günther.lib.1.in Ligurino*, Rudolphus I. *Crus.lib.3.c.1.part.3.Annal. Suevicorum*, Albertus I. *Cuspin.in Alberto*; ut rectè dixerit *Münster. d. loco*, variè ante hanc Bullam circa electionis locum observatum fuisse, subjiciendo, non minore benevolentiæ affectu Carolus IV. Rom. Imperator hanc urbem est prosecutus, quapropter electionis Romani Regis, futurique Imperatoris per 7. Germaniæ Principp. Electores fiendæ locum eô potiss. in perpetuum constituit, Bullaque sua aureâ confirmavit, &c. *in §.preterea 18.hîc. & cap. 2. hîc.* Cujus sententiæ ut accedam, movent me electionum superiorum exempla, quodque à tempore promulgatæ Bullæ subsequentes Impp. Francofurti omnes electi sint, Wencesl. Caroli filius Francofurti electus est, *Cuspin.in Wenceslao.* Jodocus Barbatus, *Cuspin. in Jodoco.* Rupertus Palatinus *Cuspin.in Ruperto*, Sigismundus *Paralip.ad Ursberg.in Sigismundo.* Albertus II. *Crantz.lib.11.cap 29.in Saxon.* Fridericus III. *Crantz.d.lib.11.cap.20.* Maximilianus I. *Crus. lib. 8 cap. 20. part.3.annal.Suevicor.* Carolus V. *Sleid.lib.1.de statu relig* Et quamvis hujus successor Ferdinandus Coloniæ in Regem Rom. electus sit, *Sleid.lib.7.de statu relig.* Attamen abdicatio Imperii à Carolo

Franco-

Francofurti facta est, ibidemque ab Electoribus demum in Imperatorem electus est, *Godlev. de abdicat. Caroli V.* Maximilian. II. *Thuan. lib. 31. Hist.* Rudolphus II. extra solitum locum Ratisbonæ solus in Comitiis electus est, *Thuan. lib. 60.* Et nunc feliciter regens Divus Matthias, &c. Francofurti non solùm electus sed coronatus est; *Relatio electionis & coronationis Divi Matthiæ.* ut rectè *Crantz. lib. 11. c. 30. in Saxonia* scripserit, solitum eligendi jam Regis Romanorum locum Francofurdiam jam esse. *Et Irenicus lib. 11. ἐξηγήσ. Germaniæ,* quod Imperator illic eligatur: Et *Gregor. Fabricius:*

Qua sua floricomus pandit modò cornua Mœnus
Ostentat turres Francfurdia nobilis altas
Urbs decus imperii, quâ primus Cæsar honores
Accipit, & titulum regni sceptrumq; reportat.

Ut & alius:

Ad tua Romulei concurrunt tecta Monarchæ,
Imperii summum cum diadema petunt.
Hic pia de lecto sententia Cæsare fertur,
Quo tibi nil tribui majus honore potest.

Æneas Sylvius in Germania c. 2. ait: Hic & prætorium nobile, in quo sæpè Principes Electores conveniunt de rebus acturi communibus & hîc dum vacat Imperium, eligunt Cæsarem.

Locus ille propterea electus, quod nullus in Imperio commodior videtur, si eorum, quibus undique in urbe commeandum est, ratio habeatur. Etenim si perpendamus, verba sunt Henrici Stephani, quibus intervallis distet à quibusdam remotioribus oppidis, unde ad se tempore nundinarum tantam multitudinem hominum accire solet, eam veluti centrum in medio positam esse comperiemus. Et paulò pòst: Si verò non solùm quali in agro subjicit, sed & quâ ejus parte sita sit, consideremus, vix alibi melius iis, quæ ad vitam necessaria non incolis tantum, sed etiam advenis forent, institui posse fatebimur, &c. Ut nobis de Francofurto, quod Constantinus Imperator in mox citanda Constitutione de urbe Aretalensi dicere solebat, tanta est loci oportunitas, tanta est copia commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, ut quicquid usquam nascitur, illic commodius distrahatur: Neque enim ulla provincia ita peculiari fructus sui felicitate læta-

K tur, ut

tur, ut non nisi hæc propria Francofurtensis soli credatur esse fœcunditas: quicquid enim dives Oriens, quicquid odoratus Arabs, quicquid delicatus Assyrius, quicquid Africa fertilis, quicquid spaciosa Hispania, quicquid fertilis Gallia potest habere præclarum, ita illic exuberat, quasi ibi nascantur omnia, quæ ubique constant esse magnifica, ut apposite Petr. Lindebergius cecinerit:

Dives opum, mundi μικρόκοσμος, Martia muris
Germana Aonidum filia Mercurii.
Et clara emporio & rerum penuria cella est
Vrbs à Francorum sic vocitata vado.
Cui nil Dii Superi, cui nil natura negavit,
Nam si qua desunt, nec sibi mundus habet.

Quæ loci commoditas haut dubiè Fridericum II. Imperatorem permovit, quod nundinas antea Moguntiæ haberi solitas Francofurtum transtulerit, quarum initium Comitiis Imperialibus debemus. Nam cum Constantinus Imperator Arelati urbis ejus commoditate motus, annuatim Comitia celebrari jusserat, Constitutione I. *apud Goldast. tom. 3. Constitut. Imperial.* Carolus Magnus verò annuū istum Conventum Moguntiam transtulisset, Fridericus II. Francofurdiam elegit. Et ut rerum omnium copia adesset, propter Conventum nundinæ ordinatæ sunt. Quæ quidem postea intermisso annuo illo Imperiali Conventu solæ manserunt, & quidem usque ad Electionem Caroli nostri & Güntheri. Verùm cum Francofurdenses Güntherum in urbem recepissent, nundinas Moguntinensibus Carolus reddidit, quibus Güntherus Fribergenses nundinas Paschales substituit. Sed postquam Güntherus Carolo cederet, Francofurtensibus Moguntinas autumnales & Fribergenses vernales, datis 20. millibus Marcarum, quæ recepta sunt à Judæis, restituit, *Crusius lib. 5. c. 2. p. 3. annal. Suevic. Goldast. d. loco.*

Causam verò inquirenti, cur Güntherum Francofurdenses receperint spreto Carolo, respondebit *Cuspin. in vitâ Güntheri*, quod electus Guntherus, cum jam Francofordiam introire tanquam Romanus Rex, vellet, à civibus prohibitus sit: mos enim est illis, quam quidem consuetudinem pro lege habent, ut neminem Regem in urbem suā intromittant, cui sit æmulus Imperii, aut adversarius Regni, nisi prius aliquot mensibus urbs obsessa vim patiatur, adversariusque aut æmulus regni interim aut manus cum illo conse-

t, aut divisioni finem imponat; itaq; unus fortiter regnet, alter inglorius ac timidus abeat, Güntherus igitur ingenti coacto exercitu potentissimè urbem obsedit, duobus pœnè mensibus, dehinc in urbem est regio more acceptus, *Crantz.lib.9.c.26.in Saxon.* Ita quoq; accidit inter Henricum Landgravium Thuringiæ & Conradum Friderici II. filium, item inter Ludovicum Bavarum & Fridericum Austrium, *Paralip.ad Ursberg.in Ludovico Bavaro; Münster.d. l.* Atqui, inquies, si jam tum tempore nempe Güntheri electio Francofurti celebrari debuit, uti & disertis verbis indicat, *§. invenimus infr.c.28.* Quo nomine etiam hujus nostri Caroli electio nonnullis Imperii Principibus improbabatur, quod neque in loco debito, h.e. Francofurti electus esset, ut ait *Cuspin.in Carolo IV.* Sanè non rectè videbimur hac Bullâ locum hunc assignatum esse electioni asserere; sed ita est, ante Carolum receptum quoque fuit, ut Regis Rom. futuri Imperatoris Francofurti celebraretur electio *§.invenimus.* Verùm cum pro arbitrio, nec ulla interdum necessitate alio atque alio loco electio perageretur, Carolus ad juris necessitatem rem redigere cupiens, voluit non alibi electionem fieri debere, nisi legitimum impedimentum obviaret, *d §. invenimus.* Quo respiciens Elector Saxoniæ inter conditiones de Rege Rom. creando & hanc addidit, Moguntinus Francofurtum Collegas ad certum diem convocet, neque sit in ipsius potestate Conventum alio in loco indicere; nisi Collegæ gravibus de causis permittant, *Sleid.lib.8.de statu relig.* ut nesciam an fides habenda sit *Hartmanno Mauro Archiepiscopi Coloniensis quondam Consiliario*, quanquam ait ille, Carol. IV. Imperator Bulla Aurea statuerit, Regum Rom. designationes Francofurdiæ ad Moganum celebrari debere, idem tamen Carolus Aureæ Bullæ conditor, ea quæ de electionis loco statuta, contrariâ sanctione ad prætextum, quod tantam Electionem loco restringi perabsurdum fore Anno à Nativ. Domini 1363. palàm recidit summâ ratione, non enimè Majestate tanti Imperii est, ut Principp. semper circum Rheni margines inhæreant immobiles, fierique potest, ut Imperator cum Electoribus procul in hostili solo degat, adeò dissito, ut intra præfinita Bullæ tempora nullo pacto Francofurtum attingere possint ad eligendū, si Imperator fortè occumbat, aut in fata concedat &c. *in Coronat. Caroli V.* Nescio, inquā, an fides habenda, frustra enim Elector Saxoniæ, Ferdinandi ele-

ctionem ex eo inter cætera improbasset, quod Coloniæ non debito loco peracta fuisset, si locus pro arbitrio eligi potuisset; *Sleid. lib. 7. de statu relig.* Frustrà idem ille Elector Moguntino suâ transactione adimere, quod ipsi ex prætensâ Caroli mutatione, atque ita jure suo ipsi concessum tentasset, apud Sleid d. lib. 8. frustraque ille sibi quantumvis Consiliario Electorali credi postulat, cum neq; legem abrogantem monstraverit, aut etiam ullum idoneum autorem, qui legis prætensæ mentionem injiciat, proferat, *Florentin. de Vennigen. cons. 16. n. 189. inter Consilia Claud. Cont.* Nec enim rei mutatio quamvis à facto hominis dependeat, præsumitur *Alciat. reg. 2. præs. 1. 20. 25. Schrad. cons. 39. n. 195. volum. 2.* aut itaque lex mutans proferenda erit, aut stabit Bulla nostra, utpote non mutata, *arg. l. præcipimus C. de appell. l. sancimus. C. de Testam.* Unde & nostri plenâ manu tradunt, Doctori attestanti de eo, quod in facto consistit, ut est mutatio legis non credi; quia facta per sensum & non per discursum intellectus aut doctrinas cognoscuntur, *Mascard. d. concl. 426. n. 4. volum. 2. de probationib.* Quid quod consuetudo, quæ optima ll. est interpres, *l. 37. ff. de LL.* Post Caroli IV. tempora satis superq; ostendat, à subsequentibus Impp. Bullam strictè observatam fuisse nostram, factoque suo locum electionis illâ expressum & non alium admittendum esse, commonstrarunt. Nec in hisce quæ à voluntate hominum dependent, subtiliter inquiri ratio debet, cum scil. placuerit, Principes circum margines Mœni potius, quàm littora Danubii aut ripas Oderæ hærere. Sufficere ea poterit, quod locus is visus omnium commodissimus sit, & quod electioni præstitui certus debuit, nè quando electionem repeti oporteat, omnia illa, quæ operosè semel præparara sunt, alibi magnis sumtibus conficere necesse sit, tùm etiam quia mutatio cum indignatione Francofortensium institueretur, magni enim faciunt provinciales servari sibi consuetudines veteres & hujusmodi prærogativas, ut ait *Ulpian. in l. 4. §. 5. ff. de off. procons.* Olim extra Romanum agrum, qui Italiâ terminabatur, non potuit dici Dictator, cum nec locus quicquam dignitati vel viri aut etiam amplissimi honoris vel addere vel detrahere poterit, Aquisgrani coronatio Regum Romanorum institui debet, *§. invenimus. c. 128.* attamen si non loci certitudo consideretur, utique & alibi ea peragi poterit: Verùm consul-

consultum non est, sicuti ipse Maurus loquitur, ob levem momentaneamque causam ritum coronandi priscum adversum præscripta Aureæ Bullæ Caroli novari, quo ut mucrone stricto & proprio hujus dissentientis petentes concludimus, nec consultum esse ob levem momentaneamque causam locum eligendi priscum adversum præscripta Bullæ Aureæ Caroli novari: Et quamvis, quod ille intendere videtur, Imperator cum Electoribus eo in loco degat & moriatur, unde intra præfinita Bullæ tempora Francofordiam Electores convenire non possint, non propterea locus mutari debet, quin potius prolixiore termino adsignato ad locum solitum properare debebunt; si enim sententia loco insolito prolata privatos non obliget, *l. eam sententiam. 6. C. de sentent. & interlocut. l. pen. ff. de just. & jur.* Nec sententia Electorum, quâ Sedis & Imperii vacantiæ finis imponitur, aliò, quàm solito loco dicta valere debebit, & si Electio Episcopi loco insueto facta irrita dicitur, *cap. quod sicut. extr. de Electio. & Electi potestat. Roman. consil. 352. num. 19.* quâ ratione Electionem Regis Romani insolito loco peractam validam pronunciabimus; Quod si verò periculum imperio adsignatio termini longioris allatura videbitur, non contra hanc Bullam erit, si alio loco electio instituatur, siquidem ea permittit existente legitimo impedimento, quale hoc haud dubiè est, locum mutari, *d. §. invenimus.* Quapropter si locus tutus quoque non sit, puta propter pestem aut bellum, rectè alio loco Electio institui poterit. Nam promissionem ad certum locum restrictam sic interpretari quis debet, si commodè ad eum perveniri potest, *l. usuras. Cod. de solution.* & vocatus ad locum non tutum comparere non cogitur. *Clem. Pastoralis. §. notorium. de sentent. & re jud. cap. accepimus de fide instrumentorum. Gail. observ. 52. num. 3.* quapropter cum Carolus V. ex more recepto Aquisgrani coronari expeteret, increbesceret verò rumor pestis desævientis, Archiepiscopus Moguntinus, Palatinus Rheni & Dux Saxoniæ Regis adventum in Colonia præstolantes missis literis magnis precibus petiêre, ut Imperator ob tàm probatam & evidentem causam tàm sui, quàm Principum respectu habito alium coronationis locum indiceret, verùm cum postmodum constaret, morbi vim non tàm latè vagari, uti falso rumore ad aures Principum delatum fuerat, coronatio Aquisgrani peracta fuit, *Hartman. Maur.*

d.l.in pr. Et propter legitimam causam locus Concilii sacri mutari potest, si non sit dominis reverendissimis Patribus securus, *Boër.decis.40.num.10.* Sic Gregorius XII. se excusavit, quòd non venerit ad Concilium Pisanum, quia gravitatem cœli Pisani ferre non poterat, proferens ad hoc, *l.2.§.ult.ibi, vel aliqua fortuita calamitas, ff.si quis cautionibus.Ut attestatur Felin.in c.accedens.num.11.extr.de lite contestata.* Cessante verò legitimo impedimento Electio apud Francofurtenses institui debet, *d.§.invenimus.c.28.* Quibus duo *in §.22.hic.* injunguntur. Primum est, ut omnes & singulos Electores, eorumque Comitatum virtute juramenti, quod Electoribus præstare debent, fideli studio & solerti diligentia ab omni injuria protegant & defendant: alterum, ut per tempus illud, quo Electio durat, ultra Comitatum Electorum neminem in urbem recipiant, receptos absque mora exire curent, sub pœna perjurii, amissionis Privilegiorum & Banni Imperialis; quod ultimum ante hanc Bullam observatum non fuisse, historiæ testantur, nam Electioni Friderici I. interfuerunt etiam alii Principes; in oppido Franckfurd, ait *Otto Frisingensis lib.2.c.1.de gestis Friderici*, de tàm immensa Transalpini regni latitudine universum mirum dictu Principum robur, non sine quibusdam ex Italia Baronibus, tanquam in unum corpus coadunari potuit, quod quoque *Gunther. in Ligurin. lib.1.* ostendit:

Allobrogumq; Duces coëunt, Cymbriq; feroces,
Quos perfusa suo pugnax Germania Rheno
Misit, & à magno tellus signata Luthero,
Vindelici Rhetiq; ruunt, quos Suevia nutrit,
Quosq; Carenthinis collimitat Austria campis,
Quos Lycus & tumidis Ister prælabitur undis,
Quæq; suos urbes huc direxere potentes,
Claraq; Teutonici coierunt nomina regni,
Nec minus ex Italis multos & gente Latinâ
Traxerat hac rerum miratrix fama novarum, &c.

Ottho IV. à Principibus ex Anglia evocatus Francofurdiam consensum Principum obtinuit, ut in Regem Romanorum eligeretur, Colo-

olonienſi & Argentinenſi Epiſcopis annitentibus. *Cuſpianus in Ottbon. IV.* Rudolphi I. Electioni cum alios Principes Francofurdi congregatos, tum Burggravium Norinbergenſem interfuiſſe, *Albertus Argentinenſis in ſuo Chronico refert*, & ad Comitia celebrata poſt obitum Henrici VII. tres Auſtriæ Duces ac fratres, Fridericus, Lupoldus, & Albertus cum Ludovico Bavaro poſtea electo rege venêre *Nauclero teſte generat. 44.* Adhæc Guntheri Schwartzburgici contra Carolum noſtrum deſignati Electioni non tantùm Electores, ſed & alios Proceres interfuiſſe conſtat. *Cuſpianus in Gunthero.* Verùm, ut libera eſſent Electorum ſuffragia, nec Principum aliorum præſentiâ tardarentur, Carolo placuit, ut ſoli Electores, aliis quantumvis magnis viris Principibus abire juſſis, adſint, & Electionis negotium obeant, quod nuper religiosè ſervatum extitit, inter alia, *inquit autor, relationis Electionis D. Matthiæ Imperatoris*, quæ ſub deliberationem venerunt, juramentum etiam fuit, quod cives Francofurdenſes ex præſcripto Aureæ Bullæ præſtare tenentur.

Hoc cum jam Electores tàm à Senatu, quàm à civibus & ad excubias deſtinatis copiis requirerent, Senatus quidem pridie ejus, quo juramentum dicendum erat, die, pulſo per civitatem tympano, uti proximâ die Sabbathi 16. nempe Maii in area magna ante curiam cives convenirent omnes, ſignificari per plateas omnes civitatis curavit, mandato ſeveriſſimo de peregrinis ad aulas Principum Electorum non pertinentibus omnibus ex civitate dimittendis addito, Sabbathi 16. videlicet Maii die Senatus primò Francofurdenſis congregatis in curia Electoribus & Legato Brandeburgico, cum in ſuperiore curiæ palatio locoque nonnihil elevato, ſubſellia ſua holoſerico nigro conſtrata, convenienti ordine Adminiſtrator Palatinus, Bohemus, Moguntinus, Trevirenſis, Colonienſis, Saxo & Legatus Brandeburgicus occupâſſent, juramentum de ſecuritate præſtanda, ex Aureæ Bullæ præſcripto præſtitit, prælegente id quidem ei Cancellario Moguntinenſi, Franciſco Philippo Fauſto, tali fermè ſententiæ, quod nimirum Senatus Francofordenſis Reverendiſſimo Principi ac Domino, Domino Joanni Suicardo Archiepiſcopo & Electori Moguntino reli-

reliquisque Dominis Electoribus Administratori, Palatino & Legato Brandeburgico fidem dare, eamque jurejurando confirmare deberet, quod omnes generatim Electores, itemq; speciatim singulos à vi & injuria alterius vel Electorum, siquidem dissensio inter eos fortè existere contingeret, vel aliorum hominum cum universo, quem secum singuli haberent, ducentorum videl. equitum comitatu, sub pœna in Aurea Bulla expressa pro virili sua defendere, neminem toto illo Electionis tempore cujuscunq; dignitatis & conditionis esset, in urbem, exceptis solum Electoribus, eorumque Legatis & Commissariis admittere, & si qui peregrini in urbe essent, eorum discessum modis omnibus promovere vellet; quæ quidem omnia Senatus se diligenter observaturum stipulatâ manu & verbis ex ore Cancellarii Moguntinensis repetitis in magna spectatorum copia pollicitus est, accepto hoc à Senatu juramento Electores cum Administratore Palatino & Legato Brandenburgico surgentes ad fenestras Palatii conversi sunt, uti viderent, quomodo à civibus, qui interea ad aream istam magno numero confluxerant, præstaretur juramentum illud; quod ipsum quidem etiam à destinatis ad excubias militibus, qui in aream tandem producti in circulum disponebantur, eadem solennitate præstitum fuit.



DISCURSUUM ACADEMICORUM

Ad Auream Bullam CAROLI QVARTI ROMAN. IMPERATORIS SECUNDUS.

RESPONDENTE

DANIELE SCHEFFERO HAL: SAX.

AD CAPUT SECUNDUM.

THESIS PRIMA.

Modus legitimè perveniendi ad imperia & regna duplex ferè apud gentes receptus est, Electio & Successio; Utra verò tutior sit? In incertum Politici trahunt. Qui pro successione stant, urgent: 1. quod hæc certior sit, minore quippe discrimine sumitur, quàm quæritur Princeps, *Tacit. lib 2. historiar.* 2. Solentque homines libentius Re[g]i nato, quàm facto parere. 3. & successor certus periculum id, [q]uod ex interregnis oriri solet, facilius discutiet. 4. prehensationes[q]ue ambientium, natura quippe mortalium imperii avida est. *Sa[l]ust. in Jugurt.* enervabit. Pravas aliorum spes cohiberi, ait *Tacit. 3. [A]nnal.* si successor non in incerto. Electionem probantes, putant [e]xemplo animantium, eum, qui præstantior est, imperare debere, [e]t eum non successio sed electio monstrabit. Nasci enim & gene[r]ari à Principibus fortuitum, nec ultrà æstimatur, dicit *Tacit. lib. 1. [h]istor.* Principatus in populos non sanguini deferendus est, verba [s]unt Hieronymi, sed vitæ, *c. Moyses, caus. 8. q. 1.* Unde interrogatus

L Alexan-

Alexander Magnus in agone, num fratrem, vel filium Herculem sibi successorem aut alium quempiam vellet, respondit; dignissimum mihi successorem opto. *Justin. lib. 15. histor.* Et laudabili exemplo Cunradus I. Imper. adductus admiratione virtutis & sapientiæ Henrici Aucupis, etsi inimici, ad eum fasces Imperii deferri jussit, *Peucer. lib. 4. Chronicor. in Cunrado.* Deinde electio evectum ad gubernaculum arctioribus constringit legibus, qui & ideò minus contra regni utilitatem moliri, ejusvè dominatum ad se suosvè pertrahere aut subditos minimè adfligere poterit; Idque exemplo Principum Imperii, quorum cum alii successione, ut seculares, alii verò Electione, ut Ecclesiastici ad Principatus deveniunt. Hi non eâ libertate suos, quâ illi sibi subjectos constringere possunt; capitulationibus enim impediuntur, quæ ut scriptæ sinè rubore de illis omnibus; quæ & subditi volunt, & promissi ratio exposcit, liberè monere solent. Nasci insuper malus potest, at eligi non æquè facilè; siquidem tot oculis spectata electio, tot insinuata sensibus, tot insuper in tuto locata manibus, ut Justinus Imper. loquitur *in l. 8. in fin. C. qui testamenta fac. poss.* locum insidiis ullum non relinquet. Nasci potest mentis inops aut simplicior, nec tamen repudiari post mortem.

Anaxandrades Regis Spartiatarum Cleomenes, etiamsi non videretur mentis compos, prælatus est tanquam major natu fratribus, *test. Herodot. lib. 5.* neque Lysandri consilium suadentis, ut non proximior, sed magis idoneus in regno succederet, approbatum fuit, *Plutarch. in Lysandr.* Eligi verò nec mentis inops aut simplicior solet, cum enim ille prodest nihil, verba sunt Euripidis *apud Plutarch. consolat. ad Apoll.* orbi decet emori, & facessere, dareq; locum efflorescenti puberi. Equidem putarem hanc illâ tutiorem, illam hâc propter ingenitum subditis erga prolem regiam amorem stabiliorem, *Vide Bod. lib. 6. de Republ. cap. 5. Petr. Greg. Tholos. lib. 7. de Republ. c. 4.*

II.

In Imperio Romano Germanico electio majorum imitatione laudabili recepta est, & etiamnum viget, Bodin. *quidem lib. 2. cap. 3. in fin. de Republ.* existimat, in Austriacâ gente rerum gestarum gloriæ clarissimæ imperium Germanorum tàm altè radices egisse, ut ejus evellendi vix ulla spes esse videatur. Non rectè; eo quippe in effectu

nihil

ihil aliud insinuat, quàm liberam electionem Septemviris subtra-
i, & invicem electionis successionem substitui ; Et quamvis ratio
roximioris ab Alberto Austriaco Imperatore in hunc usque diem
ista ratione habita sit ; parentum enim & majorum merita filiis
rodesse debent, *l. jubemus ut & l. filios. C. de advocat. diverf. jud.* &
uod Moguntinus in deliberatione Caroli & Francisci dicebat, ira-
e de nobis & imperio meritus est Maximilianus Cæsar, *Sleid. lib. 1.*
stat. rellig. rectè ad posteros ejusdem transferetur. Insitus enim
nimi Regius vigor & patriæ charitas & ipsa nostra necessitas eos,
rebus imperii fideliter consulant, exuscitare solent; quin & nostri
adunt, quod feudum ad dominum propter lineam extinctam re-
ersum proximioribus ejusdem agnatis concedere teneatur, *argu-*
ent. l. congruit. l. ult. C. de locat. prædior. civil. l. 1. de privileg. credit. Jul.
lar. q. 8. in feudum, & Emphyteusi extinctâ morte Emphyteutæ &
berorum Dominus proximiori eam reddere soleat. *Anton. Gabriel.*
nclus. 1. tit. de jure Emphyt. commun. conclus. Utique iis in argumen-
um ductis Electores imperium viduatum proximiori prædefuncti
ctè commendant. Quod & Poloni & Dani observant, apud quos
si Rex eligi soleat ; constat tamen continuatâ temporum serie
osdem ex eodem genere Reges suos elegisse, quod natos paternæ
rtutis, ait *Thuan. lib. 56.* hæredes futuros sibi persuadeant, & quod
i parentibus admirati sunt, hoc de filiis eorum facilè sperari pos-
, non tamen ex iis, quod *Bodin.* autumat, colligi fas erit. Nam quæ
tio, ut continuato temporum contextu Alberto Fridericus III.
uic Maximilianus I. isti Carolus V. huic Ferdinandus, illi Maxi-
ilianus II. huic Rudolphus II. & tandem huic D. Matthias ex do-
o Austriacâ substituti fuere, suasit, eadem si cessat, & forsan ma-
is in familiâ aliâ alius Electoribus placeat, utique hunc non mi-
us, quàm illos in solium Imperiale votis suis sublimare possunt.
uæ sanè potestas, ne ipsis interveteretur, capitulationibus sub-
quentium non minus, quàm Caroli V. cautum *Sleid. d. lib. 1.* quod
ignitatem imperii suæ familiæ peculiarem vel hæreditariam fa-
ere, aut etiam Electoribus libertatem suffragiorum præripere non
elint.

III.

Quæ etsi libera sit nec ad certum vel personarum vel familiæ

genus restricta,æquũ quippe est,*ut Plinius in Panegyr.dicit*, imperaturũ omnibus eligi debere de omnibus,attamen vetustâ Germanorum lege receptũ est,alium,quàm Germanum in Regem Romanorum eligi non posse.Lege cautum est,dicebat Moguntinus, qui ut Elector & Archicancellarius arcana Imperii optimè callebat, nè decus Imperii ad exteros transferatur,*Sleidan. lib 1.comment.* ut eo diutius(*ait Irenicus lib.3.c.33.exeg.Germ.*) Imperium penes Germanos incalesceret, legem dixerunt Imperatores, nè externus unquam rerum summa potiretur,& *Hulderic. Mut.in Chronic. Germaniæ lib.14.*sancivit enim(*ait*)ut soli Germani eligerent,&non alium, quàm Germanis Parentibus natum, & *Illustris Comes Hermannus Nuenarius in oratione adElectores proCarolo V.*requiritur(scribit)eligendus à vobis Imperator,qui ex Germanica natione sit oriundus; neque hoc solùm,verùm etiam qui ipsam linguam moresque ac illum magnanimum & generosum Spiritum ex incunabulis hauserit; Id ego non solùm prudenter à vestris majoribus constitutum fuisse, verùm etiam à vobis diligenter observandum esse pronuntio,*Tom.1.scriptor.Freher.* quibus omnibus consequens est, si exterus lege ad Imperii fastigium adspirare prohibeatur, Electorum votis peregrino id deferri non posse; nam quæ salubriter pro imperii incolumitate constituta sunt,neq; Pontificem neque Imperatorem cum Electoribus Imperii mutare posse communis JCtorum & Politicorum est opinio; nec Germanicæ gravitati conveniret id,quo *Jovius in fin.lib.18.* exitu rerum manifestè perspectum esse dicit: Eam demum Principum & Regum omnium fidem, ut pro libidine sanctissimas fœderum & conventionum leges attrectare, violareque non dubitent,quum semel præsenti tantum commodo atque ipsis temporibus serviendum esse censuerint: Nec dubitandum, quin lex illa Imperatoris Principum & statutum imperii communi consensu ratione non vulgari, sed prægnanti illa recepta sit,quam Elector Trevirensis apud *Sleid.* exprimit, ne si quis, ait,extraneus eligeretur, & qui domicilium non habeat in Germaniâ fixum,imperii hoc decus sensim ad alienigenas transferretur; quæ & ideò non ineptè fundamentalis lex imperii dici potest, *Althus.c.6.in polit.*utpote quâ ceu fundamento nititur imperii moles; ut vigente eâ imperium in Gente Germanicâ floreat, eâ verò semel neglectâ concidat paulatim necesse est,ut ab ea,siquidem imperium

nobis,

ibis conservare cordi est, quod amantes patriæ vel maximè de-
e,nullâ ratione recedendum sit: Quicquid prætendere possunt
vatores & turbatores pacis Reipubl. qui forsan levi prætextu
ntrarium suadere, & hanc legem non usurpandam esse cona-
ntur: Sed horum sententia,inquit *Greg. Tholosan. de legibus fun-
mentalibus differens lib.7.de Republ.c.19.in fin.*statim à limine dum
oponitur,omnibus modis & remediis est explodenda, tanquam
perniciem Reipubl. pacatæ perducens. Deinde electio Impe-
toris novi æstimatione verâ & commodo Reipublicæ fieri
bet,at alibi Imper. Alexander rescribit *l. un. C. si propter inimic.
tat fact.sit.*commodo autem imperii fieri,si id à Germano & non
regrino administretur,ex eo satis superq; videre est; quod caput
giminis præcipuum sit,nosse Rempublicam & suorum civium
nguam & mores cognitos habere, quo nomine Probum Impe-
torem laudat *Favius Vopisc.* quod omnium,quibus imperaturus
at,mores perdidicerat, & Maximilianus I. quod cum Italis Ita-
cè,cum Gallis Gallicè,Germanis Germanicè, & viris doctis lati-
è loqui posset, ex eo tanto magis mirari licet, quod ab infantiâ
nè in nonum ætatis annum elinguis, & plerisque mutus judica-
tur,fuerit, unde quum Francofurdiæ in Rom.Regem eligere-
ir, collaudantibus eum certatim Principibus coram Friderico
nperatore patre,& potissimum quod expeditè latinè loqueretur,
legeret,R.pater,nescio, inquit blandè, quo pacto vel legat vel
quatur, hoc mihi certè constat, quod cum duodecimum æta-
s annum ageret, subverebar ipsum aut stultum futurum aut mu-
im *Cuspin.in vit. Maxim.* Utrumque autem quin melius indigena
uàm peregrinus, cui vix unicum intra aliquot annorum curricu-
obtinget, præstiturus sit, extra dubitationis aleam positum est.
Quod probè intelligens prudentissimus Galliæ scriptor *Cominæus
b. 8.comment.in fin. (ait)* etiamsi Princeps aliquis externus benè
em gerat & commodè gubernet; tamen quia moribus & ingenio
iffert, nec eam erga populum repræsentare potest benevolen-
iam,ac si esset indigena, faciles oriuntur dissensionem occasio-
es:Itaque fit, ut ille quo Principatum ad se delatum suasq; fortu-
as tueatur,aliunde militem & copias adducat,eorumque præsidio
è muniat: qui beneficiis deinde singulariter ab eo & honoribus
ucti magnam multitudinis invidiam & odium in se concitant,

cujus rei omnium temporum historiæ exempla suppeditant plurima; nobis qui imperii negocium tractamus, sufficiet, quod Mauritius Elector de publicâ imperii administratione querimoniâ Passavii institutâ, in eam exteros oppressâ libertate invasisse conquestus sit, *Thuan.lib.10. Histor.* & Albertus Marchio-Brandenburgensis in alienas manus devenisse sigillum imperii dicebat, quo homines peregrini suum ad arbitrium in Germaniæ detrimentum uterentur, *apud Sleid.lib. 24. de Stat. rellig.* imò exterum si admitteremus, metuendum sanè, ne ille ereptis Electorum suffragiis dignitatem imperii familiæ suæ perpetuam conservare properet; Quod prævidens Moguntinus Elector in deliberatione de Gallo & Hispano suscepta, ait, sed dum attentius cogito, moveor etiam & propè inhorresco; nam & hoc mihi in mentem venit, si quando Cæsar iratus in Germaniam veniat & Hispanos adducat, libertati nostræ magnum fore periculum; cogito etiam posse fieri, ut imperii dignitatem hanc vix ægrè nobis restituant Hispani, *Sleid. 1. de stat. rellig.* quod utique factum fuisset, si non præcipitato consilio Carolus V. fratrem suum Ferdinandum in Regem Romanorum creari curasset; nam cum ille ingentia discrimina bellorum, quæ ipsi mari terræque præsertim contra Gallum hostem potentissimum exantlanda essent, animo secum attentiore pensitaret, seriò de imperii successore deliberare cœpit, & cum filius ejus Philippus vix quinque annorum puer esset, imperioque per ætatem inhabilis, in Comitiis tantum apud Electores effecit; ut major pars fratrem Ferdinandum Regem Romanorum salutaret; Verum postmodum tot successibus elatus arridente fortunâ (*ait Thuan. lib. 2. histor.*) arripuit occasionem imperii, cujus ipse pars erat, sibi suisque proprio jure adferendi. Et ut maximè relligiosior Princeps jurisjurandi religione id attentare omiserit, verendum tamen, cum peregrinus alio in regno natus, educatus & institutus sit, nè ille ad imperii fastigium evectus, id ad normam ejus regni, ex quo vocatus est, reformare animum inducat suum, difficile enim est, persuadere novo Principi & moribus non adsueto populi, aliud justum esse, quàm ipsi videatur, *Tholosan cap.4. num. 13. lib. 7. de Republ.*
quare

iare ille omnium legum fons & legislatorum director DEUS :.Opt.Max.jussit,non poteris alterius gentis hominem Regem cere,qui non sit frater tuus,*Deuteron.cap.17.vers.5.* nè videlicet r extranei imperium leges non tantum civiles, sed etiam religio populo suo mutationem aliquam pateretur;His itaque & simi-ius difficultatibus cum peregrinorum regimen conflictari homi-s prudentes perspicerent,non facilè eos ad clavum Reipubl. ad-)eri suaderit , imò ubicunque populus est aliqua mediocri po-itia, ait *Cominaeus lib. 8.* videmus enim ferè ab indigenis guber-ri: Galli hoc præcipuè consilio legem Salicam, quæ fœminam gno præesse vetat, tulerunt, nè summa regni ad aliquem exter-m Principem deveniret. Reginæ enim, nè ob sexus imbe-litatem in suorum contemtum deveniant, exemplo Mariæ Re-iæ Angliæ nubere volent,*Thuan. lib. 2. histor.* nec tamen facilè a majestatis dignitatisque suæ ita depriment, ut subditorum ptiis se inquinari, quod respondet Elisabetha Angliæ Regina dinibus regni,patiantur,*Bodin.6.cap.5.de Republ.* ideò ad pere-nos animum adjicient, & sic peregrinus peregrinis legibus, regrinâ religione,peregrinis institutis populum imbuet, ac pe-grinos honores & imperia largietur,ait *Bodin.dict.cap.5.* Vene-quoque qui prudentiæ laudem habent, peregrinis in Reipubl. ministratione nullum relinquunt locum, Patrit. *libr.3.tit.2.de publ.instit.* Inter Belgarum privilegia & hoc extat, nullum regrinum aut externum muneribus publicis præficiunto, quod etversum ipsis à Philippo II. Hispaniarum Rege conqueri-,*autor de jure belli Belgici*, qui Consiliarios Hispanicos primus dinibus adjunxit: mos & hic religiosissimè apud Helvetios vatur, neque enim illi peregrinum administrationi regimi-publici præficiunt. Angli quàm iniquo animo pertulerint, ilippi Hispaniarum cum Maria eorundem Regina nuptias, o-ndit Carri & Viati adversus Philippum suscepta conjuratio: quamvis pactis dotalibus inter cætera contineretur, ut plena libera beneficiorum, gratiarum ac functionum distributio nes Reginam remaneret, bellum tamen illud contra externi incipis dominatum pro patriæ libertate susceptum auctores e-

jus

jus volebant, *teste Thuano lib.13. Histor.* ut verissimum esse appareat judicium, *Cominai d.l.8.* qui externæ alicujus gentis imperium (ait) suscipit, nisi magnâ quadam & eximia virtute præditus sit, multis haud dubiè implicabitur difficultatibus: quo ipso disputationis summa concludi posset, si non argumentum contra externum capitulatio Caroli V. *apud Sleidan.* tale, quod verosimile est, suppeditaret, vult capitulatio, ut in tractatibus & rescriptis non aliud quam Germanicum vel latinum idioma usurpetur; Quod tamen non servatum conqueritur Albertus Marchio Brandenburgensis, nam eum fuisse statum (dixit) in aulâ Caroli V. ut Germanis propè aliæ discendæ linguæ, siquidem ibi cum aliquo fructu atque compendio voluerint versari, *Sleid. lib.24. de stat. rellig.* quodque non solùm ab Electoribus propositum opinari licet, ut Germanici idiomatis honos in imperio perduraret, verùm etiam ut omnis spes imperii extraneis, qui ut morum, ita plurimum Germanicæ linguæ insolentes sunt, præcideretur.

IV.

Quod non tamen sic intellectum cupimus, quasi necesse sit eligendum in Germania natum esse, sed sufficere credimus, si patre Germano etiam extra eam in lucem editus sit, *argumento l. filios C. de municipibus l.1. ff. eod.* Sic Fridericus II. Imperator, quamvis in Sicilia lucem adspexit, attamen quia Henrico VI Imperatore Germano natus est, ad imperium evocatus fuit. *Peucer. lib.5. Chronicor. vita Frider. II. Cuspin. in vitâ Frider. II. Henning. Gœden. Consil.1. Rub. An eligi possit* Carolum V. Imperat. quidem ut Hispanum Imperii incapacem putabat Elector Trevirensis *apud Sleid. lib.1. de stat. rellig.* Verùm non solùm ille Philippo Filio Maximil. I. patre Germano genitus erat, verùm etiam Gandavi urbe Belgii nobilissimâ in lucem editus fuit, rectè ergò ut Germanus admissus fuit. Belgium quippe, *ait Comes Henric. Nuevar. in orat. ad Electores pro Carolo V.* à Germania non sejungimus, moti præter alias cum fortissimas tum efficacissimas rationes auctoritate Amplissimorum virorum Taciti, Ptolomæi, Strabonis, Eutropii ac aliorum.

V.

Ut autem Electio valeat secundum normam eam quam Bulla nostra in c.2. præscribit, peragi debet.

VI. Cujus

VI.

Cujus initium ex Justiniani monitu, in nomino Domini nostri Jesu Christi ad omnia consilia omnesq; actus semper per Deum progrediendum, *in l.2.in pr.C.de offic.præfect.prætor.Afric.* ostendit, antequam Electores ad electionem Regis Romanorum in Imperatorem promovendi Electores progrediantur, statim sequenti die, postquam Francofurdiam ingressi fuerint, in Ecclesia S. Bartholomæi Apostoli Missam de S.Spiritu decantari debere, ut ipse corda eorum illustret, & eorum sensibus lumen suæ virtutis infundat, ut eo fulti præsidio hominem justum, bonum & imperio utilem eligere valeant, *in pr. h. t.* Atque hoc ille tanquam Pontificiis involutis tenebris ex Pontificum hausit traditionibus, qui electionis cujuscunque initium à Missæ decantatione desumendum esse justum eamque arbitrati sunt, *P.Gregor.Tholos.de Election. cap. 5. c.29.lib 1. partitionem juris Canonici*, adeò ut ejus omissio electionem vitiet, Marcus *decis.1356.p.1.* Verùm cum protestantes Electores ex verbo Dei cultum omnem extra verbum Dei & sine verbo Dei & quidem eum, cui tribuatur propitiatio pro peccatis, placatio offensæ Dei, impetratio gratiæ aliorumque beneficiorum à Deo, vanum esse, eumque missæ actum esse cognoscere cœperunt, *Chemnit. in p 2. examinis Consilii Tridentini tit. de Missâ Pontificiâ*; permiserunt quidem, ut Pontificii suo more, & juxta præscriptum Bullæ nostræ Missam peragerent, illi verò dum ea durat, in proximum conclave cedere cœperunt, & ideò cum Maximiliani II. electio instituenda et, & Wurtzeburgicus Liturgiam de S. Spiritu ex Aureæ Bullæ præscripto peragere cœpisset, Palatinus, Saxo, Brandeburgicus ex choro in proximum conclave discesserunt, inibi donec ad coronidem missa deducta esset, permanserunt: insequentibus eos Wilhelmo Landgravio juniore, Georgio Palatino, Francisco Lauenburgico, Anhaldino, aliisque compluribus unà cum suis Consiliariis, Principibus & Ducibus. Finitâ verò Liturgiâ, cunctisque his ad suas denuò sessiones reversis, ode illa: *Veni creator Spiritus, &c.* decantata fuit, prout refert *Nicolaus Heidenius in electione Maximiliani II.* Et nuper in electione Divi Matthiæ cum suffraganeus Moguntinus Missam celebrare inciperet, Palatinus, Saxo & Brandeburgicus Legatus surgentes in Sacellum, quod propè chorum est, à Consiliariis aulicisque suis, dum ea celebraretur, concesserunt,

quà finitâ dum prodeuntes iterum loca sua occupâssent, hymnus: *Veni creator Spiritus* &c. cantari cœptus est, verba sunt relatoris ejus, qui electionem descripsit.

VII.

Finito, ait idem Relator, hymno, Electores omnes unà cum Legato Brandenburgico, præcedentibus eos cum gladiis, excepto tamen Legato Brandeburgico, Mareschallis, ad altare juramentum ex præscripto aureæ bullæ præstituri processerunt, cumque in gradum supremum adscendissent, & ad astantes faciem convertissent, Moguntinus in medio constitutus caussas conventus sui, nempè, ut jurameutum, requirente ita aureâ bullâ, præstarent, paucis exposuit, primusq; juramentum istud, verba ei Trevirensi prælegente præstitit, postmodo Electoribus reliquis idem juramentum Moguntinus prælegit, quod ipsi itidem magnâ promtitudine & alacritate Ecclesiastici quidam admotis ad pectus suum, seculares ad Evangeliorum librum digitis præstiterunt, hoc facto Moguntinus duos Notarios requisivit, & ut actum istum notarent, unumque vel plura super eo instrumenta conficerent, hortatus est, qui fidelitatem, obsequium & promtitudinem suam ad officium hoc submissè ei deferentes, nobiles & adstantes reliquos in testimonium requisiverunt &c. Quanquam autem in bullâ nostrâ quo ordine juramentum præstare Electores soleant, non exprimatur, tamen subsequens observantia, *ait Buxdorff. in th. 28. hic*, hoc ita declaravit, ut 1. Moguntinus. 2. Trevirensis. 3. Coloniensis 4. Bohemus. 5. Palatinus. 6. Saxo. 7. Brandenburgensis id præstent.

VIII.

Summa juramenti hæc est: Ego Elector. &c. juro per fidem, quâ Deo & sacro imperio sum adstrictus secundum omnem discretionem & intellectum meum, cum Dei adjutorio eligere volo temporale caput populo Christiano, id est, Regem Romanorum in Cæsarem promovendum, quod ad hoc existat idoneus sc. intuitu trium istorum respectuum, quos *Aristoteles lib. 5. polit. 9.* iis adesse oportere dixit, qui summo magistratui præesse volunt. 1. Præsentis status Reipub. charitas Deinde maxima facultas ad munera magistratus obeunda, id est, ut facultatem, ingenium & usum

& usum ad rem gerendam habeant, tum virtus & justitia Reipubl. rationi accommodatâ. *Sequitur juramentum:* Vocemque meam & votum seu electionem dabo absque omni pacto, stipendio, precio vel promisso, seu quoquo modo talia valeant appellari, sicut me Deus adjuvet, *parag.2. hic.* Etsi enim electio cassetur, super quâ tractatus habitus fuit, *c.bona memoriæ, ibid. Innocent.n.2.de elect. & elect. potest.* Et pecuniam electionis nomine accipere nundinarique occasione dominationis fas haud sit *l.un ff.ad l. Jul. de ambitu.* Attamen, quia quod de seculi sui sordibus, *Sidonius Apollinaris lib. 7. Epistolarum 5.* conqueritur, dicere auderemus, inquit, tàm præcipitis animi esse plerosque, tàmque periculosi, ut sacrosanctam sedem dignitatemque affectare pretio oblato non reformident, & rem jam dudum in nundinam mitti, auctionemque potuisse, si quàm paratus invenitur emtor, tàm desperatus invenitur venditor, id non rarò esset in electione Regis Romanorum sese exercere compertum sit. Nam cum Carolus hic noster Ludovico Bavaro vivente in Regem Romanorum eligeretur, maximæ & multæ pecuniæ, verbis loquor *Cuspiani in vita ejusdem* Electoribus elargitæ, ut Ludovico forent rebelles; *Crantz.lib.9.in Saxonia c.26.* Et Carolus dum filium Wenceslaum sibi successorem parat, immemor legis à se latæ magnis pollicitationibus ac largitionibus Electores corrupit, quas cum exolvere nequiret, publica vectigalia illis oppignoravit ac Romanorum imperium ad hanc calamitatem, in quâ adhuc est, deduxit; Nam Principes Electores ea sibi retinent, quæ Imperatoris sunt, atque ideô se Romanum imperium attollere atque lacertos movere vix potest; ut ait *idem Cuspin.in vitâ Caroli IV.*

IX.

Cum ergò jurejurando precii occasio omnis præcisa sit, sequitur si vel pactio vel pretii promissio aut acceptio intervenerit, id quidem non alium recipere sensum posse, quàm ut tàm dantis, quàm accipientis intuitu electio nulla sit, *c. nobis. extr. de Simoniâ.* Nam cum juramentum sit de formâ electionis, eâ non servata totus actus ut corruat necesse est, *c. quia propter ext.de elect.& elect. pot.* ꝙ quamvis respectu Coëlectorum duritiem quandam sapere videatur, siquidem delictum unius alteri præjudicare non debet, attamen

quia turpitudo dantis & hoc in passu versetur, per ambitum enim ad imperium adspirare non debuit, *d.l.un.ff.ad l. Jul. de ambitu* impunitus is dimitti non debet. *Sim.Pistor.consf.1.num.33. inter consilia Modestini vol.1.* puniri verò aliter non potest, quàm electionem annullando & id quidem in fortioribus terminis concludit, Sichardus *in l.5.n.4.C.de his quæ vi metusve*, cum sit constitutio imperii, ait, ut electio novi Imperatoris tum demum rata sit, quando non intervenerit merces vel nundinatio. Ponamus ergò Carolum & Gallum esse competitores imperii : Episcopus quidam ignorante Gallo corrumpit quosdam Electores pecuniâ, ut eligatur Gallus, certè electio est nulla, nec potuit se Gallus tueri ignorantiâ, quia quoad istam privationem sufficit hoc esse actum nomine Galli, &c. Quod si, ut *Sichardus* vult, etiam ignorante Gallo datione pecuniæ nulla fiat electio, multò magis ubi sciente & jubente eo pecunia intervenerit, nulla erit.

X.

Quid si v. post electionem electus dederit pecuniam? Fridericus Dux & Elector Saxoniæ, cum delatum sibi imperium ad Carolum V. suffragio suô detulisset à Caroli Legatis 30. millia florenorum oblata constantissimè rejecit, cumque urgeretur, ut tantum 10. millia pateretur dari ministris, accipiant, inquit, si velint, attamen nemo valebit postridiè apud me, qui vel aureum acceperit. *Sleid.lib. 1.de stat.relig.Erasm.lib. 4. Epistola 13.* Quod quidem factum est heroicum & imitatione dignissimum, attamen ex jure si quæratur, accipere Elector pecuniam potuit, quia lex ambitus non pertinet ad id, quod datur post electionem spontaneâ voluntate, *Francisf.Marcus decisf.936.n. 10.p.1.* Et datum voluntate spontanea ad excludendum delictum præsumimus. *c.f. extr.de præsumt.Felin.in c.ex part. 12. extr.de off.& potestate Jud.deleg.*

XI.

Præstito a. per Electores seu nuncios juramento, ait Carolus noster, ad electionem procedant, cujus rei gratiâ sacellum ordine Cæsareum, quod concameratum & oblongum choro ad meridiem adjacens conclave est, altari eleganter extructo & pulcerrimè exornato conspicuum, multisque undique magni precii appensis tapetibus condecoratum omnes ingredi solent, *autor relationis divi Matthiæ,*

thiæ, nec abinvicem Francofurto recedere poterint; nisi major ipsorum pars Regem Romanorum elegerint, quod si v. intra 30. dies à præstito juramento continuos facere distulerint, panem manducent & aquam *parag. 3. b.* Nam cum ipsi quoque vicarii intersint electioni, facilè Resp. damni aliquid, si longior mora accederet, pati posset, & ut mixtè pericula effugiat, nihilominus ferocissimis ac audacissimis quibusque civibus, *ait Bodin. lib. 6. c. 5. de Rep.* omnia sibi licere putant, ut ferè fit mortuis Pontificibus Romanis, qui statim initiati omnia omnibus ignoscunt, ac cum ultiones ac parricidia in occasum Pontificis Maximi differri soleant, sicariis tutò latrocinari licet, hujusmodi fuère nobilissimi duo latrones in agro Romano, qui non nisi post 100. & 17. parricidia Anno 1522. pœnas dederunt. Illud autem tralaticium est, Pontifice Romano mortuo carceres effringi, custodes necari, sontes judicib. eximi, omnia divina humana misceri, quoad collegium Cardinalium concordibus suffragiis futurum Pontificem renunciarit, &c. Cujus periculi avertendi gratiâ, & ut quàm celerrimè novus Pontifex demortuo substituatur, constitutum est, ut postquam Cardinales conclave intrârint, si intra 3. dies electionem non perfecerint, per 5. sequentes dies tàm in prandio, quàm in cœnâ uno tantùm ferculo contentos esse oportere, quibus elapsis si adhuc concordes non fuerint, panis tantùm, vinum & aqua illis administrari, quoad Pontificem ritè elegerint, solet *c. 2. de Elect. & coron. Pontificis lib. 2. sacrar. ceremoniarum Ecclesiæ Romanæ*, quod verò in textu nostro certus terminus, intra quem Rex Romanorum eligi debet, constitutus sit, Canonistarum infringit opinionem, dum tradunt *in c. venerabilem extr. de elect. & elect. pot.* Si Principes Electores in eligendo Rege fuerint nimis tardi & negligentes, posse Papam eos admonere, ut procedant ad electionem, alioquin potestatem eligendi ab eis revolvi ad Papam, cum aliâs ad hoc eis non sit statutus certus terminus de jure communi. *Lancellot. lib. 1. c. 1. q. 4. parag. 2. n. 2. de templo omnium judicum. Gœden. cons. 1. t. de coronatione Cæsaris n. 4.* infringit, dico, Canonistarum opinionem, quia per Bullam nostram non solùm certus terminus conveniendi eligendique eis ponitur, verùm etiam si tardaverint pœna additur.

XII.

Cum verò ex formulâ juramenti temporale caput populo Christiano eligi debeat, utiq; non improbabiliter, ut caput cæteris corporis humani partibus dignius est, ita & Imperatorem omnium totius orbis Regum Christiani digniorem censeri colligitur, cujus intuitu das Oberhaupt im Römischen Reich/Reichsabsch. 1566. item ein Obrister Voigt der Christenheit/Reichsabsch. 1530. appellatur ad illud quæ spectat Guntheri in Ligur. lib. 6.

——— Nullum caput ista super se
Adspicit, excepto cœlorum Rege potestas.

Quod nec negare Bodinus imperii quantumvis hostis ausus fuit, sed confiteri coactus, quod Imperator Germanorum Principes omnes Christianos dignitate antecedat, *lib. 1. c. 8. de Republ.* Quod quidem Caroli V. Imperatoris symbolum exprimere satagens innuere voluit;

Vis ultra? ast ultra non est quo progrediaris,
Nil ultra est Aquilas imperiiq; decus.

Quare Philippus Landtgravius Hassiæ Granvellario inter cætera dicenti Carolum V. nè tantillum quidem habere emolumenti ex imperio respondit, quod imperii dignitas hæc autoritatem ei summam ad cæteros Reges conciliat, quanti id esse putabitur: *Sleid. lib. 17. de stat. Rellig. & Thuan. lib. 35. histor.* concertationem Galli & Hispani de loco honorificentiori in Concilio Tridentino ita concludit, Orator Gallicus obtinuit, ut Pentecostes die in publicis ceremoniis principem locum secundum Cæsaris Oratorem teneret.

XIII.

Quid autem si Imperator vivat, adeoque imperium nondum capite orbatum sit, potestnè volente eo alius ei adjungi, & in Regem Romanorum eligi? Quod etiam ex Bullâ nostra adfirmandum videtur, ita enim illâ *in pr. cap. 1.* cavetur, decernimus & præsenti edicto Imperiali perpetuo valituro sancimus, ex certâ scientiâ & imperialis potestatis plenitudine, ut quotiescunque & quandocunque

ocunque futuris temporibus necessitas, sive casus electionis Re-
is Romanorum in Imperatorem promovendi emerserit, &c. quæ
erba ejusmodi sequelas nobis exhibent. 1. verba ubi indefinita
int, ea utpote universalium vice fungentia, *Tib. Decian. Respons.*
numer.120.vol.1. ad unum mortis casum extendi non possunt,
d necessum indefinitè & generaliter accipiantur. *l. si ita ibid.*
d.ff. de legat.2.l. si pluribus ff. de legat.1. Tib. Decian. Respons.14. num.
vol.2. Atqui verba illa, *Quotiescunque & quandocunque*, inde-
ita sunt, *Tib Decian. Respons.28. numer. 16. vol 2.* Et consequenter
definitè intelligi; nec unico mortis casu definiri debent, quo
rtinet id, quod respondit *Rol. à Valle consil. 34. num. 39. vol.3.* di-
iones universales, ait, non possunt restringi, etiamsi materia sit
iosa, cum de sui propriâ significatione sint ampliativæ & in ma-
iâ restringibili nunquam excluditur lata interpretatio, quæ ex
oprietate verborum descendit, & Salycet. *in l. si servit. C. de*
ali act. dicit, quod verba ista *Quomodocunque & quandocun-*
e, quæ nostris dissimilia non sunt, apposita in statuto, impe-
int statutum pati posse interpretationem restrictivam, quam
è dictis verbis pati potuisset. 2. & si ad casum mortis ver-
illa restringere voluerimus, absurdum hoc emerget, quod
e eo casu, ubi inhabilis est Imperator, Rex Romanorum
gi posset; quod tamen dicendum non esse Adolphi Nassovii
Wenceslai exempla satis superque ostendunt. Deinde
ubicunque necessitas emergit Rex Romanorum juxta Bullam
gi potest, verùm non tantum ubi Imperator moritur aut de-
nitur, sed etiam cum plurium Regnorum regimine implica-
, necessitas emergit; quia omnibus non potest, uni verò tantum
ervire jurejurando, quod omnibus præstitit, impeditur. De-
ue 4. optima est interpretatio legis, quam is suo exemplo
it, qui legis auctor est. Constat autem, quod autor Bullæ Caro-
IV. non tantùm de casu mortis vel depositionis, verùm etiam
ctionis ejus, quæ vivo Imperatore fit, Bullam intellexerit, quia
is ejus Wenceslaus ipso sollicitante & vivente in Regem Ro-
norum electus fuit, *Cuspin. in vitâ Wenceslai.* Addamus insu-
& illud, quod electio successionis adinstar, regulari debet.

Nam

Nam quod in aliis regnis per successionem, id in imperio per electionem designatus conqueritur, certum verò est, quod in successorio regno Rex filium vel alium, cui successio debetur, in consortium regiminis suscipere potest. Nam cum dilatio regiminis post mortem Regis constituta ejus solius favorem respiciat, utique Rex ei renunciare poterit, *l. post mortem C. de fideicommiss. l. cum qui ff. de ann. legat.* Similiter itaque liberum erit Imperatori per vota Electorum, ut ei adsocietur Rex Romanorum, permittere, quia quod solus imperare potest, ejus favorem concernit, quem non minus ille, quàm quivis Rex hæreditarius, negligere poterit, atque pro hâc sententia concludit *autor Relationis historicæ Electionis D. Matthiæ*, notum est tàm ex historiis, ait ille, quàm ex veteribus recentibusque in Imperio susceptis tractationibus, receptum semper & usitatum sacro Romano nationis Germanicæ imperio fuisse, ut vel ob ingravescentem Imperatoris Romani ætatem vel ob caussas gravissimas alias, vivente adhuc Cæsare, Rex Romanus alius à sacratissimi imperii Septemviris juxta constitutionem Bullæ, quam vocant, aureæ eligeretur, ut esset ita, qui & Imperatorem in administratione imperii juvaret, & eo postmodum defuncto fasces imperii statim capesceret, illudque ab incommodis periculisque imminentibus vindicaret & conservaret, quemadmodum id in Wenceslao & Maximiliano I. qui vivente adhuc Carolo IV. & Friderico III. itemque in Ferdinando, qui tempore Caroli V. Fratris sui, nec non in Maximiliano II. Rudolpho II. qui viventibus etiamnum & imperantibus augustissimis parentibus suis in Reges Imperatoresque Romanos electi fuerunt, videre est, easdem ob causas maximè ob imminentia Romano Imperio hoc tempore pericula, & pro vitandis omnis generis, quæ interregna comitari plerunque solent, incommodis Illustrissimi Imperii Septemviri & mense Octobri Anno 1611. vivente adhuc Augustissimo Cæsare Rudolpho II. Norinbergæ convenerunt, novum quendam Regem Romanorum, qui Cæsari ad beatiorem vitam insperato forsan casu translato in imperium postmodum succederet, eligere visum est, &c. & in hanc sententiam quoq; concedit *Anton. Quetta consil. 1. n. 22.* Et pro solutione, inquit, prædictæ difficultatis est advertendum, quod tàm vacante imperio, quàm etiam non vacante Imperio potest unus eligi in Regem

Roma-

Romanum. Hoc patet *in titulo de pace constantiæ in pr.* ubi dicitur: Nos Fridericus Imperator ac filius noster Henricus Romanorum Rex concedimus, & de hoc Henrico fortè loquitur textus *in c. in nomine dist. 23.* ubi dicitur: Salvo debito honore & reverentiâ dilecti filii nostri Henrici, qui inpræsentiarum Rex habetur, & futurus Imperator, Deo concedente, speratur. Eodem igitur tempore vides posse esse Regem Romanorum & Imperatorem, & sic vivente Imperatore. Hæc Quetta. Et pro hac opinione stat *Petr. Heig. quæst. 6. lib. 1 quæst. n. 42.* Sic tamen ut triplicem existimet cautionē adhibendam esse, quarum tamen nulla ad quæstionem nostrā pertinet, quia loquuntur omnes de quæstione ea, *cur debeat eligi Rex?* quæ diversa est à nostrâ, quâ quæritur, *an possit eligi?* hæc enim posterior est alterâ illâ, nam dum posse concedimus, id sic accipi oportet, ut cogitemus, Imperatorem cum Electoribus gravi maturoq; consilio priorem illam, an debeat Imperioq; conveniat Regem eligi, trutinasse.

XIV.

Si verò Imperator dissentiet, Rex Romanorum eligi non poterit. Legimus quidem non semel viventibus & invitis Imperatoribus alios substitutos fuisse. Otto IV. ex suggestione Pontificis Innocentii III. adversus Philippum Friderici I. filium in Regem Romanorum electus fuit. *Cuspin. in vitâ Otton. IV.* & cum hic Otto anathemate Pontificis percuteretur, Philippus Francorum Rex impulsu Electoribus Moguntino, Coloniensi, Trevirensi, Regiq; Bohemiæ ac aliis Principibus suasit, Fridericum Siciliæ Regem in Regem Romanorum eligi, *Cuspin. d. lo.* quumq; hîc etiam Fridericus is nominis Secundus odium Pontificis incurrisset, ejus instinctu Electores Henricum Landgravium Thuringiæ; & eo sublato Wilhelmum Hollandiæ Comitem in Regem Romanorū contra ipsum Conradum filium ejus evexerunt. *Paralippom. ad Vrsbergens. in Friderico II.* Albertus I. Adolpho Nassoviensi reclamanti & bellum minitanti votis Electorum suffectus fuit, Paralippom. in Adolph. Vivo & invito Ludovico Bavaro Electores quidam Carolum IV. tunc Marchionem Moraviæ substituerunt, *Peucer. lib. 5. Chronic in Ludovic.* verùm hæc magis astu Pontificio procurata, quàm sana ratione recepta historiæ ejus temporis testantur; valebat enim tunc in animis Electorum Pontificii nominis terror, quo non se-

cus ille orbem Christianum, ac olim Jovis Sacerdotes superstitione animos Regũ Æthiopiæ occuparant, illi enim si necem Æthiopiæ demandarent, nullus detrectabat, aut mandatum jussionemvè denegabat, donec ad Erganem Regem perventum fuit, qui omnes occidit, & sacerdotium sustulit, *Duar. lib. 1. de benefic. Ecclesiast. cap. 4. in fin.* nam quod alibi JCtus ait, præmatura est collationis species, cum adhuc vivatis, de cujus bonis quarta debetur, *l. 1. parag. si impuberi ff. de collat. bonor.* id utique ad collationem eam, quæ fit per Electores, non ineptè transferri potest; ut enim in illa præpropera sollicitudo improba judicari solet, *l. 2. parag. interdum. ff. de vulgar. & pupill. substit.* sic & in hac regiæ dignitatis collatione gentium plerarumque institutis non minus ea damnari solet, quod Auctor. *Discurs. de Reb. Gall.* allatis Ottomannicæ gentis & Francisci Regis Gallorum exemplis confirmat, statuitque de vivo Rege actum esse, si de successore differtationes aut dimicationes admittat. Hinc est, quod etsi Papa quidem cum Cardinalibus de futuro successore deliberare valeat. *Alberic. de Rosate in l. final. num. 6. C. de pact.* attamen nulli sermones cedere Papa superstite & invito de Papatus successore licet, *Alciat. in d. l. final. num. 17.* fuitq; Romæ Cæsarum temporibus capitale, si quis de futuris à morte Imperatoris contingentibus disceptaret. *Autor dicti Discurs. de Reb. Gallic.* & tuli Responsum ab Anglis, cum tempore Elisabethæ quærerem de futuro successore, edicto sub pœna capitis de eo disquirere vetitum esse, quod promulgatum fuit, Bodino teste, cum is legationis ergò pro Francisco Andium Duce susceptæ in Anglia degeret, *lib. 6. cap. 5. de Republ.* metuit enim prudentissima fœmina, quod subveritus David Episcopus Ultrajectinus, is enim, cum de coadjutore adsciscendo interpellaretur, respondit, non hoc se laborum allevamentum exoptare, vereri enim ne idem sibi, quod sancto Antonio accidit, eveniret, qui auctoritatem suam amisit, ex quo Rochus in numerum Sanctorum fuerat receptus, *Bebel. in Facet.* Cum Carolus V. Ferdinando Fratri imperium, Philippo Filio regna propria cessisset, inque Hispaniam navigare, & quietam ibi ac monasticam quasi vitam agere constituisset, Dum Flissingæ in Selandia commodum ventum expectat, Seldius ad eum venit à Ferdinando legatus; cum eo multam in noctem producto sermone & Carolus tandem signum suis nolâ da-

là daret, ut scilicet facem aliquis, dum ille digreditur, præferret, nemine comparente, alij enim cubitum alij aliò concesserant, Carolus arrepto cereo Seldium quamvis reluctantem per scalas ipse deduxit, ac digrediens, Hoc, inquit, Seldi olim meminisse te velim, eum Imperatorem, qui tot satellitibus quondam stipatus, imò tot legionibus cinctus fuerat, jam solitarium relinqui, & à domesticis quoq; deseri, eumq; cui tot annos tu servieras, jam tibi servire, ac cereum præferre, *Caspar. Ens lib. 1. Epidorpid.* ita nimirum comparatum est, ut plures orientem quàm occidentem Solem, quod Pompejus Syllæ dixit, adorent, *Plutarch. in vita Pompeii*, qua ex re æmulationes, ex illis bella tandem nascantur necesse est, quapropter laudanda est responsio Valentiniani Imperatoris, à quo cum milites peterent, ut alterum sibi velut imperii socium adjungere vellet, me, inquit, ad imperandum deligere, ô milites penes vos erat: sed cum jam à vobis sim electus, consortem imperii, quẽ sumere postulatis, non in vestra sed in mea solius situm est potestate, quin etiam vos, qui meo jam imperio subjecti estis, conquiescere, me autem, utpote Imperatorem, qui agendum sit, considerare decet, *Sozomen. histor. Eccles. lib. 6. cap. 6.* Hinc & nostri tradunt, illicitum omnem esse actum, qui exercetur in re præter voluntatem domini aut custodes ejus, *l. si ex stipulatione ff. de acquir. possess. l. nec ex vera C. de quadrien. præscript.* Imperator a. imperii si non dominus, saltem custos est, ejus itaq; sine adsensu circa id nihil constituere licebit; quòd intelligens Guntherus Comes Schvvartzburgensis, non aliter passus contra CAROLUM IV. sese eligi, quàm si Principes imperii in Francofurt decernerent vacare imperium, majorque pars conveniret, qui sese jus eligendi habere adsererent, *Cuspinian. in Günther. Peucer lib. 5. Chronic. in Car. IV.* & ante ipsum Albertus I. oppositus Adolpho Nassaviensi noluit occiso eo imperium retinere, verùm in manus Electorum resignavit, priorem enim electionem, inquit *Cuspinian.* illegitimam reputabat ob Trevirensis & Palatini absentiam, & quod Adolphus adhuc vixerat. *Paralippom. ad Ursper. in Albert.* & Carolo IV. electionem inter alias hac quoq; de causa nonnulli Principes imperii improbabant, quod non tempore convenienti, hoc est, vacante imperio, sed dolosè & vivente Ludovico electus fuerat,

Cuspinian.in Carol.IV. atque hæc quoq; opinio satis superq; probatur ex formula jurisjurandi, quod Electores, antequam ad Electionem Regis Romanorum procedunt, præstare coguntur, jurant enim, quod temporale caput populo Christiano eligere velint, non ergò vivente hoc capite, aliud eligere poterint, quia contrario dato, non itaq; caput unum sed plura essent, quod juramentum ipsorum incurreret, *parag. 2. h. t.* admittimus tamen *invito Imperatori non solùm Regem Romanorum adjungi, si justa subsit causa, verùm eo planè deposito substitui posse*; exemplũ suppeditat, Adolphus Nassoviensis, quem Electores ut indignum imperio ideò dejecerunt, quia Principes imperii neglexit, indignos extulit, publicè adulteria patravit: virgines, moniales, viduas vi constupravit, fidem & litteris & sigillo roboratam violavit, uti auctor est *Cuspinianus in vita ejusdem.* Sicq; objectio illa, quæ ab Electione Alberti I. allata fuit, corruit, justè enim Electores allatis de causis Adolphum imperio privare potuerunt, justè ergò & eidem alium substituere, causa enim deponendi justa non potest, non secum justam substituendi alium trahere, *l. 3. ff. de re judic.* quod & eventus ostendit, nam prælio ab Alberto devictus fuit, quâ victoriâ Deus causam suâ contra Adolphum probavit, cum omnis victoria sit à Deo, reliqua illa, quæ allata sunt exempla Philippi, Ottonis IV. Friderici II. & Ludovici Bavari Pontifico astu discordantibus Electoribus procurata fuerunt, & ideò à Disputatione nostra aliena sunt, quod hunc collimat scopum, inq; eo occupatur, ut ostendat, invito Imperatori alium communi Electorum consensu jure substitui non posse, de facto, suggestione Pontificis Philippo Friderici I. filio Otto IV. suffectus fuit, pius profectò & sanctus Pontifex, inquit *Cuspin. in vita Philippi,* qui omni odio caruit, & Christianâ charitate filios suos dilexit, Christianum & Evangelicum exemplum subditis præbens, ut discamus nos mutuo exemplo Christi, qui verus amor est, amare, sed quo magis æstuabat rancore & ira in pium Principem, eò magis se submissus Philippus gerebat &c. Nec Otto diu imperio lætatus dysenteriâ correptus locum concessit Friderico ejus nominis II. qui etsi ut & Ludovicus Bavarus mirificè diris & execrationibus Pontificum divexati fuêre, attamen ad extremum usque vitæ Spiritum imperatorium obtinuêre decus & nomen, & Carolus IV. posteriori oppositus ante mortem Ludovi-

dovici in quietam imperii possessionem pervenire non potuit: Wenceslaus tamen Caroli filius, in quo ut *Peucer. in Chronic. lib. 5. in ejus vita*, nihil hominis simile præter speciē fuit, vivus vidensq; omni jure imperii exutus suo merito fuit.

XV.

Quid si Electores in eligendo discordes fuerint? Quæstio hæc in imperio ante hanc Bullam magnas excitavit turbas. Nam cum Henrico VI. mortuo Otto IV. annitente Coloniæ Archiepiscopo & fratre Ottonis Henrico Comite Rheni Palatino Rex Rom. adversus Philippum Friderici I. filium, qui tamen à majori Principum numero Henrico fratri surrogatus erat, crearetur, variâ fortunâ utriusq; partis miserè conflictata fuit Germania, *Crantz. lib. 7. in Saxon. c. 15.* Ludovicus Bavarus & Fridericus Austriæ Dux per dissidiū & discordiam Principum Imperatores creati, etiamsi à Principum majore parte ille electus fuerat, nihilominus 8. annis magnâ contentione armis inter se concertarunt, *Dubrav. lib. 20. histor. Bohem.* Carolus IV. & Güntherus Comes Schwartzburgensis per Principum discordiam electi non minimum damni imperii rebus dederunt, *Crantz. lib. 9. in Saxon. cap. 26.* Carolus itaq; suo edoctus exemplo discordiâ infeliciter exagitan- nulla unquam tempora vel prospera vel domi quieta esse, *Paulus Orosius lib. 4.* & tamen propter pronos ad dissentiendum hominum animos, *l. item si unius. parag. principaliter. ff. de recept. arbitr.* in eam facili deveniri constituit, postquam Electores omnes vel pars eorum major numero Regem Rom. elegerint, quod talis electio perinde haberi ac reputari debeat, ac si foret ab omnibus ipsis nemine discrepante concorditer celebrata *parag. 4. h.* secutus in eo prædecessoris sui Ludovici constitutionem, quam recitat *Hieron. lib. in lib. singul. de coronat. in cap. Constitut. Ludovici.* Decernimus, inquit ille, ut electus in Imperatorem concorditer vel à majore parte electorū ex solâ electione censeatur & habeatur ab omnib. pro vero & legitimo Imperatore. Cujus etiam meminit ex nostris *Alberic. à Rosate in l. benè à Zenone. C. de quadr. præsc.* Dignus quippe est promoveri, ait *Caßiodor. l. 11. variar.* quia multis meruit appellari, uni enim acceptum fuisse interdum gratia est, multis placuisse judicium. Hinc & Scævola respondit, quod major pars curiæ efficit, (ait) pro eo habetur, ac si omnes egerint *l. 19. ad municip.*

Et Pontifex, ubi major numerus est, zelus melior præsumitur *c. Ecclesia vestra extr. de elect. & elect. pot.* nec aliter statui, siquidem ad electionē deveniri volumus, poterit. Nam cum 7. Electores conveniant, & quisq; ratione juramenti præstiti suam teneatur dicere sententiam, utiq; nihil facilius erit, quàm inter illos diversas proferri sententias, inter quas si non eam, quæ numero vincit, obtinere concedimus, quæ dissidentibus, rogo, concordia dabitur? Et ideò cum Rupertus eligeretur, quamvis quatuor tantùm consentirent, *Aventin lib. 7. annal. Bojor.* Et Caroli V. electioni adversaretur Trevirensis, *Sleidan. lib. 1. de statu relig.* Ferdinandi quoq; electionē Saxo improbaret, *Sleidan. lib. 7. de statu relig.* Attamen quia pluralitas votorum certa erat, non attentâ unius aut alterius dissentientis sententiâ, per eam decretum est electis imperium.

XVI.

An v. quod de majore parte hic dicitur intelligendum sit habitâ consideratione eligentium, vel totius collegij electoralis? v. g. Duo eligunt Titium, duo Cajum, tres v. Sempronium: si majoritas respectu eligentium attendatur, Sempronius electus erit, quia trium vota habet. At si majoritas respectu collegij & personarum in eo existentiū consideretur, quia quatuor supersunt, qui in Sempronium non consenserunt, non potest dici, quod major pars Sempronium elegerit. Et quidem si ad verba textus nostri *in d. parag. 4.* attenderimus, utriq; opinioni fulcimentum ex ijs adstructi potest: Et quidem pro Sempronio sic arguendo: Pro quo pars major numero est, is electus censeri debet.

Atqui major numero pars est pro Sempronio. E.

Et si ponamus duos Electores per contumaciā abesse, tres præsentes in Sempronium consentire, duos in Titium, si majoritatem collegij consideraverimus, nec sic quidē Sempronius electus erit, quia quatuor adhuc supersunt, quod tamen dicendū non est, quia cōtumaces in numero Electorum non comparantur *parag. princeps. 21. c. 1. hic Marcus decis. 773. n. 2. p. 1.* Estq; ea semper in dubio interpretatio actus sumenda, ut is potius valeat quàm ut pereat *l. quoties ff. de V. O. Tiber. Dec. respons. 5. n. 62. vol. 1.* Et ideò cum hic in dubio & quidē juris, quod fatetur *Lupoldus de Babenberg c. 10. de jure regni*, versemur, potius pro Sempronio, ut actus electionis valeat, standum erit Deinde à jure Patronatus arguendo ad electionem nostram, ut n.

patronus

patronus Ecclesiæ viduatæ aliud repræsentat, ita Electores per Electionem viduato imperio novum Regum repræsentant: In jure a Patronatus ita receptum est, ut si fortè in plures partes fundatorum se vota diviserint, ille præficiatur Ecclesiæ, qui plurimorum eligitur & approbatur adsensu *c. quoniam ex. de jure. patr. 2.* E.& idē in electione nostrâ, quia utiq; Sempronius plurimorum adprobatus est adsensu, dicendum erit. Contra Sempronium tamen induci textus *in d parag. 4.* potest, requirit n. ut pars ipsorum scil. electorū major numero elegerit, tres a. saltem Electores,& sic non pars major ipsorum Sempronium elegit, quæ verba posita quoq; sunt *in d. §. 3. bi: nisi prius major pars &c. hic.* Atq; hanc opinionē probat *c. Ecclesia vestra 57. ibid. Panorm. ex:r. de elect. & elect. potest.*& est ratio secundum *Lupoldum de Babenbergt d. c. 12.* quia electio non pertinet ad eos, ut singulares personas, sed ut ad collegium & universitatem, quod probat latius *Lupold c. 6. de jure regni,*& ideò collegij major requiritur pars. *Morla in Emporio juris tit. ult. quæst. 9. num. 14* Et in terminis nostris ita definit *Onuphrius Panvinius t. verior. 7. imperij Electorum &c. de comitiis imperatorijs* : Quatuor enim suffragia, ait, & non pauciora ex 7 Imperatorem vel Regem creant &c. Et cum hac opinione transeunt alij, apud Buxdorffium citati *th. 35. lit: e. hic.*

XVII.

Quid si vota paria sint? Ut si tantùm 6. Electores adsint, septimus absit, sicuti Bohemum tempore Maximiliani I. electionis præteritū fuisse refert, *Hartman. Maurus de coron Caroli. V. quo apparatu* &c: Et quidem de consuetudine uterq; administrat, quamdiu alter eorum fuerit per Papam reprobatus, ait *Gœden. cons. 1. t. de coron. num. 3.* Et potest Pontifex gratificari, cui voluerit, *Lancellot. lib. 1. cap. 1. parag. 2. q. 4. num. 6. in templo omnium judicum.* Sciunt Principes, ait *Innocentius III.* qui nomen à contrario habuit, ut loquitur *Cuspin. in vita Philippi;* quod cum Lotharius & Cunradus in discordia fuissent electi, Romanus Pontifex Lotharium coronavit, & imperium obtinuit coronatus *in c. venerabilē extr. de elect. & elect. pot* Verùm horum opinio mihi nō placet, quia textus noster vult eū demum pro electo Imperatore habēdū esse, qui a majori parte electus est, *d. §. 3. & 4.* Quapropter casu emergente,

gente, quo in duos concurrunt vota paria, neuter electus erit & consequenter, nec Pontifex suo suffragio unum nominatorum confirmare poterit, quia ex nullâ electione nulla potest subsequi confirmatio, & ideò si accedere pars una ad aliam noluerit, de novo electio instituenda erit, & si Pontifici quid hac in re concederemus, verendum nè inter præcipuas columnas imperii dissidii semina spargeremus. Nam cum æquali in dignitate Electores sint, æqualiq; potestate eligendi effulgeant, haud dubiè pars ea, quæ à Pontifice negligitur, offenderetur. Quin ille ipse *Innocentius in d.c. venerab.lem*, fatetur, Pontificem nec Electoris nec unitoris personam dissentientibus Electoribus adsumere posse, & consequenter nullo modo ad eligendum unum ex duobus admitti poterit, rectèq; respondit *Lupoldus de Papenberg in d.c.12.* quod *d.c. venerabilem*, nec ulla alia constitutio juris canonici juribus regni & imperii in aliquo præjudicium generare posset.

XVIII.

Verùm quid si neq; major pars, sed saltem duo aut tres convenerint? Et dicendum videbatur, illos ad electionem procedere non posse, cum quia textus noster requirit, ut major pars eligat, tum quia lex civilis, ut duæ ad minimū partes in actib. collegialibus adsint, exigit, *l. nulli l. planè ff. qui cujusq; univers.* Hinc est quod in electione Pontificis consensus duarum partium requiratur *c. licet devitandum. extr. de elect. & elect. pot. Marcus decis. 773.n.8.p.1.* Sed illis non attentis cum absentium & per contumaciā venire negligentium ratio haberi non soleat *parag. Princeps. v.21. c.1. hic.* jus eorum recidere in venientes putamus *l. sicut parag. f. ff. quod cujusq; univers. nonnne.* Quare *in c.6. parag.2.* hic dicitur, seu his, qui potuerint vel voluerint interesse, in electionis termino invicem congregatis &c. Et ideò si duo aut tres saltem voluerint interesse, ex illo textu ad electionem rectè procedere poterunt, imò ex *Innocentii* sententia, si unus solus sit, ille vocatis testibus votum suum dicet, & postea eligit & electionem publicabit, *Innocent. in c. quia propter. n.5. extr. de elect & elect. potest.* Quò pertinet notabilis *gl. in d. parag. sicut. parag. f.* licet unus, ait, non sit universitas, nec universi, nec universus, retinetur tamen jus universitatis. Nec adversatur textus noster *in d. parag. 4.* quia loquitur de eo casu, ubi omnes vel plerique intersunt, tum quippe ad partis majoris electionem

respi-

respiciendum erit; quo modo si intelligantur quoq; *dd. ll. 3. 4.* nihil oberunt. Quod verò de electione Pontificis additum fuit, resolutionem capit ex textu allegato, in Romana Ecclesia speciale id constituitur, ait, quia non poterit ad superiorem decursus haberi *d. c. licet.*

XIX.

Quid si autem Elector tardaverit, Antè electionem verò finitam venerit, admittendusnè? Videbatur dicendum, quod non, cùm quia *in §. præterea, c. 1. hîc*, constituitur, ut intra 3. menses continuos volentes interesse electioni adesse debeant, permissum verò ad vel intra certum tempus post illud prohibitum esse censetur *l. si unus §. 1. ibid. Bl. l. Epistola §. fin. ff. de pact.* tùm quia lapsus termini vim renunciationis habet. *Schrad. cons. 4. nu. 4. vol. 1.* nemini autem ad id, cui renunciavit, regressus datur, *l. pen. C. de pact. l. fin. C. de remiss. pign.* Verùm iis, non attentis Carolus constituit, hunc ad Electionem in eo statu admitti debere, in quo ipsa adventus sui tempore consistebat *d. §. 4. hîc.* Et rectè, quia jus electionis & præsentium per advenientem deterius non fit, admitti ergò debet, *argum. l. & si post tres. ff. si quis caut. in jud. sistendi caussa.* Unde & nostri tradunt, quod etiam post terminum legalem & statutarium, si jus partis adversæ deterius factum non sit, cuilibet permissum sit venire, & jus suum in judicium deducere, *Schrad. d. cons. 4. n 154.* Quapropter Cardinalis post inchoatam electionem veniens, in illo statu, in quo negocium invenerit, admitti debet, *c. ubi periculum. vers. sanè si aliquis. de lect. & elect. potestate.*

XXII.

Peractâ verò electione statim privilegia Electorum electus confirmare potest?

Quod quidem primâ facie negandum videtur, 1. quia nullum imperfectum operari perfectum potest, aliâs enim perfectum ab imperfecto non dignosceretur *l. ædific. §. perfecti sunt. ff. de ædil. edict.* perfectum a. non est, cui aliqua particula deest *l. cum aliter. ff. ad SCtum Sillanianum.* Atqui electus nondum coronatus est & ideò cùm coronatio ad perfectionē dignitatis regialis requiratur,

nam. Imperator in ipsâ coronatione oriri dicitur, ut constat *ex l. omnes 7. v. nostris etiam diebus C. de feriis*, ibi vel ortus imperii protulerunt, i.e. quando coronatus est, ut *Accursius* explicat, exercere illa, quæ sunt dignitatis & potestatis imperialis, cujusmodi est privilegiorum confirmatio, ante coronationem non potest. Hinc *Onuphrius Panvinius Rubrica verior 7. Imperii Electorum &c.* Pontifex ait, in ejus locum obtinuit, nè Imperator imperii negocia tractare possit, antequam confirmationem & consensum Pontificis Romani obtineat, *de comitiis Imperatoriis; & Franciscus Guicciardinus lib. 13. Histor. Italicæ*: Maximilianus, inquit, Regem Romanorum designare non poterat, cum ipse nondum à Pontifice Romano esset inauguratus, & quanquam infirmiore valetudine retentus in Germaniâ à Pontifice peteret, ut is missis aliquot Cardinalibus negocium coronandi sui extra Italiam in Germania scil. daret, tamen morte præventus impetrare, quod voluit, non potuit &c. Quâ de causa nonnulli scriptores Henricum Aucupem inter Impp. referre nolunt, quod coronationem à Pontifice non petierit. *Cuspin. in vitâ Henrici III.* Deindè si electus ad illa, quæ sunt Imperatoris, manus extendere possit, quid est quod præcipuū habiturus sit Imperator, aut in quo hic à Rege differt, cum tamen in discursu Bullæ nostræ sæpius dicatur Regem Romanorum in Cæsarem promovendum eligi §. 2. & 3. *hic.* Promotus ergò nondum est; Unde constitutum est, electum ante confirmationem non posse beneficia vel honores concedere *c. nosti. 9. extr. de elect. & elect. pot. Marcus decis. 779. num. 5. p. 1.* Verùm iis non attentis consuetudine receptum ait Carolus, & per constitutionem hanc confirmavit, quod peractâ electione statim priusquam electus in aliquibus causis vel negociis virtute sacri imperii administret, universis & singulis Principibus, Electoribus, Ecclesiasticis & secularibus omnia ipsorum privilegia, literas, jura, libertates, concessiones, antiquas consuetudines, dignitates, & quicquid ipsi ab imperio usque in diem electionis suæ obtinuerunt & possederunt, absque dilatione & contradictione confirmare & approbare debet, §. 5. *hic.* Qua de re conqueritur post *Cusan. lib. 3. cap. 30. Crantz. lib. 11. cap. 29. in Saxonia*, patrimonium imperii distributum inter Principes Electores, ait, ipseq; Imperator jurejurando adstrictus

non

non repetere. Quid faciet? Sanè si id, quod idem *Crantz. lib. 10. cap. 3. in Saxonia* refert; verùm quod à Carolo nostro eviſceratum imperium ſit, Rheniq; vectigalia, quæ pro patrimonio erant imperio inde partita, ut unusquisque electorum non modicum quid accipere, haut immeritò de juſtitiâ hujus quæſtionis dubitaveris, quia Princeps omnis hunc in finem conſtitutus eſt, ut procuret illa, quæ ad incrementum & conſervationem Principatus ſui faciunt, vitet verò ea, quæ ad deſtructionem ejuſdem tendunt §. *ideoq; C. de nov. Cod. fac.* Adſumtio verò cum per alienationem vectigalium detrimentoſa imperio exurgat: Concluſio per ſe juridica cuivis patet, *Pruckman. membr. 2. cap. 4. effect. 6. in §. ſoluta poteſtas.* Et ideò cum ſucceſſor ſui prædeceſſoris contractum in detrimentum Principatus tendentem ſervare non teneatur, non ſolùm ſucceſſori, ait *Pruckman. membr. 2. cap. 4. effect. 2. d. §. ſoluta pot.* Verùm etiam Priecipatus ordinibus juſtitiæ ordine non neglecto, & ſi fieri poteſt, Principe ſucceſſore auctore rem in formam & ſtatum antiquum reducere permiſſum erit, quia ſolus populi ſuprema lex eſſe debet. Quicquid ſit, veriſsimum eſt, ejuſdem Crantzii judicium, aliquantò melius actum eſſet, ait, cum imperio, ſi neque pater neque filius in eo fuiſſent. Nam pater largitionibus, ut filium extolleret, filius ignavis diſſimulationibus imperium attrivêre, inque eam tenuitatem, quæ nunc cernitur, adduxêre. Auguſtos ſe amant interpretari, quaſi augendo inſtantes imperio, ſed longè ab hac interpretatione patris largitio, & filii ignava diſſimulatio receſſit *lib. 10. cap. 4. in Saxon.*

Sed ad rem, peractâ electione Rex Rom. electus ſtatim dicitur, quod non ſolùm ex textu noſtro, verùm etiam Ludovici Bavari conſtitutione apparet, *Hieron. Balb. Rubr. Conſtitutio Ludovici Bavari &c. in lib. ſingulari de coronat.* Cujus quoq; meminit *Crantz. lib. 9. c. 15. in Saxon.* Inter alia verò ait conſtitutũ, quod electus à Principib. aut à majore aut ſaniore parte adminiſtrationem habeat, citra adſenſum Pontificis. Nam ea, quæ præter hæc introducta ſunt, nec divino jure nec ullâ patrum ordinatione, ſed blandâ adſentatione & Romanorum ſpontaneâ ingeſtione Pontificum provenerunt. Quod poſterius explicatius habet *Marcilius de Padua pag. 2. in defenſorio pacis cap. 26.* voluerunt Romanorum Principum

quidam, inquit, circa tempora Constantini ex superfluâ quadam devotione electionem de se factam amicabiliter significare Romanis Pontificibus, ut in eorum personâ Christo singularem reverentiam exhibentes, ab eo per Pontificum intercessionem ampliorem benedictionem & gratiam ad suum gubernandum imperium obtinerent. Eodemq; modo propter suæ inthronisationis solennitatem & signum & ampliorem Dei gratiam obtinendam diadema Regium per eos sibi imponi fecerunt. Ex hac quidem igitur reverentia, sic sponte per Romanos Principes exhibitâ quærentes sæpius, quæ sua non sunt, Episcopi Romanorum induxerunt consuetudinem & abusum verius propter Principum simplicitatem, laudationem electæ personæ ac benedictionem, quam super illam mittebant, vocaliter, aut in scriptis vocare confirmationem electionis prædictæ, nec attendentibus olim Romanis Principibus, quæ sub hac appellationis figurâ præjudicialis lateat intentio, sic ipsum successivè subinduxerunt latenter, ut nullus quantumcunque convenienter electus Rex vocari debeat, neque Regis autoritatem habeat, nisi per Romanum Episcopum fuerit approbatus &c. Ex quibus adsumendo concludimus.

Si Rex Rom: solâ electione constituitur, utique & privilegia Electoribus confirmare poterit. Quod argumento à majore ad minus ducto ex §.*3 si v.aliquam qu.t.7.liquet.* Rex Roman.principatum ad imperium devolutum alij concedere potest & ideò jus principatui concessum multò magis revocare aut confirmare poterit: Etsi Rex Roman. idem qui Imperator sit, utique privilegia Electorum rectè confirmabit, quia Imperatori hoc nemo denegat.*l.1.& fac.l.3.ff.de Constit.Princip.* Atqui verum prius esse constat ex*§.f. infr. t.5.ibi Imperator sive Rex Romanorum &c.* Posterius itaque & verum erit.

Deinde constat, quod electio electo tribuat idem jus, quod Successio successori. Atqui ei, qui ad regnandum natus est, eveniente successionis casu debetur Regis nomen, antequam coronatur. Nam Regum coronationes nihil aliud sunt, quàm externæ ceremoniæ, aut testimonia publica, quibus probetur eos legitimè succedere, proq; legitimis Regibus habendos atq; adgnoscendos esse. Electo ergò per electionem similiter nomen Imperatoris debetur. Etsi Papali coronationi ortum Imperatoris attribuere

tribuere libeat, in classem Imperatorum non referendus erit Rudolphus I. non Maximilianus I. non Ferdinandus, non Maximilianus II. non Rudolphus II. non Divus Matthias, quia à Papa coronati non fuerunt, omnes tamen & singuli Imperatores fuerunt, & à toto mundo pro talibus culti, & etiamnum habentur, ut vanum huc usque eorum augurium non fuisse appareat, qui cum in coronatione Pontificiâ Caroli V. Imper. Bononiæ celebratâ pons ingens, super quem ingrediebantur, corrueret, rem in omen vertentes, ex confracto ponte nullum deinceps alium Imper. coronatum iri vaticinari ausi fuerũt, ut refert *Cornelius Agrippa de coronatione augustali Caroli V.* Quin quod vel maximè notandum, verosimile est, si tantùm momenti in coronatione Pontificiâ positum Carolus noster, Pontificij nominis studiosissimus, scivisset vel verbulo mentionem ejus in hac fundamentali imperij lege fecisset. Imò cum Clemens VI. post mortem Ludovici Carolo nostro diploma dedisset, postulassetq; ut Germanicum tanquam Ecclesiæ fidum reciperent, & posthac nullum prius fore Cæsarem, quàm primarius orbis Christiani Sacerdos vicarius auctor fiat, jurarent. Insuper abrogationem Pontificis Maximi ad imper: spectare, hæresin omnium perniciosissimam esse profiterentur, tantùm abest, ut consentire in hæc postulata voluerint, ut etiã apertè proclamarint, usque adeòne servus ille servorum fastu libidineq; dominandi fuerit, insanit atq; in præceps abit, ut omnium sævissimorum tyrannorum, quos unquam fuisse legimus, crimina, superbiam vincere prefrictâ fronte contendat, *Aventinus lib. 7. ann.*

Ecce paterna fides & magni præsulis alma
Integritas humilisq; Petri vestigia sectans
Jam non ferre crucem Domini, sed tradere regna
Gaudet, & Augustus mavult, quàm præsul haberi &c.

inquit *Guntherus in Ligurino lib. 6.* Quare ad Basiliensium quoq; aures hæc postulata Pontificis cum venissent, Consul eorundem in præsentiâ Caroli nostri dixit ad Legatum Apostolicum, quemcunq; dederint nobis Principes & Domini Electores vel major pars pro Romano Imperatore, illum pro tali habebimus, etiamsi Papa nunquam requireret, *Henricus Mutius lib. 25. in Chron Germ.*

O 3 Quid?

Quid? quod Electores jurent se temporale caput Christiano populo electuros §. *2. hic.* Non ergò Papa eligit, si non eligit, qui electus est, ut protiuus caput populi Romani sit necessū est, is vèrò non alius est, quàm Rex seu Imperator Romanorū, Et electus statim administrat *d.* §. *5. hic.* Si Administrator est, sanè Imperator vel Rex Romanorum sit necesse est. Nam, ut inquit *ICtus, quidam de translatione imperii cap. 6.* administratio imperii fundamentum est imperialis honoris, cui igitur hæc commissa est, omnia ea habet, quæ inde dependenr, propterea & nomen Imperatorium. Et paulò pòst subjicit, ponamus Regem Rom. electū in Imperatorem vel Cæsarem non promoveri, quid præter alia respondebimus? id quod & Judæi dicebant, se nullum Regem habere præterquam Cæsarem, & quod Maximilianus II. respondit Oratori Regis Galliæ, cum ipsi diceret, Pontificem Romanum creasse magnum Ducem Hetruriæ Regem, Italiam nullum Regem habere, nisi Cæsarem, *Bod. lib. 1. de Republ. c. 9.* Ex quibus quantum deferendum sit argumentis in contrarium allatis, cognoscere in difficili non est: Nam 1. quod attinet, quodq; papalem coronationem ac perfectionem imperialis dignitatis requirit, resolutioné capit ex eo, quod non quid Romæ existimetur, sed quid sentiendum sit, spectari debeat *l. sed licet is ff. de offic. præsid.* Olim & dum terror nominis Pontificii etiamnum animos nostratium detineret, rei perfectionem ab illà papali coronatione dependere putabatur, *Alciat. in libello de formula Rom. Imp. Onuphrius Panvin. d. lo.* Quò pertinent versus *Guntheri in Ligur. l. 6.*

> *Quod prius Ausoniis dum versaretur in oris*
> *Audierat Latiæ diffusum plebis in ora,*
> *Et vulgò dici solitum, contingere nulli*
> *Regna Latina viro, nisi cui Romanus amicè*
> *Traderet illa manu Petri sub nomine Præsul.*

Sicq; per factum ad jus arguere non solùm licitum, sed necessarium esse credebant: Verùm quod infirma planè consequentia animadvertere poterimus, si consideraverimus eum qui coronat, nihil novi juris electo tribuere, sed quod ei votis & suffragiis electorum tributum est, hoc publico coronationis actu saltem significare, aliàs n. si sic procedere volueris, quicunq; coronam imponit, imperium dat, ineptâ consequentiâ id efficies, Regibus quoq; aliis à regnorū Archiepiscopis vel Episcopis regna dari, quia coronam iis imponunt.

aunt. Sic Christierno III. Regi Danorum Anno 1537. Johannes Bugenhagius Wittebergensis Ecclesiastes: moderno & viventi Christiano IV. Petrus Gunsdorff Episcopus Selandiæ: Sigismundo Polonorum Regi, Archiepiscopus Cresnensis; *Dresserus de coronatione imperii*, coronam imposuit: Boëmorum Reges Archiepiscopi Pragenses, *Cromerus lib.12. histor. Bohem.* Gallorum Reges, Archiepiscopi Rhenenses. *Sleid. lib.9. de stat. relig.* coronare solent. Nec tamen eosdem, quos diximus, Regibus suis regna conferre dicendū erit: Sic in Populo Israëlitico Prophetæ Reges inungebant, nec tamen à Prophetis tributum Regib. Israëliticis regnum existimare licebit: Verùm cū Impp. subductis nebulis, & quò tenderent Pontificum astus, animadverterent, coronationem ut inutilem & supervacuum neglexerunt. Hinc cum Maximil.I. ad imperii ordines orationem haberet coronam imperialem à Romano Pontifice accipere minimè necessarium sibi videri dixit. *Bodin. 2. de Repub. cap 6.* Et perspiciens Pontifex in concursu Caroli V. & Francisci I. Galliarum Regis, eum non tantùm apud Septemviros, verba sunt *Guicciardini l.13. Histor. Ital.* autoritatem habere, ut se multum eâ proficere posse speraret, in tàm gravi re prudentiam & artes necessarias esse censuit: At si, quod Pontificii volunt, Pontifex per coronationem imperium tribuit, quid prudentiâ aut artibus opus fuisset, cum pro voluntate suâ is, quem coronasset, imperium obtinuisset. Verùm cum ex prædecessoris Maximiliani instituto, & quantumvis Pontificiæ coronationi detulisset, satis superq; cognovisset, vulpinam induere pellem coactus fuit, & quamvis *Guicciard. d. lo.* arbitretur Maximilianum ideò Regem successorem sibi designare non potuisse, quia à Pontifice Romano inauguratus non esset, refutatur tamen ille subsequenti Impp. observantiâ; Ferdinandus à Papa inauguratus non fuit, vidit tamen ille successorem Maximilianum Filium, & hic Rudolphum Filium, nec enim papalis coronatio, sed Electorum voluntas spectanda erit, & Guicciardino in altero quoque, dum Maximilianum I. coronationem extra Italiam fieri à Pontifice petiisse existimat, opponimus *Hieronymum Balbum in lib. de coronatione*, qui illo tempore vixit, is enim in dedicatione ad Garsiam ait, Sigismundus & Fridericus nihil antiquius habuêre, quā coronæ adipiscendæ gratiâ

Romam

Romam usque magnis itineribus proficisci, duo verò reliqui Albertus scil. & Maximilianus, sive quod non totam parvi fecerint, sive quod rem totam parvi fecerint, sive quid aliud in causa fuerit, id munus neque appetere, neque oblatum suscipere curârunt, & hinc consentiens *Bodin. d.c.6.* Maximiliano ideò coronam à Pontifice accipere minimè necessarium visum dicit, quod imperij majestatem ipsis ordinibus inesse intelligeret. Quodq; additum insuper Henricum Aucupem ideò ab Italicis scriptoribus inter Impp. non referri, quod coronationem Pontificiam non petierit, attendendum non est, sciptores enim uti nec imperia dare, sic nec auferre eadem possunt, & per hanc rationem omnes illi, qui coronationem illam spreverunt albo Imperatorum eximerentur, quod tamen adserere absonum fuerit. De altero argumento latius in sequenti quæstione, & quâ ratione Pex Romanorum ab Imperatore secernatur, dicetur. Ultimam objectionem, quod attinet, quâ electum, ante confirmationem beneficia haut conferre, dictum, nihil ea nostræ adversatur sententiæ, quia per electionem satis confirmatum electum adserimus. *Petrus de Andlo lib. 2. c. 5. de Rom. Imperio.*

XXI.

Nullumnè ergò est discrimen inter Regem Romanorum & Imperatorem?

Confirmationem autem privilegiorum electus ipse, ait textus *in §. 6. hic,* cuilibit Principi Electori in specie primo suo nomine Regali faciet, & deinde sub Imperiali titulo innovabit, est ergò discrimen inter nomen Regale & titulum imperialem, nam si unum & idem nomen Regale cum Imperatorio ad quid innovatione opus erit? Et quidem si ad Canones & Dd. respexerimus, effulgebit jam tactum discrimen in quæstione præcedenti *c. venerabilē ex de. elect. & elect. potest.* Est receptū, inquit *Petrus de Andlo. lib. 2. cap. 5. de Romano imperio in f.* quod electus & approbatus ad regimen Romani imperij non dicitur Imperator, sed Rex: Atque ante coronationem non utitur bulla sed tantùm sigillo. *Clem. Romani, in f. de jurejur. Lancell. c. 1. §. 1. q. 3. lib. 1. in templ. omnium*

jud.

jud. Martha p.1. c.21.n.25. de jurisd. Quetta consil. 1. n.16. Addit & tertium *Freherus in notis ad Petr. de Andlo. d.c.5.* Rex electus, ait, in sigillis & insignibus aquilam saltem simplicem, Imperator coronatus duplicem sive bicipitem gerit: Et quidem si ad eum, qui mortuo Imperatore in Regem Rom. eligitur, jam recitatas differentias applicare voluerimus, minimè licebit. Nam postquam electus est, statim vi electionis nullâ amplius confirmatione attentâ Imperator dicetur, quod idem *autor de translatione Imperii d.c.6.* rectè considerat, dicendo Electores imperii columnæ & latera dicuntur, imò & corporis Romani Imperatoris pars sunt, *t.12. vers. 24. infr. in hac Bullâ.* Et si quis contra eos factionem inierit, non minus punitur, quàm si adversus ipsum Imperatorẽ conspirârit: Hi igitur tàm illustres Imperii proceres, è quibus & Rex Bohemiæ est, cur alium ab imperio & corpore suo eligerent & constituerent, qui alienâ confirmatione & dignitatis imperatoriæ completione opus haberet? totum autem quicquid Imperator est & habet, ab electione est & habet: Ab iis autem qui sibi tantopere totum hoc arrogant, nihil habet, cum rursus ipsi ab Imperatore & imperio omnia, ut & urbem ipsam, possident, *& paulò post*: quàm iniquè vel absurdè potiùs comparatum esset; Si Principes Electores imperii ratione Principatuum omne jus, vocem, potestatem, dignitatem, & omnia ab ipsis dependentia habeant, is verò qui ab iis electus est, defectum aliquem dignitatis, majestatis vel nominis Imperatorii pateretur, adeò ut à Pontificis Romani lumine accendi & illustrari debeat, cum hic non uni Principatui seu Ducatui sed toti Romano imperio præsit, atq; in omnes Principes jurisdictionem suam exerceat. Quod quia & pluribus in præcedenti quæstione confirmavimus, ad eum qui vivo Imperatore in Regem Rom. eligitur, deveniendum erit. Qui cum gradu honoris Imperatore non solùm inferior sit, verùm etiam ipso præsente ejus potest s obnubileter. Nam ut ait Præpositus *in c. pervènerabilem § quia n 88. extr. qui filii sint legitimi:* Quoties duo gradus successivi ab invicem subordinati sunt, existens in primo non debet attingere ea, quæ sunt ultra *c. Diaconus & seq. dist. 13.* nec uni commissum alius gradus surripiat, *argum. l. consulta C. de testament.* In electo autem tali considerari duo gradus possint, unus quatenus Rex, alter, ad

quem defuncto Imperatore promovendus est: De eo igitur & secundum & tertium discrimen admitti poterit: Primum verò quod attinet, quo coronatione Pontificis eum demum ad dignitatem Imperat. evehi canones & Dd. allegati volunt, sanè subsistere nequit, quia cum in fata Imperator concedat, statim Rex Romanorum in Imperatorem electione & voluntate Electorum promovetur. Exempla habemus in Ferdinando, Maximiliano II. & Rudolpho II. qui vivis Impp. in Reges electi, iis defunctis non à Pontifice, sed Electorum votis protinus in Imperatorem evecti fuêre: Et rectè, quia ut heres futurus dicitur heres *l. Epist. ff. ad SCtum Trebellian.* & hereditas futura dicitur hereditas *l. quaesitum* § *si quis mihi. ff. de leg. 1.* Ita etiam Rex ut futurus Imperator rectè non attentâ Pontificis confirmatione dicitur Imperator. Nam qui per se summum & principium est, à nullo dependens nullius eget confirmatione: Atqui electus ab Electoribus per se summus est, & à nullo dependet, *in pr. Nov. quomodo oportet Episcopos vel Clericos.* Confirmatione itaq; Pontificiâ non eget, & si per coronationem Pontificis confirmari demum Imperatorē volumus, deterioris conditionis erit, quàm in dignitate inferiori constituti, qui solâ electione citra aliam confirmationem dignitati tributis gaudent privilegiis, *l. ult. C. de decur. l. C. de patr. potest. §. filiusfam. v. sed ex constitutione. Inst. quib. mod. patr. potest. solv.* Illud v. admittendū non erit, quia ei, qui major est, pleniora equidē quàm ei, qui minor est, concedi debent, *argum. l. Marcellus. ff. de donat. caussa mort. c. non debet de R. J. in 6.* ut silentio involvamus, quod electio hæc æquiparetur illi, quæ fiebat olim per populum Roman. ejusdem ergò naturæ esse debet *l. 3. C. de adopt. §. plura Inst. de Action.* Verùm populi electio nullo alio expectato totū & perfectum jus transferebat *l. 2. §. deinde. ff. de O. I.* Atqui, inquies, si electus protinus mortuo Imperatore ejus subintrat locum, quid est, quod per discursum in hâc Bullâ dicitur, Regem Rom. in Cæsarem promovendum eligi *§. 2. & 3. hic.* An respondebimus, promovendum ad instar cingendi haberi pro promoto? Dici potest Carolū ad sua tempora respexisse, queis etiamnum coronatio Pontificia pro complemento Imperatoriæ dignitatis putabatur, cujus petendæ gratia 20 peditum, 4. equitum milia octo mensiū spacia profecturo imperium præstabat. *Thesaur-*

Politic.

Politic. Caspar. Ent. apotelesmate 6. Verùm cum posteriores Electores animadverterent, nihil realitatis Pontificem dignitati Imperatoriæ conferre, & sumtus eos adversus hostes imperii utilius erogari posse, omissâ Pontificiâ coronatione, electione Electorum solâ rem perfici omnem rectè constituerunt. Quod v. *in §. 6.* hic additur, privilegia Electorum primum nomine Regali, postmodum sub Imperiali titulo innovari deberi, tantùm abest, ut nostram impugnet sententiam, ut eam etiam disertè confirmet. Nam quemadmodum Imperator innovando promovet jura Electorum; ita & ipse promovetur, nullus verò Imperatorum, quantum quidem cognitum est, nova diplomata, investituras, confirmationes, Electoribus post factam Electionem confert aut contulit, sed priora omnia in eodem statu & jure permanent, *d. autor de jure translationis imperij.* Relinquitur itaque nec alia in promotione Imperatoris opus esse confirmatione.

XXII.

Quid si tres elegerint quartum ex numero Electorum, poteritnè Electus in sui electionem consentire & suâ voce numerum augere?

Dubitandi ansam primùm præbet id, quod nemo in suâ caussâ testis vel etiã judex sit, *l. un. C. nè quis in causa sua.* At dum semetipsum electus voce suâ juvat, videtur quasi sibi perhibere testimonium, & judicare se dignum esse, cui fasces imperii tradantur, juravit enim cum cæteris se idoneum electurum *§. 2. b.* Hinc expressè traditum est, eum, ad quem spectat collatio dignitatum, semetipsum eligere non posse, *c. f. extr. de institut.* ubi additur hæc ratio, quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio personalis, *& in c. per materias. extr. de jure patronat.* Nullus, ait Pontifex, se potest ad personarum alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcunq; idoneus sit, & quibuscunq; studiis & meritis juvetur. *Peregrin. consil. 35 num. 25. vol. 1.* Desiderantibus enim est negandum, fugientibus verò offerendum *c. in scripturis 8. quæst. 1. Innoc. cap. 23. de elect. & elect. pot.* Suspectusque is putatur, qui operas suas ingerit,

ut ait Ulpian. *in l. quæ omnia* §. 2. *ff. de procurat.* Ex quibus factum culpabile laudatumvè ſit Sigiſmundi Imper. dijudicare licet. Germani, inquit *Dubrav. lib. 23. hiſt. Bohem.* jam pridem Roberto Bavaro amiſſo, quem Wenceslao ſuperſtiti ſurrogabant, rurſus ad alium ei ſurrogandum animos dejiciunt, Moguntino Comitia Electoribus indicente: Ad quæ cum Sigiſmundus Rex Ungariæ tanquam Marchio Brandenburgenſis, qui unus Electorum habetur, veniſſet, dignitatisq; Regiæ gratiâ primus ſententiam eſſet rogatus de Cæſare nominando, ipſe ſe nominavit, me, inquiens, ego novi alios non itidem, an mecum æquè orbis imperio digni ſint, præſertim in tantto rerum motu, quo Italia quoque ſchiſmate ibi durante plurimum laborat. Mirati tàm liberam & apertam Sigiſmundi vocem cæteri Electores, communique adſenſu illam adprobantes ipſum Sigiſmundum, Wenceslai fratrem, Cæſarem conſalutant &c. Verùm ſuprà dictis non attentis contrariũ conſtituit Corolus *in §. fin. h.* vocem illius electi, ait, ſi præſens adfuerit, aut nunciorum ipſius, ſi eum abeſſe contingeret, plenum vigorem habere & eligentium augere numerum partemq; majorem decernimus conſtituere ad inſtar cæterorum Principum Electorum: Quod tàm diſpoſitioni juris Canonici *in c. cum in jure extr. de elect. & elect. pot.* quàm civilis congruit *l. planè. ff. quod cujuſq; univerſ. nomine.* Ex quo textu patet, inquit ibid. Bl. quod electionarii Impp. poſſunt eligere unum Imperatorem ex ſe ipſis, & ita fecerunt in Imperatore, qui eſt hodie, & etiã avo ipſius &c. Deſignare Baldus voluit Sigiſmundum Imper. nam tempore ejus floruit, cujus pater Carolus noſter & non avus Rex Bohemiæ electus fuit: Lapſus itaque memoriâ fuit, aut corruptus eſt Baldus, quod propter temporis propinquitatem, recens enim tunc Caroli memoria erat, ut omniſcium Baldum rei veritas latere non potuerit, veroſimilius eſt, ratio conſtituti juris eſt, quia non eligitur à ſe, ſed à ſuis Coëlectoribus, dumq; numerum auget, non ſuum, ſed collegarum judicium ſequitur, *Cavalcanus deciſ. 40. n. 4. lib. 1.* Ut meritò excuſandus veniat Ludovicus Bavarus, qui fidem Friderico Auſtriæ promiſſam in ſui ipſius electione non ſervavit, *Cuſpin. de diviſ. imper. ob duos competitores:* Potuit enim electionem de ſe per Moguntinum, Trevirenſem & Bohemum factam, licet dolus nuncii Brandeburgici

gici non intervenisset, voto suo comprobare *d. §. f. h.* & in promissione factâ persona loquentis exemta censeri debet, quia Charitas ordinata à se & suis incipit, *argum. l. si præses. C. de servit. & aqua c. fin. distinct. 86.* confirmat *Innocentius in c. 33. in pr. de elect. & elect. pot.* possuntq; argumenta contraria uno q. ictu dissolvi. Hoc enim collimant, sui ipsius electionem non valere, quod concedimus: At nostro in casu, ubi tres quartum eligunt, non quartus semetipsum eligit, sed judicium, quod tres perhibuerunt ipsi, comprobat. Non rectè itaq; quod vel testis vel judex in caussa sua sit, aut etiam quod se ingesserit, dici poterit. Exemplum Sigismundi quod attinet, id quamvis juridicum non sit. *Dubrav. tamen d. l. 23.* eum excusare nititur, qui ut ostenderet, ait, non tàm se honoris ambitiosum, quàm laboris pro Republ. Christianâ subeundi cupidum esse, ut illam videlicet in pristinum statum erroribus & schismate sublatis reduceret, laboriosissimam peregrinationem obiit, quàm magnam Europæ partem peragravit, dum Italos, Gallos, Hispanos, Britannos, & alias nationes ad Concilium Constantiæ in Germaniâ celebrandum contrahit &c.

XXIII.

Quid si verò uni commissa sit eligendi facultas?

Puta quia sex Electores in unum eligendi jus transtulerunt, ut factum est in electione Adolphi Nassoviensis, miro enim astu Moguntinus omnium Principum Electorum vota consecutus fuit, *Cuspin. in vitâ Adolphi*, vel etiam per contumaciam venire detrectant, quo casu cum jus omnium in unum illum præsentem recidat, quæri potest, an unus hic semetipsum eligere possit? Et dicendum quod non: Cùm propter *d. c. fin. extr. de institut.* tùm quia textus noster *in § fin. hic*, requirit, ut tres quartum eligant. Extra casum ergò eum in sui electionem consentire non licet, tùm etiam quia ambitiosa esset electio, *Innocent. in d. c. 33. n. 1. v. sed dices Cavalcanus d. decis. 40. n. 8.* Dum enim se imperio dignum domestico elogio existimat, animi morbum, quo se cunctis præstantiorem ostendit, prodit, opus quidem desiderare bonum, bonum est, ait *Chrysostom. homil. 25. super Matth.* Primatus autem honoris concupisce-

quidam, inquit, circa tempora Constantini ex superfluâ quadam devotione electionem de se factam amicabiliter significare Romanis Pontificibus, ut in eorum personâ Christo singularem reverentiam exhibentes, ab eo per Pontificum intercessionem ampliorem benedictionem & gratiam ad suum gubernandum imperium obtinerent. Eodemq; modo propter suæ inthronisationis solennitatem & signum & ampliorem Dei gratiam obtinendam, diadema Regium per eos sibi imponi fecerunt. Ex hac quidem igitur reverentia, sic sponte per Romanos Principes exhibitâ quærentes sæpius, quæ sua non sunt, Episcopi Romanorum induxerunt consuetudinem & abusum verius propter Principum simplicitatem, laudationem electæ personæ ac benedictionem, quam super illam mittebant, vocaliter, aut in scriptis vocare confirmationem electionis prædictæ, nec attendentibus olim Romanis Principibus, quæ sub hac appellationis figurâ præjudicialis lateat intentio, sic ipsum successivè subinduxerunt latenter, ut nullus quantumcunque convenienter electus Rex vocari debeat, neque Regis autoritatem habeat, nisi per Romanum Episcopum fuerit approbatus &c. Ex quibus adsumendo concludimus.

Si Rex Rom: solâ electione constituitur, utique & privilegia Electoribus confirmare poterit. Quod argumento à majore ad minus ducto ex §.*3 si v.aliquam qu.t.7.liquet*.Rex Roman.principatum ad imperium devolutum alij concedere potest & ideò jus principatui concessum multò magis revocare aut confirmare poterit: Etsi Rex Roman. idem qui Imperator sit, utique privilegia Electorum rectè confirmabit, quia Imperatori hoc nemo denegat.*l.1.& fac.l.3.ff.de Constit.Princip.*Atqui verum prius esse constat ex*§.f. infr. t.5.ibi Imperator sive Rex Romanorum &c.*Posterius itaque & verum erit.

Deinde constat, quod electio electo tribuat idem jus, quod Successio successori. Atqui ei, qui ad regnandum natus est, eveniente successionis casu debetur Regis nomen, antequam coronatur. Nam Regum coronationes nihil aliud sunt, quàm externæ ceremoniæ, aut testimonia publica, quibus probetur eos legitimè succedere, proq; legitimis Regibus habendos atq; adgnoscendos esse. Electo ergò per electionem similiter nomen Imperatoris debetur. Etsi Papali coronationi ortum Imperatoris at-
tribuere

tribuere libeat, in classem Imperatorum non referendus erit Rudolphus I. non Maximilianus I. non Ferdinandus, non Maximilianus II. non Rudolphus II. non Divus Matthias, quia à Papa coronati non fuerunt, omnes tamen & singuli Imperatores fuerunt, & à toto mundo pro talibus culti, & etiamnum habentur, ut vanum huc usque eorum augurium non fuisse appareat, qui cum in coronatione Pontificiâ Caroli V. Imper. Bononiæ celebratâ pons ingens, super quem ingrediebantur, corrueret, rem in omen vertentes, ex confracto ponte nullum deinceps alium Imper. coronatum iri vaticinari ausi fuerũt, ut refert *Cornelius Agrippa de coronatione augustali Caroli V.* Quin quod vel maximè notandum, verosimile est, si tantùm momenti in coronatione Pontificiâ positum Carolus noster, Pontificij nominis studiosissimus, scivisset vel verbulo mentionem ejus in hac fundamentali imperij lege fecisset. Imò cum Clemens VI. post mortem Ludovici Carolo nostro diploma dedisset, postulâssetq;, ut Germanicum tanquam Ecclesiæ fidum reciperent, & posthac nullum prius fore Cæsarem, quàm primarius orbis Christiani Sacerdos vicarius auctor fiat, jurarent. Insuper abrogationem Pontificis Maximi ad imper: spectare; hæresin omnium perniciosissimam esse profiterentur, tantùm abest, ut consentire in hæc postulata voluerint, ut etiã apertè proclamarint, usque adeòne servus ille servorum fastu libidineq; dominandi fuerit, insanit atq; in præceps abit, ut omnium sævissimorum tyrannorum, quos unquam fuisse legimus, crimina, superbiam vincere prefrictâ fronte contendat, *Aventinus lib. 7. ann.*

Ecce paterna fides & magni præsulis alma
Integritas humilisq; Petri vestigia sectans
Jam non ferre crucem Domini, sed tradere regna
Gaudet, & Augustus mavult, quàm præsul haberi &c.

inquit *Guntherus in Ligurino lib. 6.* Quare ad Basiliensium quoq; aures hæc postulata Pontificis cum venissent, Consul eorundem in præsentiâ Caroli nostri dixit ad Legatum Apostolicum, quemcunq; dederint nobis Principes & Domini Electores vel major pars pro Romano Imperatore, illum pro tali habebimus, etiamsi Papa nunquam requireret, *Henricus Mutius lib. 25. in Chron Germ.*

Quid? quod Electores jurent se temporale caput Christiano populo electuros §. *2. hic.* Non ergò Papa eligit, si non eligit, qui electus est, ut protiuus caput populi Romani sit necessũ est, is verò non alius est, quàm Rex seu Imperator Romanorũ, Et electus statim administrat *d.* §. *5. hic.* Si Administrator est, sanè Imperator vel Rex Romanorum sit necesse est. Nam, ut inquit *ICtus, quidam de translatione imperii cap.6.* administratio imperii fundamentum est imperialis honoris, cui igitur hæc commissa est, omnia ea habet, quæ inde dependenr, propterea & nomen Imperatorium. Et paulò pòst subjicit, ponamus Regem Rom. electũ in Imperatorem vel Cæsarem non promoveri, quid præter alia respondebimus? id quod & Judæi dicebant, se nullum Regem habere præterquam Cæsarem, & quod Maximilianus II. respondit Oratori Regis Galliæ, cum ipsi diceret, Pontificem Romanum creasse magnum Ducem Hetruriæ Regem, Italiam nullum Regem habere, nisi Cæsarem, *Bod. lib.1. de Republ. c.9.* Ex quibus quantum deferendum sit argumentis in contrarium allatis, cognoscere in difficili non est: Nam 1. quod attinet, quodq; papalem coronationem ac perfectionem imperialis dignitatis requirit, resolutionẽ capit ex eo, quod non quid Romæ existimetur, sed quid sentiendum sit, spectari debeat *l. sed licet is ff. de offic. præsid.* Olim & dum terror nominis Pontificii etiamnum animos nostratium detineret, rei perfectionem ab illâ papali coronatione dependere putabatur, *Alciat. in libello de formula Rom. Imp. Onuphrius Panvin. d.lo.* Quò pertinent versus *Guntheri in Ligur. l.6.*

Quod prius Ausoniis dum versaretur in oris
Audierat Latiæ diffusum plebis in ora
Et vulgò dici solitum, contingere nulli
Regna Latina viro, nisi cui Romanus amicâ
Traderet illa manu Petri sub nomine Præsul.

Sicq; per factum ad jus arguere non solùm licitum, sed necessarium esse credebant: Verùm quod infirma planè consequentia animadvertere poterimus, si consideraverimus eum qui coronat, nihil novi juris electo tribuere, sed quod ei votis & suffragiis electorum tributum est, hoc publico coronationis actu saltem significare, aliàs n. si sic procedere volueris, quicunq; coronam imponit, imperium dat, ineptâ consequentiâ id efficies, Regibus quoq; aliis à regnorũ Archiepiscopis vel Episcopis regna dari, quia coronam iis imponunt.

aunt. Sic Christierno III. Regi Danorum Anno 1537. Johannes Bugenhagius Wittebergensis Ecclesiastes: moderno & viventi Christiano IV. Petrus Gunsdorff Episcopus Selandiæ: Sigismundo Polonorum Regi, Archiepiscopus Cresnensis; *Dresserus de coronatione imperii*, coronam imposuit: Boëmorum Reges Archiepiscopi Pragenses, *Cromerus lib.12. histor. Bohem.* Gallorum Reges, Archiepiscopi Rhenenses. *Sleid. lib.9. de stat. relig.* coronare solent. Nec tamen eosdem, quos diximus, Regibus suis regna conferre dicendũ erit: Sic in Populo Israëlitico Prophetæ Reges inungebant, nec tamen à Prophetis tributum Regib. Israëliticis regnum existimare licebit: Verùm cũ Impp. subductis nebulis, & quò tenderent Pontificum astus, animadverterent, coronationem ut inutilem & supervacuum neglexerunt. Hinc cum Maximil. I. ad imperii ordines orationem haberet coronam imperialem à Romano Pontifice accipere minimè necessarium sibi videri dixit. *Bodin. 2. de Repub. cap 6.* Et perspiciens Pontifex in concursu Caroli V. & Francisci I. Galliarum Regis, eum non tantùm apud Septemviros, verba sunt *Guicciardini l.13. Histor. Ital.* autoritatem habere, ut se multum eâ proficere posse speraret, in tàm gravi re prudentiam & artes necessarias esse censuit: At si, quod Pontificii volunt, Pontifex per coronationem imperium tribuit, quid prudentiâ aut artibus opus fuisset, cum pro voluntate suâ is, quem coronasset, imperium obtinuisset. Verùm cum ex prædecessoris Maximiliani instituto, & quantumvis Pontificiæ coronationi detulisset, satis superq; cognovisset, vulpinam induere pellem coactus fuit, & quamvis *Guicciard. d. lo.* arbitretur Maximilianum ideò Regem successorem sibi designare non potuisse, quia à Pontifice Romano inauguratus non esset, refutatur tamen ille subsequenti Impp. observantiâ; Ferdinandus à Papa inauguratus non fuit, vidit tamen ille successorem Maximilianum Filium, & hic Rudolphum Filium, nec enim papalis coronatio, sed Electorum voluntas spectanda erit, & Guicciardino in altero quoque, dum Maximilianum I. coronationem extra Italiam fieri à Pontifice petiisse existimat, opponimus *Hieronymum Balbum in lib. de coronatione*, qui illo tempore vixit, is enim in dedicatione ad Garsiam ait, Sigismundus & Fridericus nihil antiquius habuêre, quã coronæ adipiscendæ gratiâ

Romam

Romam usque magnis itineribus proficisci, duo verò reliqui Albertus scil. & Maximilianus, sive quod non totam parvi fecerint, sive quod rem totam parvi fecerint, sive quid aliud in causa fuerit, id munus neque appetere, neque oblatum suscipere curârunt, & hinc consentiens *Bodin. d. c. 6.* Maximiliano ideò coronam à Pontifice accipere minimè necessarium visum dicit, quod imperij majestatem ipsis ordinibus inesse intelligeret. Quodq; additum insuper Henricum Aucupem ideò ab Italicis scriptoribus inter Impp. non referri, quod coronationem Pontificiam non petierit, attendendum non est, sciptores enim uti nec imperia dare, sic nec auferre eadem possunt, & per hanc rationem omnes illi, qui coronationem illam spreverunt albo Imperatorum eximerentur, quod tamen adserere absonum fuerit. De altero argumento latius in sequenti quæstione, & quâ ratione Pex Romanorum ab Imperatore secernatur, dicetur. Ultimam objectionem, quod attinet, quâ electum, ante confirmationem beneficia haut conferre, dictum, nihil ea nostræ adversatur sententiæ, quia per electionem satis confirmatum electum adserimus. *Petrus de Andlo lib. 2. c. 5. de Rom. Imperio.*

XXI.

Nullumnè ergò est discrimen inter Regem Romanorum & Imperatorem?

Confirmationem autem privilegiorum electus ipse, ait textus *in §. 6. hic,* cuilibit Principi Electori in specie primo suo nomine Regali faciet, & deinde sub Imperiali titulo innovabit, est ergò discrimen inter nomen Regale & titulum imperialem, nam si unum & idem nomen Regale cum Imperatorio ad quid innovatione opus erit? Et quidem si ad Canones & Dd. respexerimus, effulgebit jam tactum discrimen in quæstione præcedenti *c. venerabilē ex de. elect. & elect. potest.* Est receptū, inquit *Petrus de Andlo. lib. 2. cap. 5. de Romano imperio in f.* quod electus & approbatus ad regimen Romani imperij non dicitur Imperator, sed Rex: Atque ante coronationem non utitur bulla sed tantùm sigillo. *Clem. Romani, in f. de jurejur. Lancell. c. 1. §. 1. q. 3. lib. 1. in templ. omnium jud.*

jud. Martha p. 1. c. 21. n. 25. de jurisd. Quetta consil. 1. n. 16. Addit & tertium *Freherus in notis ad Petr. de Andlo. d. c. 5.* Rex electus, ait, in sigillis & insignibus aquilam saltem simplicem, Imperator coronatus duplicem sive bicipitem gerit: Et quidem si ad eum, qui mortuo Imperatore in Regem Rom. eligitur, jam recitatas differentias applicare voluerimus, minimè licebit. Nam postquam electus est, statim vi electionis nullâ amplius confirmatione attentâ Imperator dicetur, quod idem *autor de translatione Imperii d. c. 6.* rectè considerat, dicendo Electores imperii columnæ & latera dicuntur, imò & corporis Romani Imperatoris pars sunt, *t. 12. vers. 24. infr. in hac Bullâ.* Et si quis contra eos factionem inierit, non minus punitur, quàm si adversus ipsum Imperatorē conspirârit: Hi igitur tàm illustres Imperii proceres, è quibus & Rex Bohemiæ est, cur alium ab imperio & corpore suo eligerent & constituerent, qui alienâ confirmatione & dignitatis imperatoriæ completione opus haberet? totum autem quicquid Imperator est & habet, ab electione est & habet:. Ab iis autem qui sibi tantopere totum hoc arrogant, nihil habet, cum rursus ipsi ab Imperatore & imperio omnia, ut & urbem ipsam, possident, *& paulò post*: quàm iniquè vel absurdè potiùs comparatum esset; Si Principes Electores imperii ratione Principatuum omne jus, vocem, potestatem, dignitatem, & omnia ab ipsis dependentia habeant, is verò qui ab iis electus est, defectum aliquem dignitatis, majestatis vel nominis Imperatorii pateretur, adeò ut à Pontificis Romani lumine accendi & illustrari debeat, cum hic non uni Principatui seu Ducatui sed toti Romano imperio præsit, atq; in omnes Principes jurisdictionem suam exerceat. Quod quia & pluribus in præcedenti quæstione confirmavimus, ad eum qui vivo Imperatore in Regem Rom. eligitur, deveniendum erit. Qui cum gradu honoris Imperatore non solùm inferior sit, verùm etiam ipso præsente ejus potest s obnubileter. Nam ut ait Præpositus *in c. per venerabilem § quia n 88. extr. qui filii sint legitimi*: Quoties duo gradus successivi ab invicem subordinati sunt, existens in primo non debet attingere ea, quæ sunt ultra *c. Diaconus & seq. dist. 13.* nec uni commissum alius gradus surripiat, *argum. l. consulta C. de testament.* In electo autem tali considerari duo gradus possint, unus quatenus Rex, alter, ad

P quem

quem defuncto Imperatore promovendus est: De eo igitur & secundum & tertium discrimen admitti poterit: Primum verò quod attinet, quo coronatione Pontificis eum demum ad dignitatem Imperat. evehi canones & Dd. allegati volunt, sanè subsistere nequit, quia cum in fata Imperator concedat, statim Rex Romanorum in Imperatorem electione & voluntate Electorum promovetur. Exempla habemus in Ferdinando, Maximiliano II. & Rudolpho II. qui vivis Impp. in Reges electi, iis defunctis non à Pontifice, sed Electorum votis protinus in Imperatorem evecti fuêre: Et rectè, quia ut heres futurus dicitur heres *l. Epist. ff. ad SCtum Trebellian.* & hereditas futura dicitur hereditas *l. quæsitum § si quis mihi. ff. de leg. 1.* Ita etiam Rex ut futurus Imperator rectè non attentâ Pontificis confirmatione dicitur Imperator. Nam qui per se summum & principium est, à nullo dependens nullius eget confirmatione: Atqui electus ab Electoribus per se summus est, & à nullo dependet, *in pr. Nov. quomodo oportet Episcopos vel Clericos.* Confirmatione itaq; Pontificiâ non eget, & si per coronationem Pontificis confirmari demum Imperatorē volumus, deterioris conditionis erit, quàm in dignitate inferiori constituti, qui solâ electione citra aliam confirmationem dignitati tributis gaudent privilegiis, *l. ult. C. de decur. l. C. de patr. potest. §. filiusfam. v. sed ex constitutione. Inst. quib. mod. pātr. potest. solv.* Illud v. admittendū non erit, quia ei, qui major est, pleniora equidē quàm ei, qui minor est, concedi debent, *argum. l. Marcellus. ff. de donat. caussa mort. c. non debet de R. J. in 6.* ut silentio involvamus, quod electio hæc æquiparetur illi, quæ fiebat olim per populum Roman. ejusdem ergò naturæ esse debet *l. 3. C. de adopt. §. plura Inst. de Action.* Verùm populi electio nullo alio expectato totū & perfectum jus transferebat *l. 2. §. deinde. ff. de O. I.* Atqui, inquies, si electus protinus mortuo Imperatore ejus subintrat locum, quid est, quod per discursum in hâc Bullâ dicitur, Regem Rom. in Cæsarem promovendum eligi *§. 2. & 3. hic.* An respondebimus, promovendum ad instar cingendi habert pro promoto? Dici potest Carolū ad sua tempora respexisse, queîs etiamnum coronatio Pontificia pro complemento Imperatoriæ dignitatis putabatur, cujus petendæ gratia 20. peditum, 4. equitum milia octo mensiū spacia profecturo imperium præstabat. *Thesaur-*

Politic.

Politic. Caspar. Ent. apotelesmate 6. Verùm cum posteriores Electores animadverterent, nihil realitatis Pontificem dignitati Imperatoriæ conferre, & sumtus eos adversus hostes imperii utilius erogari posse, omissâ Pontificiâ coronatione, electione Electorum solâ rem perfici omnem rectè constituerunt. Quod *v. in §. 6.* hic additur, privilegia Electorum primum nomine Regali, postmodum sub Imperiali titulo innovari deberi, tantùm abest, ut nostram impugnet sententiam, ut eam etiam disertè confirmet. Nam quemadmodum Imperator innovando promovet jura Electorum; ita & ipse promovetur, nullus verò Imperatorum, quantum quidem cognitum est, nova diplomata, investituras, confirmationes, Electoribus post factam Electionem confert aut contulit, sed priora omnia in eodem statu & jure permanent, *d. autor de jure translationis imperij.* Relinquitur itaque nec alia in promotione Imperatoris opus esse confirmatione.

XXII.

Quid si tres elegerint quartum ex numero Electorum, poteritnè Electus in sui electionem consentire & suâ voce numerum augere?

Dubitandi ansam primùm præbet id, quod nemo in suâ caussâ testis vel etiã judex sit, *l. un. C. nè quis in causa sua.* At dum semetipsum electus voce suâ juvat, videtur quasi sibi perhibere testimonium, & judicare se dignum esse, cui fasces imperii tradantur, juravit enim cum cæteris se idoneum electurum *§. 2. h.* Hinc expreßè traditum est, eum, ad quem spectat collatio dignitatum, semetipsum eligere non posse, *c. f. extr. de institut.* ubi additur hæc ratio, quia inter dantem & accipientem debet esse distinctio personalis, *& in c. per materias. extr. de jure patronat.* Nullus, ait Pontifex, se potest ad personarum alicujus Ecclesiæ præsentare, quantumcunq; idoneus sit, & quibuscunq; studiis & meritis juvetur. *Peregrin. consil. 35 num. 25. vol. 1.* Desiderantibus enim est negandum, fugientibus verò offerendum *c. in scripturis 8. quæst. 1. Innoc. cap. 23. de elect. & elect. pot.* Suspectusque is putatur, qui operas suas ingerit,

 ut ait

gici non intervenisset, voto suo comprobare *d. §. f. h.* & in promissione factâ persona loquentis exemta censeri debet, quia Charitas ordinata à se & suis incipit, *argum. l. si præses. C. de servit. & aqua c. fin distinct. 86.* confirmat *Innocentius in c. 33. in pr. de elect. & elect. pot.* possuntq; argumenta contraria uno q. ictu dissolvi. Hoc enim collimant, sui ipsius electionem non valere, quod concedimus: At nostro in casu, ubi tres quartum eligunt, non quartus semetipsum eligit, sed judicium, quod tres perhibuerunt ipsi, comprobat. Non rectè itaq; quod vel testis vel judex in caussa sua sit, aut etiam quod se ingesserit, dici poterit. Exemplum Sigismundi quod attinet, id quamvis juridicum non sit. *Dubrav. tamen d. l. 23.* eum excusare nititur, qui ut ostenderet, ait, non tàm se honoris ambitiosum, quàm laboris pro Republ. Christianâ subeundi cupidum esse, ut illam videlicet in pristinum statum erroribus & schismate sublatis reduceret, laboriosissimam peregrinationem obiit, quàm magnam Europæ partem peragravit, dum Italos, Gallos, Hispanos, Britannos, & alias nationes ad Concilium Constantiæ in Germaniâ celebrandum contrahit &c.

XXIII.

Quid si verò uni commissa sit eligendi facultas?

Puta quia sex Electores in unum eligendi jus transtulerunt, ut factum est in electione Adolphi Nassoviensis, miro enim astu Moguntinus omnium Principum Electorum vota consecutus fuit, *Cuspin. in vitâ Adolphi*, vel etiam per contumaciam venire detrectant, quo casu cum jus omnium in unum illum præsentem recidat, quæri potest, an unus hic semetipsum eligere possit? Et dicendum quod non: Cùm propter *d. c. fin. extr. de institut.* tùm quia textus noster *in § fin. hîc*, requirit, ut tres quartum eligant. Extra casum ergò eum in sui electionem consentire non licet, tùm etiam quia ambitiosa esset electio, *Innocent. in d. c 33. n. 1. v. sed dices Cavalcanus d. decis. 40. n. 8.* Dum enim se imperio dignum domestico elogio existimat, animi morbum, quo se cunctis præstantiorem ostendit, prodit, opus quidem desiderare bonum, bonum est, ait *Chrysostom. homil. 25. super Matth.* Primatus autem honoris concupiscere va-

re vanitas est, primatus enim fugientem se desiderat, desiderantē se onerat, & rectè ait *Innocent. ad d. c. 33. in pr.* alios præsumere debet esse bonos, in se verò culpam agnoscere, ubi non est culpa *c. ad ejus dist. 5. c. dudum. ex. de præsumt.* & potius, etiamsi idoneus esset, repellendus ut Pharisæus, quàm admittendus, ut Judæus.

XXIV.

Quid si filium, patrem, fratrem aut alium sanguine conjunctum eligere velit?

Quod posse putamus, si quidem illi tales sint, quos juxta formulam jurisjurandi præstiti idoneos imperio ex animi sententiâ arbitretur. Exempla suppeditat Moguntinus, qui consanguineum suum Adolphum Nassoviensem elegit, *Cuspin. d. loc. Peucer. lib. 5. in Adolpho.* Et Joannes Rex Bohemiæ votó suo sublimari fecit filium Carolum IV. in Imperatorem. Hic filium suum Wenceslaum Electoribus propositum, ut Rex Bohemiæ suffragio suo juvit, & subsequentes ex domo Austriacâ Imperatores pro filiis & fratribus quàm soliciti fuerint, satis superq; notum est, quod cum conjunctum illi, hic solus omnium quipe jus habet, rectè facit, videatur *Ludovic. Roman. singulari 813. Cavalcan. d. decis. 40. n. 23.*



DISC. III.

DISCURSUUM ACADEMICORUM

Ad Auream Bullam CAROLI QVARTI ROMAN. IMPERATORIS

TERTIUS.

RESPONDENTE

AUGUSTO FISCHER DRESD: MISN.

AD CAPUT TERTIUM.

THESIS PRIMA.



Um in rerum natura nihil ſtabile inveniatur,quod non ordine colligatum, aut nihil pulchrum,quod non eodem conſtructum eſt, occurrat.Quid mundo præſtantius eſt? ait *Apuleius*,lauda quam putas ſpeciem, portio à te laudabitur mundi: Attamen ut neſcio quis ait,

Ordine ſervato mundus ſervatur, ab illo
Neglecto peſſum totus & orbis abit.

Et *Manilius lib. 1.*

Sed facies,quæcunq; tamen ſub origine rerum
Convenit,& certum digeſtum eſt ordine corpus.

Quid idem pulchrius cœleſtis machinæ adſpectu? quæ ſicut omnia bonitas,ut cum *Dionyſio Areopagita* loquar,ad ſe convertit,& quæ diſperſa ſunt,congregat,veluti unitatis autor. Similiter illa ſecundum quandam imaginis rationem ad ſe convertit omnia quæ videntur,quæ moventur,quæ illuminantur? Hæc verò eadem

Machina perpetuo cœlestis ab ordine pendet,
Inde tenent solitas Lunaq; Solq; vias.
Infimus astrigero mundus connectitur orbi,
AEternamq; fovent per sua membra fidem.

Nullum quoque habitura est Ecclesia, cujus fœtu, ut *Cyprianus de simplicit. prælator.* ait, nascimur, lacte nutrimur, Spiritu animamur, honorem, si non

Ordine Christiadum felix Ecclesia constet.

Sanè nec in hominum, & præsertim Magnatum congressibus, ordo, utpote contentionibus & rixis, quæ ex prærogativa sessionis oriri solent, obvians negligi debet, *Menoch. consi. 51. nu. 1. & seqq. vol. 1.* Unde Theodosii Imp. constitutione provisum, nulli fas esse indebitum sibi locum usurpare, *l. 3. C. ut dign. ord. serv.* Et quamvis ordinis ratio inter hosce tàm conjunctos Principes instituta fuit. Quod indicat locus *Guntheri in Ligur. lib. 1.*

Ergò ubi tanta Patres audire negocia, dignum
Insedere locum, — — — —

Attamen non semper & ubique servata fuit; ut in coronatione Ottonis. *Witikind. l. 3. gest. Sax.* Et cum Henricus III. esset Moguntiæ, inter ministros Moguntini & Abbatis Fuldensis de loco orta est contentio, *Naucler. vol. 2. generat. 36.* Idem Abbas in conventu imperii, quo Heinricus VI. Friderici I. filius Rex Roman. designabatur, Coloniensem Archiepiscopum sinistrum jam latus Imperatoris tenentem loco amovere nisus est. *Crantz. lib. 6 c. 46. in Saxon.* Moguntinus & Coloniensis in nuptiis filii Heinrici VII. Imp. propter locum dextræ honestiorem in rixas delapsi sunt. *Cuspin. in vita Heinr. VII.* Carolus verò noster graviter admonens, quod decor & gloria S. S. Romani Imperii & honor Cæsareus & reipubl. salus illustr. Electorum concordi voluntate foventur; quique velut columnæ sacrum ædificium circumspectæ prudentiæ solerti pietate sustentant, & quorum præsidio dextra imperialis potentiæ roboratur, quantoque mutui favoris ampliori benignitate stringuntur, tantò uberioris pacis & tranquillitatis commoda faciliter profluunt populo Christiano.

II.

Constituit igitur ut in omnibus publicis actibus & conventibus

bus Archiepiſcopus Trevirenſis è diverſo à fronte Imperatoris conſideat, *h.e.* ut verſio Germanica habet ; ſtracks gegen eines Keysers Angesicht über. Moguntinenſis verò in ſuis diœceſibus & provinciâ, & extra eam in Cancellariatu ſuo Germanico à dextris Imperatoris ſedeat, exceptâ provinciâ Colonienſi. In ea enim Colonienſi honor iſte defertur. Et rectè: Si enim major reverentiam minori debet, quando eſt in domo minoris, *Chaſſan. part. 11. conſid. 13. in catal. glor. mund.* quia Rex quilibet eſt in domo ſua, *c. duo iſta cauſ. 23. q. 4. Ludov. de Molin. c. 2. n. 24. lib. 1. de Hiſpan. primog. Goden. conſ. 11. n. 6.* utique multò magis cum æqualis ad æqualem venit. Hinc dicit *gl. in l. apud eum. ff. de manum. vind.* quod inter duos æquales, qui eſt in ſuo territorio, major eſt altero, & Archiepiſcopus in terrâ Epiſcopi veniens debet honorare Epiſcopum. *Chaſſan. part. 4. conſid 22. catal. glor. mundi.* Colonienſis verò in ſuis, diœceſi & provincia. Bisthumb vnnd Land/vnd auſſer denſelben in gantz Jtalien vnd Gallien / dextrum latus Romanorum Cæſarum occupare poterit: Nam ut Moguntinus per Germaniam, ait *Crantz. lib. 9. c. 29. in Sax.* ſic Colonienſis per Italiam primatum tenet. Atqui dices: Trevirenſis Archicancellarius eſt per Galliam, hoc eſt, omnem provinciam imperii ultra Rhenum, quæ olim non parva fuit, & regnum Arelatenſe, *Crantz. d. c. 29.* Cur igitur non & ille in Cancellariatu ſuo ad inſtar collegarum ſuorum ad dextram ſedere poterit? Et videtur ille de jure ſuo aliquid Colonienſi ceſſiſſe, cui in recompenſationem id datum exiſtimare licet, quod etiam extra Cancellariatum ſuum & provinciam ſtabilem eundemque ſedendi locum ſemper teneat, cum tamen Moguntinus & Colonienſis ratione locorum, modò dextrum, modò ſiniſtrum latus occupent.

III.

Cum verò Colonienſis non ſolùm Archiepiſcopus ſit, verùm etiam alios ampliſſimos Epiſcopatus teneat, dubitari poteſt, an & in ſuis Epiſcopatibus à dextris ſedere debeat? *Et quamvis* eadem ratio ſubeſſe videatur in Epiſcopatibus, quæ eſt in Archiepiſcopatu: utrobique n. ut Dominus loci conſideratur; attamen quia textus noſter hanc ſeſſionis prærogativam verbis expreſſis ad Colonienſem provinciam duntaxat, cujus intuitu Archiepiſcopus & Elector eſt, reſtringit, non opus eſt, ut in hac re clara ad dubitationes confugiamus.

IV.

Atque hic sessionis ordo Electoribus Ecclesiasticis, tit. hoc nostro, sicut & Politicis, tit. seq. suus datus est. Inter Principes verò cæteros disceptandi nec finis nec modus, ait *Knichen verb. ducum. c. 2. n. 33. de non prov. jur.* Et sive possessorium sive petitorium pensitemus, judicatu difficile est, siquidem illud & hoc colorare solent, &c. Nec forsan definitio farinariæ rei aulicorum conduceret. Unum addo, quod scribit *Orator Reipub. Venetæ inter relationes Philippi Honorii, de aula & Regno Imp. Rom. in fin.* nec ægrè fert eas, inquit, de Rudolpho II. Imperatore beatiss. memoriæ, quæ inter ipsos sunt de dignitatis prærogativa contentiones & æmulationes, ut necessitate postulante subsidia à singulis accipiat, Quemadmodum nuper pro expeditione Maximiliani fratris in regnum Poloniæ, cujus Rex electus fuerat, ingentem pecuniæ summam ab iis exegit.

AD

CAPUT QUARTUM.

V.

Postquam Imperator tit. super. Sessionis modum inter Ecclesiasticos Electores constituit: hoc tit. ad Politicos & seculares, ut & inter eos discordiæ omnis fomes extinguatur, se convertit.

VI.

De origine verò Electorum antequam ad ulteriora progrediamur, aliquid præmittemus. Nam ut inquit *Schardius in proœm. de Elector. orig.* in rebus ad decus Imperii Germanici pertinentibus, cũ aliæ complures sint dignæ liberalium ingeniorum cognitione, tùm verò dignissima est investigatio historiæ, de origine & institutione Principum Electorum. Si enim vel genealogiæ illustris alicujus familiæ vel originis præclaræ civitatis cognitio homini in rerum liberalium studio versanti convenire putatur, quantò cognitio ordinationis Principum rerum patriarum studioso convenientior honestiorque erit? Et siquidem investigatio præterquam quod pars est liberalioris eruditionis & amorem erga patriam cum aliqua virtutis laude conjunctum arguit, & debitam reverentiam erga

Principes

Principes ipsos alit, fovet & auget, &c. Et si in rerum leviorem inventoribus & auctoribus perquirendis & demonstrandis tantoperè laborarunt, *Polidorus Virgilius & Alexander Sardus aliiq;*, qui Romanarum antiquitatum hactenus diligentissimi extiterunt inquisitores, nequaquam à nobis committendum est, ait *Heig. lib. 1. q. 3. n. 3.* ut in hac re longè maxima & præclarissima opera nostra possit desiderari: Et sanè si aliqua probati autoris autoritate certáve ac necessaria consequentia origo Electorum clarescere posset, meum quoque calculum iis adjicere non gravarer. Verùm cum nullus in hunc usque diem extiterit, qui certi aliquid, quodq; non oppugnatum imò expugnatum ab aliis sit, hac de re tradiderit, *Onuphr. Panvin. de Comit. Imp. Schard. d. l. Heig. d. q. 3.* utique hac opera supersedere non usque adeò culpandum fuerit, præsertim cum ad rem ipsam parùm conducat, siquidem nihil addi detrahivè Illustrissimi Electoralis collegii dignitati poterit, acceptam feramus originem Carolo Magno vel Ottoni III. aut etiam aliis. Sufficere quippe nobis debet, quod origo ejusdem vetustissima sit, scriptorumque effugiat notitiam, & quod in dignitatis tàm splendidæ possessione, quæ nunc ante oculos est, nullo contradicente quietissimè benè longo tempore permanserit. Si tamen ex nobis, quæ nostra sententia sit, quæratur, ad Bullam nostram oculos reflectentes existimamus nullius Imperatoris constitutione, sed consuetudine, quæ usurpatione juris Electoralis orta est, collegium Electorale sensim constitutum fuisse. Ut id credam, moveor princi. *tit. r. supr. hic.* ubi Carolus ait: & Principes Electores ad electionem hujusmodi juxta antiquam & laudabilem consuetudinem habuerint proficisci, &c. Si juxta antiquam consuetudinem ad eligendum proficiscuntur, non utique constitutioni id tribui poterit: hæc enim ut pars juris scripti consuetudini opponi solet. *§. constat autem. Inst. de J. N. G. & C.* Et quis unquam crediderit Germaniæ & Italiæ Principes, qui omnes Imperatores eligere initio solebant, permissuros fuisse, jus dandæ electionis expressa aliqua constitutione ipsis eripi. Arte itaque & latenti usurpatione verosimile est Electores jus eligendi paulatim ad se traduxisse: Æquioribus quippe animis homines usurpatione tacita quædam, quàm expressa lege sibi adimi patiuntur: nec enim initia percipiuntur, & non nisi conversione secuta sentiuntur. *Bodin. lib. 2. c. 6. de Republ.* Quoque minus Principes cæteri se-

jure electionis exui sentirent, ad Comitia cum Electoribus usque ad Caroli nostri tempora vocati fuere, sicuti indubitato *Naucleri generat. 46.* testimonio constat, eodem anno, ait, Guntherus Comes de Schwartzenburg ex Thuringia vir strenuus & bellicosus, qui plures conflictus prosperè absolvit, à Principibus Carolo contrariis, ut se intromittat de regno rogatus, renuit: tandem eo pacto annuit, si in Francofurdia daretur sententia à Principibus, regnum vacare. Convenientibus igitur Francofurdiæ quatuor ex Electoribus & multis proceribus, datur sententia ab his, regnum vacare, &c. *Schard. c. 9. d. tr.* Verùm quia propter nimiam multitudinem venientium non rarò in diversas factiones studia eligentium impellerentur. ut præter alia exemplo Ludovici Bavari & Friderici Austrii Caroli IV. & Guntheri notum est: placuit demum Carolo nostro his obviando difficultatibus, ut tempore electionis nulli alii, quam Electores convocarentur, *§. injungimus supr. c. 1. §. cæterum hic.* Quod factu non ita Carolo difficile fuit, quia in eligendo præcipuæ jam longo tempore fuerant Electorum partes, & potentia alias familias superabant longè. *Peucer. Chron. l. 4. in Ottone III. verò sed dolendum.* Nec ullus ordo eorum, qui antea interesse electioni consueverant, se præteritum conqueri potuit: nam unus ex regibus, unus ex Ducibus, unus ex Marchionibus, unus ex Comitibus, cum Ecclesiasticis admissi sunt, qui eorum nomine & vice actum electionis peragerent. *Peucer. d. vers. sed dolendum.*

VII.

Numerum quod attinet, is ex tit. nostro septenarius esse perspicitur: *maximè enim ad* electionem is numerus accommodatus esse videtur, ait *Onuph. Panvin. in rubr. verior septem Electorum institutio, &c.* Tribus n. Electoribus ab aliis tribus diffidentibus quartus omnē dissensionem & discordiam tollere potest. Verùm & huic rationi numero ternario vel etiam quinario satisfieri potuit, diffidentibus enim duobus tertius; vel duobus ab aliis duobus quintus voto suo dissensionem tollere potest. Quare mihi placet ad rationem illam respicere, quam antea tetigimus, quatuor ideò Laicos tribus Ecclesiasticis additos esse: quia totidem ordines eligere solebant Imperatores, ne ullus se præteritum quæri posset, nec ordo Ecclesiasticus uno ex eorum consortio, propter summam eorum autoritatem & poten-

potentiam in Comitiis contentus fuisset; duos verò propter votorum paritatem, quæ emergere poterat: hi enim quatuor Laicis additi numerum sexenarium æqualem constituissent, habere non potuerunt. Tertius ergò addi debuit. Atque hic numerus ad tàm strictam observantiam redactus est, ut cum Maximilianus I. aliquando Electores pertentaret, quò jus suffragii in Electione Imper. Archiducibus Austriæ communicarent, nihil effecerit. *Hartm. Maur. de Coron. Caroli V. Freher. ad Petr. de Andlo. c. 1. lib. 2.*

VIII.

Cur Ecclesiastici secularibus additi? *Et quidem illi* præteriri non potuerunt, quia constat eos à tempore Caroli Magni semper Comitiis interfuisse. Quod inter alios ostendit *Guntherus lib. 1. in Ligur.* de Electione Friderici I. agens:

Hunc sacri celebresq; viri quos laude serena
Infula, vel gladius mundo facit esse verendos,
Ex omni regione fluunt ad publica regni
Commoda — — — — — —

Et *Guilhelm. Britto lib. 3 Philippidos.*

Est etenim talis Dynastia Teutonicorum,
Ut nullus regnet super illos, in prius illum
Eligat unanimis cleri procerumq; voluntas.

Consilium hujus distinctionis fuisse existimo, ait *Peucer. in princ. lib. 5. Chronic.* ut Ecclesiastici præcipuè res sacras tractando administrandoque & Christianæ religionis puritatem tuendo simulque consulendo: Politici & consiliis & armis rempubl. juvarent & amplificarent. Tanta, inquit *Heig. q. 4. numer. 61. lib. 1.* veterum Principum in religione devotio fuit, ut sine Sacerdotibus & Episcopis nihil magnum feliciter absolvere se posse sperarent, & ita demum omnia rectè processura crederent, si religionis Antistites suis consiliis præsentes haberent, adeoque zelo religionis in tantam eos evexerunt potentiam, ut non solùm amplissimarum ditionum Domini sint; verùmetiam Archiepiscopi, Electores omnibus privilegiis, ait *Lupold. Babenberg. cap. 10. de cælo German. vet. Princ.* consuetudinibus & singularibus honoribus quibus cæteri Principes seculares in electione Regis seu Imperatoris

Roma-

Romanorum jus habentes,qui præ cæteris Principibus Germaniæ, multis specialibus privilegiis consuetudinibus & honoribus sunt muniti,perfrui ac gaudere noscuntur. Omnes quoq; alii Archiepiscopi & Episcopi Ecclesiarum & Abbates monasteriorum Germaniæ à regno & imperio regalia tenentium eisdem privilegiis, juribus & honoribus perfruuntur, quibus cæteri Principes seculares Germaniæ in electione prædicta jus non habentes communiter perfrui consueverunt,&c. Quanquam non abnuam Ecclesiasticis Electoribus dignitatem Electuræ,non ut Ecclesiasticis, sed imperii Principibus tribui: Cujus intuitu non uno in loco per discursum Bullæ nostræ Principes dicuntur,*cap.1.in princ.§.2.3 5.& seqq.c.2.c.3.c.4.c.6.* & passim. Nec ab iis ad Pontificem,sed ad Imperatorem vel Cameram appellari solet.*Gail.1.obs.30.n.1.& 2.* Qua de re etsi non omnium una sit opinio; nonnullis existimantibus, Clericum secularis simul magistratus personam sustinere non posse; Propterea quod non benè conveniat Psalterium cum cithara, ut loquitur *Practica Ferrariensis in forma respons.rei conventi §.præscriptionis.*Graviter *Otto Frisingensis*,sicut ad spiritualem gladium, ait, spirituales quoq; possesiones,id est,primitiæ, decimæ, oblationes & alia hujusmodi pertinent: sic materiali omnes terrenæ dignitates,Ducatus ac hujusmodi subjacent: hæc enim DEUS non in una persona,sed separatim in duabus in Ecclesia esse voluit: Proinde sicut illi personæ, quæ gladium materialem portat, non licet contingere ea,quæ spiritualia sunt: Sic & isti ea usurpare, quæ hujus sunt,non convenit.Unde & in Evangelio scribitur: Reddite, quæ sunt Cæsaris,Cæsari,& quæ Dei sunt, Deo. Idque Dominus sicut prædicat verbis: ita factis declaravit, quando tributum pro se & Petro jussit dari.Paulus etiam omnem potestatem à Deo esse considerans,non Petrum,qui tùm Romanæ cathedræ profuit, sed flagitiosissimè ex Dei voluntate super terram Regem constitutum Neronem appellavit, &c. Attamen quia in pluribus mundi partibus,ait *Alexander Raudensis c.39.num.83.de analogis* notorium est, quod Ecclesiastici à principio fundationis suarum Ecclesiarum, vel à tanto tempore, de cujus contrario non extat memoria,cum potestate spirituali & Ecclesiastica obtinuerunt, & adhuc legitimè obtinent Ducatus, Comitatus, Baronias cum jurisdictione temporali: Sanè præsumtuosum fuit disputatione scholastica, quæ

nec

nec Ducatus vel dominia dari,aut adimi possunt, *Conneſtallus lib.3. in histor.de portus Galliæ & Castellæ conjunctione*; eis veteris dignitatis terminos pervertere velle. Nec movere nos debet, quod nonnulli à primitivæ Ecclesiæ statu ad præsentem arguant, quia multum intereſt inter illud,quod fuit & nunc est, *l. qui res §. aream ff. de ſolut. Hieron. de Laurent. deciſ. 145. n. 16.* & argumentationes à mundi revangatione non recipiuntur ſecundum *Bl.* quem ſequitur *Alex Raudenſis c.38.n.39. de analog.* Fuitq; initio Eccleſiæ non ager, aut aliud quid immobile receptum,quia prævidebant Apoſtoli Eccleſiam ad gentes transituram,nec penes Judæos permanſuram eſſe, *Raudenſ. d.c.38. n. 65.* & ut omnium rerum,ita & Eccleſiæ initia fuere tenuia,quæ ubi creverint, non ideò,quod ab initiis recedant, reprehenſionem merentur: Nec inſolens eſt, quod perſona una duos ſuſtineat reſpectus. Numa Pompilius Rex fuit, & nihilominus ea ſacrificia, quæ poſtea flamini Diali cōmiſſa, obivit, *Livius lib. 1* Auguſtus Pontificatum maximum imperio adjecit. Ægyptii dignitatem ſacerdotalem Regi adjungi voluerunt. Perſarum Reges inaugurabantur, & ceremoniarum ſanctarum Principes erant.Hebræi Judæorum Regibus oleo conſecrari magnæ religionis inſtar fuit. *Euſeb. lib. 1. Hiſt. Eccleſiaſt* neq; verò ſacris tantùm præerant, ſed & miniſtros Eccleſiæ ac Pontifices præficiebant. Imò *Juſtinus ex Trogo lib. 36.* refert, Judæos eoſdem & Reges & Sacerdotes habuiſſe. Judæis, inquit *Tacitus lib. 5. hiſtor.* Sacerdotii honos firmamentum potentiæ erat. *Annæus Robertus lib. 3. rerum judicat. c. 1.* Atq; cogitationem conjungendi imperii cum Pontificatu aliquando Maximilianus I. Imperator ſuſcepit *Warem. c.1. n. 22. de Subſid. reg.* ita ut aut mirum aut novum nec nobis videri debeat, ſi Eccleſiaſtici Electores dignitatem Electoriam, non ut Clerici, ſed ut ſeculares cum ſuis Ducatibus & dominiis teneant. Quod non videtur uſquequaque improbandum eſſe, ait *Duar. lib. 1. de benef. Eccleſ. c. 4.* modò ea gubernatio eos à ſpirituali procuratione non avertat. Nam ſicut prædia ſibi donata à Principibus aut aliis propria habere ac retinere poſſunt: ita & juriſdictionem, quæ cum prædiorum donatione transfertur. Præterea quid vetat Dominum ac Principem alicujus civitatis aut provinciæ, ſi idoneus reperiatur Epiſcopum creari. Quod ſi uſu venerit, nemo dixerit, opinor,

eum facultates ac patrimonium ſuum deſerere oportere &c. *Alex. Raudenſis d. c. 39. n 84.*

IX.

Porrò ne aliqua in parte ſecularibus Eccleſiaſtici Electores inferiores eſſent, nec tamen hi per ſanguinis conjunctionem Imperatores attingerent: illi verò cognationis aut agnationis neceſſitudine illis devincti apparerent, ejuſdemq; facta mentione ſecundùm officii commemorationem ab Imperatoribus compellari ſolerent, factũ eſt, ut per modum quaſi adoptionis, Eccleſiaſtici nomine nepotum ab Imperatoribus honorati fuerint: poſſunt quippe & nepotes adoptari, *l. adoptare. ff. de adopt.* Quod *Heig. d. q. 4. n. 62.* primum à Friderico III. in reformatione Francofurti ann. 1442. factâ, uſurpatum putat, in cujus rubrica: Von dem heimlichen Gericht ꝛc. hæc verba leguntur: So der Ehrwürdige Dieterich/ Ertzbischoff zu Cölln/ unser lieber Neve und Churfürst. Quod primitùs in perſona hujus Theodorici, qui ex Comitibus de Morſa fuit, gratitudinis cauſa inventum opinari licebit: opera enim ſua Fridericum in ſolium imperiale ſublimari effecit. *Merſæus in annal. Archiepiſc. Colon. n. 66.* Oportuna autem derivatione poſtmodum non ſolùm in ſubſequentes, verùm etiam reliquos Electores Eccleſiaſticos translatum fuit.

X.

Collegii autem Electoralis dignitas & autoritas tanta eſt, ut eidem Germania libertatem ſuam in hunc uſq; diem ſalvam & utcunq; tectam extare, ſe debere facilè agnoſcat. Nam non ſolùm incommodis illis, quæ interregno durante facilè oriuntur maturâ Cæſaris novi electione occurrit, verùm etiam Anno 1611. pro imperii orbisq; ſalute, ut ait *Carolus noſter in tit. 12.* ſæpiſsimè ſaluberrima conſilia ſuſcepit: quod præter alios ille Norimbergæ conventus celebratus oſtendit, ut non ineptè *Ventura de Valentiis in parthen. ſuo litigioſo lib. 2. cap. 3. n. 28.* inter politica utpote Principum litium abbreviandarum remedium, conventum Electorum collegialem retulerit omnium optimũ, ait ille; remedium in Germania magnis tempeſtatibus, litibus atq; tumultibus eſt, Electorii dignitas atq; conventus ordinis collegialis: hujus enim ſolius medio

dio & remedio sacri Rom. imperii possessio adversus munitiones Pontificum, & alias ejusmodi lites ac malitias publicas semper fuit conservata: nihil quippe excogitari potest ad seditiosorum hominum factiones & civilia bella declinanda utilius, quàm multitudini Principum & magistratuum creationem erigere & paucissimis cōmittere, qui Regē Romanorū designent &c. Et eleganter quoq; *Schardius in præf. de Elector. institut.* loquitur: quis enim aliis imperiorū ac rerump. fatalibus periodis consideratis divinitùs Aristocratici collegii vestri formam conservatam esse non videt? Ampla Persarum Monarchia fuit, at ea ducentos vix annos attigit: Macedonum imperium magnis viribus Alexandri incepit, post ejus mortem intra trecentos annos concidit, & Romanorū longè potentissima Monarchia post quadringentesimum annum à Gotthis miserrimè devastata: alia quoq; quam plurima regna florentissima, cum vix trecentesimū annū conscendissent, penitus collapsa fuére. Tantò itaq; divinæ majestatis clementia erga imperii Germanici formam major conspicitur, quantò eò cæteris imperiis diuturnior stabiliorq; fuerit. Non igitur existimemus, verbis utor *Peuceri lib. 5. Chron. in princ.* temerè aut casu extitisse hunc tàm concinnè Geometricâ proportione distributum, & ad imperii stabilitatem accommodatum summi Senatus in orbe Christiano & totius imperii ordinem, cujus nixu Romana potentia huc usq; constitit, sed autorem Deum grati agnoscamus ac celebremus, ordinem ipsum tanquam opus Dei veneremur ac tueamur.

XI.

Tanta igitur cum dignitas ac autoritas Electorum sit, non injuria nostri regibus eos comparant. *Dan. Moller. lib. 1. cap. 40. nu. 1. semestr. Warem. ab Erenberg. cap. 2. nu. 147. lib. 1. de fœder.* Sit sanè ait *Schard. in proœm. d. tract.* Principum aliorum ac Regum dignitas magna; hæc verò tantò major augustiorq; est: quantò imperiali fastigio propior, ejusq; quasi legitima & ordinata creatrix esse videtur &c. Die Churfürsten schreiben Königen Ewer Liebe vnnd nicht Ewer Gnaden / denn sie sind Königen gleich geachtet / ait Luth. in seiner Tischrede / c. 38. Et ideò cum parem pari servire inconveniens sit, Electorem imperii non decere more mercenarii militis,

ut se Regi alicui obliget, putat *Warem. ab Erenb. d.c. 2. num. 14*. addit: & sint columnæ imperii & fulcra, imò Electores in collegio Electorali ferre Consiliarios stipendio regali fruentes noluisse scimus. Cumq; nuper Legatus cujusdam Regis prudentissimi imprudenter inter Consiliarios Electoris nostri, Regis nescio cujus stipendiarios diceret, sapientissimi & nobilissimi Electoralis Consiliarii responsum tulit: Illustrissimi sui Principis Consiliarios vivere contentos stipendio Electorali, neq; egere exteri aut alterius Principis subsidio. Et quamvis Electores comparentur Regibus, Reges tamen non sunt, comparatum enim comparato simile quidem, sed non idem est, unde & nominibus & insigniis Regum carent, sed ut Egnatius præfecturam prætorianam instar imperatoriæ dignitatis haberi dixit, nisi quod purpuræ trabeæq; usu destituatur. *Francisc. Iuret. epist. 12. lib. 1.* ita Electores regiæ dignitatis gradum obtinere citra nomen & insignia regia rectè statui poterit. *Heig. d. q. 4. num. 51.*

XII.

Ad unitatem verò inter Electores fovendam, ut ait *Carolus noster in proœm. hujus Bullæ*, & electionem unanimem inducendam, ac detestandæ divisioni variisq; periculis ex ea sequentibus aditum præcludendum. In princ. h. t. statuitur, ut in conventibus Imperialibus aut Electoralibus post Archiepiscopum eum, qui ratione Cancellariatus sui dextrum Imperatoris latus tenet, primum locum Rex Bohemiæ, tanquam Princeps coronatus & unctus: secundum verò Comes Palatinus Rheni &c. Ad sinistram verò partem post Archiepiscopum illum, cui latus illud obtigit, primum locum Dux Saxoniæ, alterum Marchio Brandeburgensis obtineat.

XIII.

Ratio, quæ à Carolo, cur primus locus Bohemo inter seculares Electores assignatus sit, additur, non obscurè innuit, eo tempore, quo adhuc Ducis nomen habuit, ei locum non primum, sed alium competiisse: Etiamsi *Irenicus lib. 3. c. 50. in Germ.* contrariũ opinetur. Si enim, quia coronatus & unctus est, primum tenet locum, utiq; eo tempore, quo nondum Rex fuit, locum sibi primum vindicare non potuit. Et ut putat *Crantz. lib. 4. c. 28. in Saxon.* eum inter

inter Electores novissimum fuisse. Quod confirmatur *art.57. lib.3. Specul. Saxon.* Inde verò subjicit *Crantz.* cum principatus erigeretur in regnum, priorem electuræ dignitatē non amisit, sed locum suum servavit, alioquin inter seculares Electore locum haberet primum, quem nnnc tribuunt ei novissimum &c. Quod quia contra hanc Bullam est, minimè recipi potest: locus enim ei inter seculares tribuitur primus: nonnihil enim dignitati regiæ decedere videri posset, si ultimum teneret. Dignitatisq; regiæ intuitu Sigismundus Rex Ungariæ, licet saltem ut Marchio Brandenburgensis vocatus adesset, primus rogatus fuit sententiam de Cæsare nominando dicere. *Dubrav. lib. 23. hist. Bohem.* Et collegæ Regis Bohemi sunt saltem Duces, Marchiones & Comites: plus autem est Regem esse quàm Ducem, Quod ostendit *Polyb. lib. 10. n. 10. historiar.* Cum post pugnam Scipio Rex ab omnibus salutaretur, ait, movebatur eo facto, ut animadversionem adhiberet, collectis igitur Iberis, Regium quidem velle se ajebat, & dici ab omnibus, & cum veritate esse: Regem verò nec esse, nec dici à quoquam: Quibus dictis, ut Dux appellaretur, mandavit &c. Meritò igitur honoratior ei datus est locus: à dignioribus quippe initium sumendum est, *§.fin. & ib.gl. Inst. de I N. G. & C. Chassan. part. 1. consid 14. in cat. glor. mund.* Quod etsi *Beuther. in conjectura sua de orig. Elector.* tribuat Carolo nostro, putetq; ante ipsum, nullum Regem Bohemiæ inter Electores fuisse, id tamen minimè fidei historicæ convenire arbitratur, & ostendit *Knich. c. 1. n.204. verb. Electorum, de non prov.* Sicut nec in eo assensum *Beuther.* meretur, quod Carolum nostrum classes Electorum mutasse existimet, atq; ex supremo Marchione Brandeburgico, quia filius erat Sigismundus, scil. infimum, ex posteriore vicissim Comite Palatino Rheni primum constituisse, medium Saxoni reliquisse; Eā ob causam subjicit, ut promtiores morem sibi gererent Germani Electores in promovendo filio suo Wenceslao Bohemiæ Rege. Licet & *Heig. q.3. n.29.* ejus opinionem recipiat, tamen cùm nullius idonei autoris testimonium, quo suam stabiliat sententiam, proferat, eâdem, qua ille affirmat, confidentiâ negari potest. Et Saxoniæ Dux verisimiliter sibi Palatinum anteponi, si postremum locum tenuisset, non permisisset: Ignotum siquidem non est, quàm ægrè magnates ferant antiquos

dignitatis terminos ipsis moveri. Cujus quidem rei, cum non aliunde melius consilia petantur, ut *Halicarnass.* ait, quæ in futurum prosunt, quàm ex præteritarum rerum exemplis, revolvenda sunt, quæ thes. 1. dixi. Et tantum abest, quod Palatinus postremam habuerit vocem aut locum unquã, ut in electione novi Regis olim primam habuerit vocẽ, quod patet ex antiqua ordinatione, quam *Goldast. tom. 3. const. sub tit. de offic. comit. Palat.* habet. Et juris Saxonici textu Beutherus quoq; refellitur. Nam in *art. 57. lib. 3. Specul. Saxon.* hæc leguntur verba: Primus inter Illustres regni, Palatinus Rheni, qui est dapifer: secundus Dux Saxoniæ, Mareschallus: tertius Marchio Brandeburgensis Camerarius &c. Speculum autem Saxonicum longè ante Caroli nostri tempora incepit, utpote quod plurium judicio à Carolo M. Saxonibus confirmatum est. *Georg. Fabric. rer. memorab. Saxon. lib. 1. anni 811.* adauctum Friderici II. constitutionibus *Spangenb. in Chron. Saxon. c. 247.* Matthæus quoq; Parisiensis scriptor vetustus, qui vixit Alphonsi Hispani electi Imperatoris tempore: hi sunt maximi in Germania, ait, ad quorum nutum pendet electio ipsius regni, quod est quasi arrha imperii Romanorum, Archiepiscopus Coloniæ, cui titulus est sacri imperii Protocancellarii post honorẽ Archipræsulatus. Archiepiscopus Moguntinus, Archiepiscopus Trevirensis, Rex Bohemiæ, Comes Palatinus de Rheno &c. Secundùm ergò locum, & post Bohemum primum ejus tempore habuit, qui tamen in eo ignorantiâ rerum Germanicarum labitur, quod solùm Coloniensem Protocancellarii titulum habere opinetur: Habet quidem, sed in Cancellariatu suo Italico: Moguntinus autem per Germaniã Cancellarius audit, *supr. tit. 3.* Cujus intuitu quando sacrum contingit vacare imperium Coëlectores suos ad electionem novi Imperatoris non solùm convocare, verùm etiam ut Decanus & Collegii caput collegarum suorum vota requirere solet, *§. cæterum h. t.* dictum est *discurs. 1. th. 23.*

XIV.

Cum autem ex ordine sessionis metienda sit dignitatis præeminentia. *Knich. cap. 2. n. 20. verb. Ducum de non prov.* Isq; qui primo vel honoratiore loco sedeat, primum quoq; votum habere debeat, *l. spurii §. fin. ff. de decurion. Chassan. d. consid. 14. part. 2. in cat. glor.*

glor. mundi. Utiq; Moguntino ante Trevirensem votandi jus propter digniorem locum attribui debuit. *Et sanè* primis temporibus Moguntinus votum primus dixit in electione Friderici I. *Guntherus in Ligur. lib. 1.* inducit Moguntinum primas partes dicendi sustinentem:

Tandem quid peteret regni fortuna per unum
Dignata est aperire virum, qui nomine clarus
Dux, Comes, an Præsul dubium ————

Ad quem locum *Rittershusius in not. cap. 2. nu. 228. lib. 1.* miror dubitari de hac re posse ait, cum lib. 6. v. 6. fateatur, Moguntinum Præsulem in electione Imperatoris more antiquo præcipuum habere suffragium. Quod ipsum Friderici I. testimonio quoque clarum est, apud Radevicum Frisingensem Canonicum, qui Ottonis Frisingensis libros supplevit, *lib. 3. cap. 16.* Et *Schaffnaburg. in annal. anni 1073.* Archiepiscopus Moguntinus, ait, cui potissimum propter primatum Moguntiæ sedis eligendi & consecrandi Regis autoritas deferebatur, Principes de toto regno Moguntiam evocavit, &c. Sic in Electione Heinrici V. *Cuspin. in vita ejusdem* Friderici II. *Cuspin. in vita ejusdem* Richardi, *Crantz. lib. 8. cap. 21. in Saxon.* primarium quoque Moguntinus egit: Quò pertinent versus vulgò noti:

Treviris ætate, sed rerum proprietate
Gaudet Agrippina, sed honore Moguntia prima.

Attamen Carolus noster *in §. 3. hic.* non solùm Trevirensi primam vocem competere declarat, verùm etiam hactenus ita observatum se invenisse perhibet. Et Carolo fidem derogare hominis præsumtuosi foret: superiores autem Güntherum, Radevicum, Schaffnaburgensem à veritate historica aliena scripsisse, nostrum asserere non est. Existimat quidem *Peucer. in Ottone III. lib. 4. Chronic.* omninò quibus legibus, quo numero, quove ordine in electione sententiæ dictæ & lata sint suffragia, certò ostendi non posse: Quod quidem respectu aliorum Electorum facilè admiserim, dummodò Moguntino jus primæ vocis non denegetur: alioquin crediderim, variè suffragia dicta fuisse:

fuisse: primitus Moguntino prius votum, postmodum Treviensi competiisse? & demum per hanc Bullam ordinem certum introductum esse, qui tamen nec posterioribus temporibus observatus fuit. Nam in electione Caroli V. M guntinus gravi oratione votum suum prius explicavit, eum subsecutus Trevirensis fuit. *Sleidan. lib. 1. de S. R.* Et cum Maximilianus II. in Romanorum Regem eligendus esset, Moguntinus à reliquis Septemviris interrogatus, quemnam ipse eligeret, verba sunt Relatoris ejus, qui descripsit electionem Maximiliani II. respondit, se eligere Maximilianum Bohemiæ Regem: tùm hos vicissim Moguntinus sigillatim rogavit, atque ita omnium unâ voce Rex renunciatur Maximilianus.

XV.

At inquies, quid est, quod Trevirensi jus eligendi, cum is tamen non Germanus, sed Gallus sit, concessum sit? Sic enim *Salvianus lib. 6. de provid. Dei*, expugnata est quater urbs Gallorum Treviris opulentissima. Trevirensis, ait *Abbas Stadensis* ad annum Domini 1240. licet de Alemannia non sit, tamen ratione antiquitatis eligit. *Otto Frising. lib. 1. c. 8.* ac totius, ait, caput Galliæ urbem fundavit, quam Trevirim ex nomine suo appellavit. Et *Munster. in Gallia lib. 2.* Treviris, inquit, suâ antiquitate omnes reliquas Galliæ civitates excedit. Verùm falluntur illi vehementer: nam Treviri & Nervii circa affectationem Germanicæ originis, ait *Tacitus de mor. Germ.* ultrò ambitiosi sunt, tanquam per hanc gloriam sanguinis à similitudine & inertia Gallorum separentur. Et autore *Ammiano Marcellino* Treviris in Germania sita est, inquit *Jacobus Wimpheling. c. 70. in epit. rer. Germ.* eamq; ad Germaniam retulit *Æn. Sylv. c. 11. in descript rer. germ.* & Germanos se Treviri esse affectant *Wilickius ad Tacit. c. 3. & Althamerus ibid.* Treviri, ait, Belgicæ Galliæ populi juxta *Cæsar. 1. comment.* Nerviis, Menaspiis, Eburonibus, Rheniis, Mediomatricibus finitimi, nunc Germanis annumerantur etiam *Straboni lib. 4.* qui Trivagos appellat, de quibus sic Rudolphus Agricola Burgundiæ Regis gesta describens: Treviris rerum gestarum magnitudine & vetustate urbs præclara Gallica gens nunc Germanica. Germanus ergò Trevirensis est Archiepisco-

episcopus, de quo *in sermon. convival.* sic loquitur *Conradus Peuting.* utraq; Austrasia & superior & inferior à Carolo M. in hunc usq; diem sub Cæsaribus Germanis & ditione Germanica fuit. Item subjicit: Archiepiscopus Trevirensis S. Rom. imperii per Galliam & regnum Arelatense Archicancellarius ex eo est, quod illa Gallia & regnum Arelatense imperio subesse debeat &c. Quod intelligendum est de ea Galliæ parte, quæ regno Arelatensi continetur, quæ nimirum sola imperium recognoscebat, ait *Freher. ad Pet. de Andlo lib. 2. c. 1.* Per reliquam enim Galliam quid Cancellario opus est magis, quàm per Hispaniam aut Africam? Arelatense verò regnum in divisione nepotum Caroli M. quâ totum Francorum regnum in Germanicum & Gallicum dividebatur, Germanico regno cum octo suis comitatibus tributum subditumq; usq; ad Caroli nostri alienationem fuit, *Freher. d. l.*

XVI.

Minuenda autem hoc loco est opinio *Pet. Gregor. Tholos.* qui *lib. 6. c. 13. n. 25. & lib. 7. c. 15. n. 18.* Trevirensem Galliæ nomine eligere Imperatorem putat, sed suo arbitrio sinè mandato & consensu Regis Galliarum: *Non enim* quicquam juris Gallis in electione Impp. competit. Hinc unà cum Italis iniquissimè constitutionem de Electoribus prolatam tulerunt. *And. Alciat. in lib. de form. Rom. Imp. Cisner. in Ottone III.* quod non solùm jus eligendi, verùm etiam omnem spem summi apicis quandoq; potiundi ipsis ademtam esse perspicerent. Unde Galliam ab imperio decessisse testatur *Gunther. in Ligur. lib. 1.*

At simul à nostro secessit Gallia regno,
Nos priscum regni morem servamus: at illa
Jure suo gaudet, nostræ jam nescia legis.

Si ergò Gallis jus nullum competit, quomodo eorum nomine Trevirensis eligeret? nec enim Galli jus, quod non habent, ad aliū transferre potuerunt. Deinde Trevirensis, quod fatetur Tholoss. suo arbitrio sinè mandato & consensu Regis Galliarum eligit: nomine proprio ergò non alieno eligit. Nam qui alterius nomine eligit, ut ejus consensu & mandato eligat, necesse est, §. *præterea §. Princeps sup. c. 1.* Rectè ergò *Knich. in c. 1. n. 73. verb. Electo-*

S rum

rum.de non provoc. jur. Moguntinus ait, Trevirensis & Coloniensis defunguntur electionis munere, tanquam Cancellarii imperiales, uti quod profani ratione officiorum: alioqui sequeretur, Palatinum eligere nomine Palatinatus, Saxonem Saxoniæ, Marchionem Marchionatus nomine, quod est absurdum, *Freher. d. loco.*

XVII.

Secundum in electione Imperatoris votum tribuitur Coloniensi Archiepiscopo, cui etiam competit dignitas, nec non officium Romanorum Regi primum diadema regium imponendi, ait Carolus §. *3 hic.* Quod sub persona Friderici I. *Güntherus* etiam ostendit *lib. 6. in Ligur.*

——— pastori prima resentis
Agrippina tuo conceditur unctio Regis.

Quanquam hoc olim quoque jus coronationis Moguntino competiisse, non obscurè ex Schaffnaburg. colligi queat. Nam cum Imperatoris filius Henricus, ait, *Annal. Anni 1054.* consecratus esset in Regem Aquisgrani ab Hermanno Archiepiscopo Coloniensi vix super hoc impetrari consensus Lupoldi Archiepiscopi potuit, quia ad primatum Moguntinæ sedis consectatio Regis, & cætera negociorum regni dispositio potissimum pertinebat &c. Quod ipsum anteriora revolventibus tempora non semel occurret, cùm Heinricus Auceps Fritislarii Rex designatus esset, & Hildibertus Moguntinus ei unctionem offerret, renuit. *Cuspin. in vita ejusdem.* competiit ergò Moguntino, qui enim aliâs offerre potuit? Cumq; filius Otto Aquisgrani coronandus esset, quæstio Pontificum, inquit *Witikind. lib. 2. gestor. Sax. in pr.* in consecrando Rege Trevirensis & Coloniæ Agrippinæ orta est, illius, quia antiquior sedes esset, & tanquam à B. Petro Apostolo fundata: istius verò, quia ejus ad diœcesin pertineret locus, & ob id sibi convenire, arbitrati sunt, hujus consecrationis honorem. Cessit tamen uterque eorum Hildeberti scil. Archiepiscopi Moguntini cuncti notæ humanitati. Quod ne humanitati cedenti, quasiq; de jure suo aliquid Moguntino concesserint, attribuatur, non aliter utiq; observatum fuit in Ottone II. & III. *Onuphr. Panvin. in Ottone II. de Rom. P. P. Trithetemius in chron. anno 985.* & Heinricus II. à Willigiso Moguntino

tino Archiepiſcopo inunctus fuit, *Cuſpin.in ejus vita*; qui juxta nonnullorum opinionem primus inter Archiepiſcopos Moguntinos Elector deſignatus fuit. *Merſæus in Willigiſo Annal. Archiepiſcop. Mogunt.* Patre Redario natus, is ut originem ſuam perpetuò in mentem revocaret, ſortemq; humanam graviter perpenderet, rotam in ſui cubiculi penetralibus pingi hac inſcriptione voluit: Willigiſe cogita, qui ſis & fueris, *Bruſchius c. 2. de Germ. Epiſcop. Knich. d. c. 1. n. 62.* Hæc rota poſtea inſigne Archiepiſcopatui Moguntino datum & confirmatum ab Heinrico II. fuit *Merſæus d. l.* Cunradus quoq; II. ab Aribone Moguntino Archiepiſcopo diadema regium obtinuit. *Avent. lib. 5. annal. Bojor.* & quia ſucceſſivè ad Cunradum uſq; ad primatum ſedis Moguntinæ conſecratio regis pertinuerat, non mirum, quod Lupoldus Moguntinus in coronatione Heinrici IV. ægrè hoc jus Colonienſi cedere voluerit. *Schaffnab. d. l.* Factæ autem tunc mutationis Imperator Heinricus III. has *teſte Schaffnaburg.* habuit cauſas, quia major generis claritas Hermannum Colonienſem, quàm Lupoldum Moguntinenſem commendabat: Ille enim Palatinus Rheni cognomento nobilis erat, *Merſæus in Herman. annal. Archiepiſc. Colon* hic ex monacho Fuldenſi ad Archiepiſcopatum evectus fuerat. *Merſæus in Lupold annal. Archiepiſc. Mog.* Altera fuit, quia conſecratio Aquiſgrani intra ipſius diœceſin celebranda contigiſſet: Quæ ratio poſterior tàm efficax futuris temporibus viſa fuit, ut jus coronandi penes Colonienſem immutabiliter permanſerit. *Ciſner. in fin. orationis de Ott. III.* Quod innuit *Gunther. lib. 1. in Lig.* de coron. Friderici I. agens:

Impoſuit capiti geſtamina regia ſacro
Arnoldus, quo tunc paſtore Colonia dives
Gaudebat, quippe hunc veteris ſibi juris honorem
Vindicat ille locus ——————

Vindicat ſcilicet à tempore Henrici IV. nam eum Impp. inſequentes hunc honorem Colonienſi reliquerunt. *Petr. de Andlo cap. 6. lib. 2. de Rom. imp. & ibid. Freher. Hartm. Maurus de coronat. Carol. V.* Nuper tamen in coronatione Imperatoris Matthiæ officium conſecratoris ſuſtinuit Moguntinus, ut conſtat *ex actu coronationis edito,* forſan locus coronationis in cauſa fuit.

VIII.

Tertium votum Regi Bohemiæ aſſignatur, & quidem inter Electores Laicos ex regiæ dignitatis faſtigio primum, *d. § 3. hic. Qui quanquam* perrarò adſit conventibus, ait *Hartm. Maurus de coron. Carol. V. ſub rubr. quo apparatu*, & tractatibus Electorum: neq; fœdera pro manu tenenda communi dignitate cum iiſdem proximis ſeculis percuſſerit, non operas imperio, voluntariasq; collationes præſtet, neq; gratuita onera ferat, non deniq; in circulis illis, in quos imperium digeſtum atq; partitum eſt, comprehendatur: tamen Elector imperii eſt, & tertium in conſilio Electorum tempore electionis Regis ſuffragium adhibet. Erronea itaq; eſt eorum opinio, qui putant, eum non niſi pari numero diſſentientibus reliquis Electoribus ſuo voto intervenire: quod Canoniſtæ tradunt *in c. venerabilem ext. de elect. & elect. poteſt. Pacian. lib. 2. c. 35. num. 26. de probat. Petr. de Andlo lib. 2. c. 2. de Rom. Imp.* & non indiligens rerum Bohemicarum ſcriptor *Dubrav lib. 6. hiſt. Bohem.* Additus tamen ſex illis Principibus poſtea Rex Bohemus fuit, ait, Elector ſeptimus ad tollendam diſcordiam, quæ inter pares numero; pari ſuffragio concurrente nonnunquam intercedebat &c. Si enim ex Bulla noſtra votum tertium, & inter Electores ſeculares primum habet, utiq; dici nequit; quod paribus exiſtentibus ſuffragiis ſaltem interveniat, quia ſic non tertium, ſed ultimum obtineret ſuffragium: Atqui illud verum eſſe liquet *ex §. 3. hic.* Ergò & hoc; Ineptumq; foret, eum qui primo loco ſedet, ultimum ferre ſuffragium, & qui regiæ dignitatis faſtigio Coëlectores vincit, votandi jure iiſdem cedere, *contra l. ſpurii. §. fin. ff. de decurion.* Quare & ſcriptor Gallicus *Thuanus in pr. lib. 2. hiſtor.* hunc errorem taxat: nec minus pleriſq; ſuſpectum eſt, ait, quod vulgò itidem jactatur, Regis Bohemiæ partes eſſe, ut paribus ſuffragiis interveniat, cùm tertium ei in dicenda ſententia locum nominatim Caroli IV. Bulla attribuat &c.

XIX.

Quarto loco Comes Palatinus Rheni ſententiam dicit, *d. §. 3. hic*, qui tamen juxta antiquam ordinationem primum habuit, *Goldaſt. d. tom. 3. conſtit. Imp. de off. Com. Palat.* Quæ quamvis proprie

priè de Hungariæ Palatino à Matthia Rege & ordinibus regni renovata sit Anno 1462. tamen verbotenus ex vetusta Francorum sive Germanorum formula & ordinatione desumta fuit, *Goldast.d.l.*

XX.

Quintum votum Dux Saxoniæ: Sextum Marchio Brandeburgensis profert, *d. §. 3. hic.*

XXI.

Atq; hoc ordine suffragiis dictis Corlectores cæteri, vice versa Moguntinum, ut ipse votum proferat, requirere debent, *d. §. 3. in fin. hic.* Quod uti nec ante hanc Bullam, ita nec post eam semper observatum fuit: Nam uti supra dictum est, in electione Caroli V. Moguntinus primus sententiam dixit *Sleid. d. l. 1. de S.R* In electione quoq; Maximiliani II. prius protulit votũ *de relat. elect. Maxim. II.* Et quia in hisce atq; aliis Bulla hæc, aut benevolentia, aut conniventia aut dissimulatione Principũ non semper ad amussim servatur, ob hoc forte futuris tempestatibus novus aliquis de rebus frivolis labor Imperatori adcrescet, ait *Hart. Maurus d. l.*

XXII.

Cùm verò hoc loci non exprimatur, an votorum perquisitio publicè an secretè institui debeat, ea de re ambigi jure posset: Et quidem in electione Friderici I. *Gunther. lib. 1. in Ligur. Caroli V. Sleidan. d. l. Maximiliani II. de relat. publicè:* in electione autem Adolphi Nassovii secretè dictæ fuit sententiæ. *Cuspin. in ejus vita.* Qui modus posterior mihi tutior esse videtur: Majore enim cum libertate vota Electorum proferri possunt: nonnullos quippe quidam pudor naturalis vel præconcepta opinio de prudentia ejus, qui prius votum dixit, deterret, quo minus id quod mente cogitant, liberè proferant. Quò pertinet id, quod Ulpianus dixit: potuit præsentia ejus trahere eos in ejus sententiam *l. item si 17. §. fin. ff. de recept. arbitr.* Unde & in Areopago sententiæ in pugillaribus conscriptæ exhibebantur, *Sueton. in August. cap. 35.* & jure Canonico electio secretè institui præcipitur *c. quia propter. extr. de elect. & electi pot. Nicol. Cusanus* alium votandi modum assignat, secundum quem infinitis fraudibus obviari posse putat, *in lib. 3. cap. 37. de concord. Catholica.*

XXIII.

Addit Carolus sub fin. hujus cap. quod in celebratione curiæ imperialis Marchio Brandeburgensis: aquam lavandis Imperatoris vel Regis manibus: Rex Bohemiæ primum potum: Comes Palatinus cibum afferre: Dux Saxoniæ officium Mareschalli sustinere cogatur. Sed hac de re commodius dicetur *ad tit. antepen.*

AD
CAPUT QUINTUM
aureæ Bullæ

DE JURE COMITIS
Palatini & Saxoniæ Ducis.

Quinam vacante imperio Vicarii ejusdem sunt.

XXIV.

Ne Imperatore mortuo tempore interregni Respubl. detrimenti quid patiatur, & ad instar navis sinè Rectore submersioni ad primum tempestatis subortæ impetum, obnoxiæ procellis tumultuum concutiatur, *Petr. Gregor. Tholoss. lib. 7. cap. 4. n. 20. de repub.* ut ferè fit Romæ summo Pontifice defuncto, dum Cardinales de successore deliberant, *Bodin. lib. 6. c. 5. de repub.* & cæso Wilhelmo Imperatore per octodecim annos durante interregno, multa contra imperii dignitatem deprehensa fuêre. *Cuspin. in Richardo & Alphonso.* Nihil enim tàm sacrum est ac tàm sanctum, quod non fœdissimè soleat, & cum summa impunitate contaminari. *Bodin. d. cap. 5.* Quapropter Carolus noster lege hac fundamentali his malis obviare cupiens constituit, ut quoties sacrum vacare contingit imperium, Comes Palatinus Rheni, & Dux Saxoniæ Vicarii imperii sunt, eique donec Imperator eligatur alius, æquatâ potestate præsint. Rectè enim *Aristoteles* censet, partienda esse inter plures summa dignitatum munera, ne si uni committantur, is

eadem

eadem restituere nolit. Quod Gustavus Svecorum Præfectus fecit, qui interregno viam sibi ad regnum munivit, ac potentiam præsidiis confirmatam posteritati reliquit. *Bodin. d. loco.* Summè autem necessaria hæc constitutio fuit: Nam ut alia, sic & hoc jus vicariatus Pontifex Romanus ad se pertrahere annisus fuit, ut videre est ex Johannis XXII. *extravagant. tit. ne sede vac. aliquid innov.* de quo *Palatina in ejus vita* scribit, quod multa stoliditatem & levitatem præ se ferentia egerit, quibus si hoc quoq; factum addere libuerit, non magnoperè repugnabimus. Quapropter *extravag. ejusdem* Lodovicus Bavarus facto Francofurdiæ decreto restitit, addita ratione, quod vicariatum Pontificis nulla scriptura, nulla ratio, sed sola usurpatio introduxerit. *Crantz. lib. 9. cap. 15. in Saxon. Cuspin. in vita Ludovic. Bavar.* sed propter discordias intestinas Bavari constitutio, renitente Pontifice, sortiri effectum non potuit: Radices tamen tàm altas in Principum & præsertim Electorum imperii animis egit, ut illi communibus suffragiis per hanc constitutionem Bavari, decretum & pristinam libertatem in usum revocarint, qua in hodiernum usque diem Electores perfruuntur, frustra reclamante *Marta Neapolitano, qui in tract. de jurisdict. part. 4. casu 197. cent. 2.* constitutionem nostram, tanquam conditam, sic loquitur, in præjudicium sedis Apostolicæ, multis annis postea per extravag. Johannis Papæ XXII. revocatam esse putat. Nam si *Marta* ad Catalogum Pontificum recurrere voluisset, invenisset Johannem Papam antè Carolum nostrum vixisse, & suam illam re & nomine extravagantem edidisse. Qui ergò ille revocare constitutionem eam potuit, quæ nondum prolata fuit? quove jure Pontifex patrimonii Petri limitibus conclusus falcem suam in messem alienam & jurisdictionem imperii immittere potuit, *l. apparitores. C. de apparitor.* Quod in terminis nostris considerans *Fernand. Vasq. lib. 2. c. 22. n. 3. controv.* Nec ad rem pertinet, inquit, *cap. ex suscepto de foro comp. & d. Johann. 22. constitutio*, nam paucis fas est, non illinc se expedire, negando, liberum fuisse Pontifici summo alienam jurisdictionẽ lædere, & longè minus, eam sibi asscribere, *l. id quod. ff. de R. J. c. alteri de R. J. in 6. l. un. C. ut nem. in sua causa. l. Magistratus. ff. de jurisd.* Ineptus itaq; est *Marta*, studioque in Pontificem nimio veritatis curam seponit:
Imò

Imò si oculos nostros ad vetusta reflexerimus tempora, inveniemus, non ad Pontificem, sed eos, qui jus eligendi Imperatores habuerunt, curam regni defuncto Imperatore pertinuisse. Quod præter alios *Gunther. lib. 1. in Ligur.* probat:

Francorum proceres, quos inclyta robora regni,
Et validas nunquam pudeat dixisse columnas,
In manibus vestris regnum est, ea quippe potestas
Ad vos more suo semper viduata recurrit.

Ad quem locum *Rittershusius* ait: nondum tunc nata erat nova illa sapientia eorum, qui dicere ausi sunt, cum Imperator Romanus in rebus humanis esse desiit, imperium vacans ad Pontificem Romanum devolvi, eiq; tanquam feudum Domino aperiri, &c. Locus hic certè ostendit tempore Friderici I. vacans imperium tempore interregni fuisse penes Electores & Principes Germanicos. Verùm cum sæpè partium diversis studiis, longior mora in novo eligendo Imperatore intercederet, & quisq; pro libitu ageret, ad Vicarios hosce cura regni delata fuit.

XXV.

Quod quo tempore factum fuit, in obscuro est. *Freher. lib. 2. ad Petr. de Andlo c. 10.* existimat vicariatum istum imperii, quem Palatinus gerit, non aliunde, quàm vi & jure præfecturæ Palatii veteris, sive majoratus domus sub regno Francorum descendere, quæ dignitas tàm ampla fuit. *Hotom. in Francogall. c. c. 12.* ut Reges Franciæ ante tempora Pipini, qui major domus erat, expertes omnis administrationis & regiminis solo nomine regnarent, sed majores domus universam regni administrationem haberent. *Otto Frising. 5. chron. c. 13. Gothofr. Viterbiensis part. 16.* Verùm post Pipini tempora in ordinem fuerunt revocati, & dignitas eorum officii loco & administratorio nomine revocabiliter concessa fuit: Tandem emergente statu autocratico nomen remansit, officio & administratione cessantibus, *Knich. c. 1. n. 111. verb. Electorum de non provoc. jure.* Quod si *Frebero* conceditur, id sequetur, Palatinũ comitem ab eo tempore, quo nomen Comitis Palatii habuit, vicarium fuisse, officiumq; retinuisse. Constat autem, vel ipso *Frebero* teste *in pr. d. c. 10.* quod Cunrado III. Imp. mortuo imperii cura ad

Franciæ

Franciæ proceres juxta *Guntherum* spectarit: Ergò non solùm ad Palatinum. Et si nudum nomen officio & administratione cessantibus Palatino remansit, *Knich. d. loc. num.111.* jus utiq; præfecturæ quodq; huic conjunctum fuit jus vicariatus expirarit, necesse fuit. *Knich. d. loc. n.121. putat*, antè Ottonem III. Palatinos Comites vicariatum promeruisse, sed quo id confirmet, nihil profert. Et *Freber.* vetustius exemplum, quàm Rudolphi Palatini soceri Caroli IV. non habet, quanquam *Buxdorffius th.56. hic.* aliud suppeditet, quod ex Aventino recitat *Crusius lib.3. annal. Suev. part.3.* accidítq; post mortem Rudolphi I. antequam regnum Romanorum accepisset Adolphus, ait, Interrex erat Ludovicus Palatinus Rheni, sicut in Germania moris est, quamdiu ea est capite orbata Præfectum prætorio Rheni, Ducemq; Bojorum Interregem esse, atque imperii munia obire &c. Quicquid sit, illud utiq; in confesso est, jus Vicariatûs Palatino Comiti ante Bullam hanc ab antiquo tempore competiisse. Si enim Ludovicus mortuo Rudolpho Imperatore Interrex fuit, & si ante tempora Johannis XXII. Pontificis Romani vicariorum officia fuerint *d. extravagant. t. ne sede vacante*, longaq; ac approbata consuetudine inconcusse à majorum ordinatione observata, vacante imperio jus administrandi imperii jura feuda conferendi, & negocia cætera disponendi Palatino Rheni deberi, ut Ludovicus Bavarus differit apud *Cuspin. in ejus vita* utiq; negari nequit, longo tempore ante Bullam hanc Comiti Palatino Vicariatum competiisse. Et quidem de Palatino id extra controversiam esse statuo: de Saxone verò res non æquè expedita est. Putat quidem *Freber. d.l.* & eum quia Palatini titulo ab antiquo gaudet, eodêm modo obtinuisse vicariatum. Sed si quis attendat ad constitutionem Ludovici Bavari, quam habet *Goldast. tom.3. constit. anni 1339.* cujus quoque *Cuspinianus* meminit *d l.* nullam Saxonis mentionem fieri inveniet: Cujus sanè nomen Imper. silentio non involvisset, si jam tùm Vicariatum Saxo habuisset. Nec Carolus more suo à veteri observantia, consuetudine aut privilegio Vicariatum Saxonis deducere omisisset, ut fecisse ipsum de Palatino privilegii ejusdem allegatione apparet, si antè ipsum Saxoni jus Vicariatus competiisset. Nec rectè Carolus eodem jure Ducem Saxoniæ se frui velle dixisset, si antè ipsum jam eo

T jure

jure potitus fuisset. Per hanc ergò Bullam Palatino in Vicariatu Saxo adæquatus fuit.

XXVI.

Palatinus & Saxo ergò totius imperii vicariam administrationem divisis inter se limitibus obtinuerunt. Cum enim Romanum imperium, quale tunc erat, in duo regna esset divisum, Lombardicum & Teutonicum *Freher. d. lo.* In Lombardico vel regno Italico Vicarii peculiares & varii fuerunt. Nam Vice-Comites Mediolanenses vicaria potestate à Carolo nostro honorati fuêre. *Fabric. lib. 6. orig. Saxon.* Sabaudiæ Dux se perpetuum imperii vicarium scribit. *Jacobin. de S. Georg. verb. vicariusq; n. 5. de feud.* Illudq; privilegium Vicarii imperii perpetui concessum ei est, ait *Tessaur. in præfat. decis. n. 14.* primùm à Sigismundo Imperatore, confirmatumq; fuit ab aliis omnibus subsequentibus Imperatoribus. Quod ipsum & *Osascus* scribit *decis. 155.* nec repugnat *Bodin. lib. 1. de Rep c. 9.* qui disertè eum imperii vicarium esse scribit; Verùm ex eo, quia Vicarius est, jura majestatis Duci Sabaudiæ denegat: Quid enim tàm majestati, inquit, contrariũ, quàm se Legatum aut Præsidem, id enim appellatione Vicarii significatur, profiteri. A quo jura majestatis habere te putes in ea ipsa provincia cui præsis? Quod etsi verissimum sit, reprehensionem tamen *Tessauri d. l.* patitur: Sed cùm sit præter & extra rem nostram, nec *Tessaurus* urgenti aliqua & ad propositæ rei confirmationem apta ratione utatur, liticulâ eâ omissâ sciendum est, Sigismundum Imp. Brunoriũ de la Scala Veronæ & Vincentiæ quoq; vicarium constituisse, ut apparet ex constitutione Sigismundi, quam habet *Goldast. tom. 3. constit. Imp. anni 1434.* quanquam posteriores Imperatores non æquè hac in re indulgentes fuerint. Sanè cùm Carolus V. à Ferdinando fratre peteret, ut Philippũ filiũ imperii per Italiam & Belgiũ cum plena potestate vicariũ constitueret, Ferdinandus assentiri noluit, quod diceret tantùm de Cæsarea majestate ac dignitate, quam integrã & illibatã tueri recepisset decessurum, quantum ex ea alteri concessisset. *Thuan. in fin. lib. 16. hist.* Cumq; Carolus Burgundus à Friderico III. ut imperii Vicarius constitueretur, flagitaret Imperator, se sinè assensu Principum Electorum super hac re nihil constituere posse respondit *Paralip. ad Abb. Ursperg. in Car. Burg.*

in terris tamen Gallicanis ultra RhenumBurgundum imperii vicarium esse putat *Æneas Syl. epist 395.* Quod ante Fridericum suo exemplo Ludovicus Bavarus, cùm Eduardum Angliæ Regem imperii generalem vicarium constituere vellet, comprobavit. Nam in Comitiis Francofurdensibus omnium ordinum suffragiis intervenientibus id effecit, sessionem juxta Electores obtinuit, decretoq; subscripsit, quod habet *Goldast. tom.3. constit. imper. anni 1339.* quæsita potius, quàm oblata occasione ait *Bodin. d. c.9.* qua Philippo Valesio Regi, qui Cameracum Payernam & arces finitimas imperii occuparat, bellum indiceret, *Froissardus in pr. lib. 1. hist.* Non sic Carolus noster regni Arelatensis vicarium Carolum VI. Viennensiū Delphinatē creavit *Bodin. d. l.* sed unius prandii gratia splendidissimū regnū imperio subtraxit, *Wolff. memor. lect. cent. 14. ann. 1354. Crusius l 5. part.3. c.11. annal. Suev.* Quanquā *Bod. d. c.9.* subjiciat, Philippum Valesiū Caroli VI. proavum Arelatensis regni ditionē universam, ac jura majestatis ab Heinrico V. Cæsare sibi coëmisse: Ex quo planum est, inquit, Reges Francorum in omnes Arelatensis regni populos jura majestatis habere, nec imperii Germanorū fiduciarios esse: Qua in re vel prius illud, quod de vicariatu, aut posterius, quod de etione dicit, falsum sit, necesse est. Nā si Valesius ab Heinrico Imperatore regnum Arelatense emerit, quis unquā tam ejus rei oblitū ejus nepotem Regem Galliæ crediderit, ut eum, quod avi curā jam propriū ipsius factū fuerat, nomine Vicariatus in filium Delphinum à Cæsare Carolo transferri æquo animo laturum opinari velit? Et certum est, ante Caroli nostri translationem, Gallū nihil juris in regno Arelatensi habuisse, *Crusius d. l. Freher. ad Pet. de Andlo lib.2. c.1.* Quapropter si alterū illud, quod de Vicariatu scribit, verum esse *Bodin.* concedit, consectariū quoq; fuerit, Delphinum Galliæ jura majestatis in subditos regni Arelatensis non rectè sibi arrogare. Nam ut ipse *Bodinus d. c.* contra Sabaudum concludit: nihil tàm majestati contrarium est, quàm se Vicarium alterius profiteri. Verùm de hisce & aliis, qui se in suis provinciis ac ditionibus imperii Vicarios jactitant, ulterius aliquid addere præter institutum nostrum erit: Bulla enim nostra saltem loquitur de vicariis illis, qui in regno Teutonico sunt. Id unicum tamen ex eo observare licet, quod quia Sabaudus, Hispanus, in-

universa Insubria & Hetruria, *Bodin. d. c. 9.* & alii se in suis territoriis vicarios imperii esse fatentur, eò ipso se subditos ejusdem esse concedant. Si enim vice Imperatoris suis in ditionibus sint, ut & eum, cujus vices sustinent, agnoscant necesse est, *l.1. C. de off. vicar.*

XXVII.

Qui quidem sub se alios inferiores Palatinos habuerunt. Et Rhenano quidem Suevicus, Bavaricus & Franconicus subjecti erant, quibus tandem Heinricus III. cognomento Niger subacto Ungariæ regno, & restituto Petro Rege fidelitate ab ea recepta, petentibus Ordinibus Palatinum Ungariæ adjecit. Idem recuperata Campania & imperio Germanico unita Palatinum Campaniæ: & Conradus III. Imperator Coloniæ Palatinum confirmavit. Fridericus I. Imperaror Burgundiæ & Viennensis Provinciæ Palatinum instituit. *Goldast. d. tom. 3. constit. Imp.*

XXVIII.

Sed quia Rhenanus & Saxonicus omnium primi erant, constitutum fuit, ut mortuo Imperatore vice sacra regnum totum Teutoniæ, quod per excellentiam imperium vocari solet, divisis inter se limitibus gubernarent: Et quidem Palatinus Rheni in partibus Rheni & Sueviæ & in jure Franconico, hoc est, ut versio Germanica habet in Fränckischen Rechten. Saxoniæ verò Dux in illis locis, ubi jura Saxonica servantur. Duplici enim jure regebatur imperium, Franconico & Saxonico: quorum hoc gentem Saxonicam ad mare Balthicum & Sarmatiam, illud tractum Rheni Franconiam & Sueviam, sub qua etiam Bavariam Austriamq; ad alpes usq; complectebatur, *Freher. ad Pet. de Andlo d. l.* Unde liquet, tunc temporis in Marchia Brandeburgensi, Ducatibus Brunsvicensi, Lüneburgensi, Megapolensi, Pomeraniæ & adjacentibus jus Saxonicum usu frequentatum fuisse, quemadmodum ostendit *Æneas Sylv. in Europa cap. 31.* de Magdeburgo loquens: Magistratus urbis jus civile abbreviatum, inquit, & Saxonica lingua conscriptum, non sinè reverentia custodit, quod Caroli M. autoritate confirmatum tradunt, eoq; in decisione causarum circum sitæ gentes recurrunt &c. Et autor appendicis post consilium *Cothmanni 26. n. 133. vol. 1.* veræ namq; ait, & antiquæ Saxoniæ terminos, & consequenter juris Saxonici usum jam olim latius patuisse; & etiamnum

dò hi-

non in Saxonia modò, ſed in pluribus aliis locis vigere, non modò hiſtorici & JCti produnt, ſed etiam regni lex oſtendit, quæ imperii vacantis proviſionem duobus tantùm Principibus, Electori quidem Palatino in partibus Rheni Sueviæ & Franconia: Duci autem Saxoniæ in illis locis, ubi jura Saxonica obſervantur, defert: Ita Reges Bohemiæ in inferiori Luſatia, & Electorem Brandeburgenſem jure conjunctæ manus, quod juris Saxonici proprium eſt, ſuis vaſallis feuda concedere conſtat. Et quemadmodum jus Saxonicum, diœceſin Epiſcopi Suerinenſis territorio Saxonico vendicat, ita totum idioma in Ducatu Megapolitano planè Saxonicum eſt. Quin & extra imperium in Polonia jura Saxonica in deciſionibus cauſarum obſervari teſtibus fide dignis conſtat &c. Quod poſterius confirmatur ex privilegio Regum poloniæ, quod habet *Goldaſt. in collect. conſuetud. & LL.imperialium.* Verùm quoad tempus hodiernum, ſententia hæc à Marpurgenſib. *conſ.32.num.186.vol.3.*rejicitur,& jus civile in Ducatu Brunſvicenſi, Archiepiſcopatu Bremenſi & Pomeraniæ ſervari atteſtantur, reprehenſa ſententia Ingolſtadienſium *in conſ. 22. num.54. vol.5. varior. German. ICtorum.* Quod ſimiliter de Ducatu Megapolenſi aſſerit *Cothman. d. conſ. 223.* Nam Ducatum imperio ſubjectum, inquit, imperii legibus & communi jure vivere exiſtimandum eſt. Nec novum eſt, obſervantia contraria leges priores in deſuetudinem abire *l.32. ff. de LL.*

XXIX.

Hinc non immeritò quis dubitaverit, an Electoris Saxonici Vicariatus ad haſce provincias,ubi jam Saxonicum jus ſilet,etiamnum extendatur? Nam Bulla noſtra expreſsè eum ad loca illa, ubi jura Saxonica ſervantur, reſtringit: Verùm quia tempore Bullæ noſtræ illis in locis receptum fuit jus Saxonicum, illudque non cauſa privilegii, ſed demonſtrationis gratiâ adjectum ſit, conveniatque privilegia imperialia,quale hoc Saxonicum eſt, non coarctare,ſed pleniſsimè interpretari *l.penult. de conſtit. Princ.* Verius eſt, Vicariatum omnibus illis in locis etiamnum,in quibus tempore Bullæ hujus valuit, vigere.

XXX.

Quæri hic quoque non incommodè poteſt: An Principes

Saxoniæ jure provinciali Saxonico in feudis, quæ ab imperio habent, utantur? Quod affirmandum videtur argumento eorum, quæ ex *Bl.* tradit *Ludov. de Molina lib.1. c.13. n.50. de Hispan. primigeniis.* Si Imperator concedat feudum in Italia secundùm consuetudinem Italiæ videtur illud concessisse: & è converso, si Italo in Germania feudũ donet, censetur illud donasse secundùm Germaniæ consuetudinem, Regulantur ergò feuda imperii secundùm consuetudinem provinciæ, in qua sita sunt, *Rosenth. c. 1. conc.14. de feud.* Et Otto III. Imperator se juri Saxonico subjecit, cur Principes ergò huic repugnent, non video ait *Knich. verb. jus c 4 n.66 de non prov. jur.* qui in judiciis & contractibus loco privatorum habentur: sunt enim jure gentium introducti *l.5. ff. de J. & J.* quo jure nullum inter hos & illos discrimen fuit: & justitiæ cõmutativæ proprium est, nullum omninò habere respectum personarum. *Zas. ad l.31. de LL.* Unde in transactione Saxonica anni 1554. dicitur: Daß da ein Articul fürfiele/ der sich unter die Sächsischen Recht ziehen thete / darinn den Sächsischen Rechten nachgesprochen werden soll ꝛc.

XXXI.

Quo tempore verò potestatem suam Vicarii exercere possint, an saltem mortuo, vel etiam absente Imperatore? Dubitatur ex eo, quia Bulla loquitur, quando vacat imperiũ, ut præmittitur *in princ. h. cap.* In præmissis autem Imperator saltem de vacantia ea, quæ per mortem Imperatoris inducitur, egit §. *19. c. 1.* §. *2. c.2.* Hinc est, quod *Nicol. Rucker. consil. 14. inter consilia Claudii Cantiunc.* aureã Bullam ait, si rectè eam intuebimur, *sub tit. de jure Com. Palat.* solùm loqui in casu, quo vacat imperium, & quando est sine capite, non quando est jam provisum de moderatore, apud quem omnis jurisdictio & potestas est. Potest ergò Imperator, cui velit in casu absentiæ vices suas committere, & alia est ratio absentiæ, alia mortis: Dum abest Imperator, potestas & jurisdictio nihilominus penes ipsum manet, cujus intuitu alium substituere potest. *Alex. in l. fin. ff. de jurisd. omn. jud.* At eo mortuo simul etiam omnis ejus potestas concidit, juxta illud:

Omnia Cæsar erat, sed gloria Cæsaris esse
Desiit, & tumulum vix habet octo pedum.

Et

Et dum mortuus est, caret Respub. capite, non verò ubi abest:

Scilicet hanc in se majestas regia justi
Vim terroris habet, procul an propè, præsto vel absens,
Semper terribilis, semper metuenda, suoq;
Plena vigore manet, nulliq; impune premenda
Creditur & semper cunctis & ubiq; timetur.

ut eleganter cecinit *Güntherus in Ligur. lib.5.* Verùm quia mors & absentia multis in partibus juris æquiparantur; *c. præsentia extr. de testibus.* Unde potest Capitulum omnia absente Episcopo, quæ potest mortuo eo, *Innocent. in c. ad abolendam de hæretic.* Sunt plurimi, qui putant ad casum absentiæ, vicariorum potestatem rectè extendi posse, *Freher. in cap. 10. ad verba: vacante imperio*, notat, per mortem Imperatoris aut absentiam trans alpes. Et *Florentinus à Venningen in cons. 16. num. 138. inter cons. Claud. Cantiunc.* licet tunc seu eo casu, ait scilicet absentiæ Cæsareæ majestatis, vel existentiæ ejus ultra montes Comes Palatinus Elector sit in illis casibus Vicarius universalis Germaniæ: & quidem speciali privilegio fulcitus & confirmatus me teste & sciente &c. fuit enim Cancellarius Electoris Palatini. Habent quippe Vicarii ordinariam & perpetuam, non delegatam & temporalem jurisdictionem: & ideò non potest Imperator eam impedire, quod fieret substituendo alium. *Jacobin. de S. Georgio verb. vicariusq; num.5. de feud.* Hinc notat *Alexander in rubr. ff. de off. ejus cui mand. est jurisdict.* quod duplices sint Principum Vicarii, quidam à lege constituuntur, qui locum absentis vel impediti sustineant: quidam ab homine, hoc est, ipso Principe ex proprio motu absque legis perpetua provisione & necessitate constitui, qui delegatam jurisdictionem habere censentur. Ad classem priorem *Thom. Mich. th.29. de jurisdict.* refert Regem Romanorum Cæsarisq; vicarium, quamvis hi rectius Vicarii imperii quàm Imperatoris dicantur, quia eo mortuo ipsorum potestas demum incipit, quæ expiraret, si ejus vicarii essent *cap. 1. de off. vicar. in 6. clem fin. de procurat. parag. 9. Institut. de mand.* aliudque imperium ab Imperatore est: hic unicus est & singularis: illud verò ipsa civium ac subjectorum universitas.

Quam

Quam distinctionem attendens *Ulpian. in l. fin. ad L. Jul. maj.* per duellem definit, qui hostili animo adversus Rempubl. vel Principem animatus est. Et in legibus Saxonum *tit. 3.* qui in regnum vel in regem Francorum consiliatus fuerit, capite punitur. Imperator itidem mortalis est: imperium verò perpetuum & immortale, *nov. 47. in princ. Hotom. in Francogall. c 15.* Perpetua ergò & vicariorum potestas erit, quia imperium repræsentant: si perpetua, interrumpi non poterit: fieret autem id, si per absentiam Imperatoris alius substitueretur. Deinde quicquid continetur in termino, ad quem fit relatio, dicitur contineri, in termino referente *Tib. Decian. cons. 101. n. 19. vol. 2.* Atqui in relato privilegio in textu nostro, quod Carolus noster Comitibus Palatinis dedit, non solùm casus mortis, verùm etiam absentiæ exprimitur, sicuti apparet ex confirmatione privilegii Caroli V. Imperat. Uber des Pfalzgrafen Vicariat-ampt/ apud *Goldast. in part. 1.* Reichssatzungen *fol. 241. in verb.* Wenn Römische Keyser und König uber Berg gezogen seyn oder ziehen etc. Continebitur ergò & in textu nostro tanquam in referente. Quod ipsum quoq; patet ex tenore privilegii Ruperti Imperatoris, quod habet *Freher. d. c. 10. ad Pet. de Andlo* præcipuè etiam advertentes à Divis Impp. Romanis & Regibus prædecessoribus nostris hactenus fuisse observatū, ac de jure etiam Comitatus Palatinatus Rheni fuisse & esse, quod cùm Imperator Romanus vel Rex ultra montes Italiam ingressus fuerit, in ipsius absentia vicariatum imperii in Germania, Gallia & regno Arelatensi ad Comitem Palatinum Rheni pertinuisse & pertinere &c. Quod quamvis saltem mentionem Privilegii Comitis Palatini faciat, cùm tamen Duci Saxoniæ vicariatus, sub omnibus modis & conditionibus, quibus Palatino competit, concessus sit §. *2. hîc.* Adeoq; in confirmatione Caroli V. Uber das Stadthalterampt im heiligen Reich etc. addatur, daß dem Churfürsten von Sachsen an seinem Vicariatampt/ nach laut der gülden Bull/ kein Abbruch oder Nachtheil bringen soll/ apud *Goldast. d. part. 1.* Reichssatzung *fol. 243.* utiq; & ad ipsum in casu absentiæ cura imperii in locis sibi assignatis recidet. Quid dicendum? Sanè cum optima interpretatio sit, quæ ex observantia desumitur, *l. si de interpretatione & l. minimè. ff. d. LL. Knich. verb. Ducum. c. 2. n. 106. de non prov. jur.* illaq; concessionem factam declarare soleat: tantùm

enim

enim præsumitur concessum, quantum observatum, *Ludov. Roman. cons.271.n.4. Decius cons.517.n 7.* putarem, distingui posse: vel Imperator alii suas vices demandavit, & credo cessare vicariorum potestatem; vel nullo post se relicto mandato fines imperii reliquit, & ad Vicarios ejusdem curam pertinere statuerem. Ratio distinctionis desumitur ex observantia. Sic enim Heinricus VII. profecturus in Italiam Coronæ Imperialis sumendæ gratia, Johannem filium Regem Bohemiæ Vicarium Imperii in Germanos substituit, *Dubrav. hist. Bohem. lib. 20. in pr.* Et Sigismundus Bohemos bello persequens Cunradum Archiepiscopum Moguntinum Imperii Vicarium constituit. *Nicol. Serrarius lib. 5. in Archiep. 48. rerum Mogunt.* Et Carolus V. cùm non posset continenter in Germania esse, Ferdinandum fratrem imperii Vicarium declaravit. *Crusius part. 3. lib. 11 c. 7. in princ. annal. Suevic.* Et speciali concessione & mandato in Rudolpho & Ludovico Barbato, apud *Freher. d. c. 10.* ostenditur, partes Imperatoris in vicariatus administratione demandanda intervenisse, quæ nullæ & supervacuæ fuissent, si jure refragante Imperator intervenisset, quod dicendum non est. Ex hac igitur observantia, cui standum est, licet aliter de jure caveatur, *Knichen. d. c. 2. nu. 160.* distinctio superior clarescit.

XXXII.

Exercent ergò hi vicarii etiam absente vel mortuo Imperatore potestatem suam: quæ cùm in non prohibitis cum potestate ipsius Imperatoris æqualis sit, *l. 1. C. de off. vicar. Tib. Decian. cons. 23. n. 67. vol. 1. Surd. cons. 281. n 1.* colligitur: quemadmodum Imperator judicia exercere, ejusque aula etiam in prima instantia omisso judicio Cameræ imperialis adiri potest *Heig. lib. 1. q. 9. n. 12.* similiter & Vicarios durante vicariatu, præteritâ Camerâ imperiali rectè compellari. Quod ne temerè à nobis dictum existimare liceat, minuenda est eorum opinio, qui Imperatori cum Camera Imperiali in jurisdictione concurrentiam denegant, qui viderint, an non per tales prætensiones faciant Imperatorem inter suos subditos, quasi ziphram, vel regem fabarum stare, ut loquitur *Theodor. de Niem in Otton. secundo Schol. ult. de privileg. Imper.* nam certum est, quod ante fundationem Cameræ Imperialis, quæ incidit in annum Domini 1495. regante Maximiliano I. *Gail. lib. 2. cap. 1. num. 28. de pac. publ.*

Cisn ad tit. 2. ordin. Cam. p. 1. Romanorum Imperator supremam per imperium jurisdictionem habuerit, isque solus & non alius inter litigantes cognoverit, quapropter si hac summa potestate eum exutum esse volumus; ut ipsemet ea se abdicaverit, necessum est; quæ enim solius Cæsaris fuit cognitio, ab alio ei præripi non potuit. *l. id quod nostrum ff. de reg. jur.* verum si Recessus imperii A.D. 1495. & A. 1500. in quibus de instituenda Camera deliberatio suscepta & in effectum perducta fuit, perlustraverimus, nullum vestigium nedum expressum consensum Imperatoris factæ à se abdicationis inveniemus, imò contrarium ex eo deprehendere licet, quod cum in Comitiis Wormatiensibus A. 1495. Camera in urbe Wormatiensi instituta esset, vnd aber als dieselb aus zugefallenen Mängeln still gestanden/vnd nicht ganghafftig gewesen/*ut dicitur in Rubr.* Cammergerichtsordnunge/*dicti Recess. A. 1500.* de nova ejusdem in urbe Nürenbergensi erectione cura suscepta fuit, quod si enim per Cameræ institutionem Maximilianus sua se abdicaverit potestate, justitiam intermedio illo tempore, quo scilicet Cameræ jurisdictio conticuit, fuisse, consequens foret, quod tantum abest, ut verum sit, ut vel maximè juris justitiæque vigor tempore Maximiliani effloruerit. *Cuspin. in vita ejusd.* & si Maximilianus in Cameram transfuderit suam potestatem, qua ratione is A. 150;. Cameræ præsidere, quod bis factum, potuit? culpæ enim genus est jurisdictioni ad se non pertinenti, & qua se abdicaverit, se immiscere, sed quia sibi jurisdictionem quoque reservaverat, utique tanquam caput fonsque omnis jurisdictionis potuit hanc sibi sumere potestatem, non solùm in loco Cameræ destinato, sed & alibi, quia hanc cognitionem ut Cæsar & Imperator jure sumpsit, quo cum nomine ubique terrarum in imperio sit, gaudeat, ut & potestate eidem debita coruscet, consequens est, quod si igitur neque initio erectæ Cameræ abdicatio, neque per subsequentes Imperatores facta sit, sanè nec ea adserenda erit, nam quod Maximiliani successorem Carolum attinet, is non solùm Regimenti constitutionem sustulit, *Tob. Paurmeist. lib. 2. cap. 2. num. 51. de jurisdict.* verùm etiam sibi soli dispositionem Cameræ obtinuit, Recess. Imp. A. 1548. §. Vnd dieweil ein beständiger rc. de subsequentibus Impp. idem, donec contrarium demonstretur, statuendum erit. Hunc cum Maximil. II. A. 1570. Comitia in urbe Spirensi cele-

celebraret, haben Cammerrichter und Beysitzer ihrer Majestet den Gerichtsstab unterthenig præsentirt/gründlich unterricht/ob der Keyserliche Hoffrath mit dem Keyserlichen Cammergericht *concurrentem jurisdictionem* habe/*rc. fol.48.* quo facto superioritatem jurisdictionis Cæsareæ Majestatis comprobarunt, si enim transfusio jurisdictionis in Cameram à Cæsare facta fuisset, jure suo utique retento justitiæ sceptro munere suo defungi potuisset, verum quia Camerales intelligebant, ad aquilæ volatum aves reliquas quiescere, & minoris esse majori cedere, eo ipso, se non solùm in jure dicundo à Cæsare suam obtinere potestatem, verùm etiam ipso tanquam majore jurisdictionario præsente ipsorum potestatem silere debere, demonstrarunt, *l. judicium. ff. de judic.* Principis præsentia, *ait Bodin. lib. 3. cap. 6. de Republ.* omnem omnium Magistratuum potestatem suspensam tenet, quod eleganter quoque *Günther. lib. 2. in Ligurin.* ostendit.

Hoc quoque per cunctas Regnator Teutonus urbes
Non modò Teutonicas, sed & hic & ubiq; jacentes
Jus habet: ut præsens quasi maximus omnia judex,
Claudere jura manu, cunctasq; recidere lites
Debeat, atque omnis judex, omnisq; potestas
Atq; Magistratus ipso præsente quiescant.

constatque insuper, quod Imperatoribus nostris omnia illa licent, quæ anterioribus, nisi quatenus Capitulatione eorum restricta reperiatur potestas, permissa fuere, ut enim olim lege regiâ omnis populi potestas in Imperatores translata fuit, *l. 1. ff. de constit. Princip.* sic per capitulationem subsequentium restricta fuit potestas, ita ut capitulatio nihil aliud quàm legis regiæ imminutio sit, quapropter quod capitulatione iis ademptum non invenitur, in veteri statu permanere censetur, *l. sancimus. C. de testament. l. præcipimus. C. de appellat.* atqui nec capitulatione Caroli V. nec Ferdinandi, nec Maximiliani II. aut etiam Rudolphi II. cautum invenitur, quod soli Cameræ causarum cognitio in imperio Cæsare excluso competat. *Sleidan lib. 1. de stat. Relig.* ubi recitat capitulationem Caroli V. cum qua subsequenter concordant, *Goldast. p. 1.* Reichssatz. *fol. 240.* quapropter Rudolphus II. pientissimæ recordationis, cum hæc quæstio

disputari inciperet, rescripsit, Daß ihre Majestet als Römischer Keyser vnd Oberhaupt/die Jurisdiction von Rechts vnd Herkommen wegen gebüre/vnd in dero Macht nicht sey/ noch bey den nachkommenden Römischen Königen vnd Keysern/etwas an dem ihrigen / so ihr rechtmessiger Weise/vnd durch ordentliche Wahl zustehet/vnd sie sampt ihren Vorfordern herbracht/für sich selbsten/nach/oder zubegeben/verantwortlich/& paulò pòst, daß sie ihrer vhralten Keyserlichen Reichshoff jurisdiction berechtiget / sich bey solcher Hoheit vnd Botmessigkeit handgehabt / die widersetzige in viel vnzehlichen Fällen dieselb Jurisdiction erkent/die sich derselben vnterworffen/ja noch heutigs tages gar gern/wann es in ihren Nutz vnd Vortheil gereicht/suchen vnd gebrauchen/ rc. *Relatio Donawertens. p.2.f. 94* hujusque potestatis Imperatoriæ intuitu bekennen die Stände / daß sie dem Römischen Keyser kein Form oder Maß zu setzen wissen/Reichsabsch. *A.1544*.§. Als wir aber in der Handlunge befinden/rc Item/daß er sey das Oberhaupt im Römischen Reich. Reichsabschied *An.66*.§. Wir wollen / ein Obrister Vogt der Christenheit. Reichsabschied *1530* §. Nach dem aber vns. *& Bodin.* quantumvis parum æquus rerum germanicarum censor, *lib. 1. de Republ. cap. 8.* Imperatorem Germanorum Principes omnes dignitate antecedere scribit, quod si verò hæc ad statum quæstionis propositæ applicaverimus, & Imperatori modum nec formam præscribi posse statuerimus, quis quæso ei formam & modum, quem ille in agnoscendo observare debet, præscribere jure poterit? Rectè *Cicer. 3. de ll.* Magistratibus neque præscribendus est imperandi, sed civibus obtemperandi modus, ait, & si in imperio summus est, caputque supremum reputetur, qua ratione Cameram ei in cognitione causarum præferre poterimus? Cognoscit enim illa vice Cæsaris, Ergo superior est Cæsar, meritoque Camera, ubi ille manus suas extendit, quiescit, & si Cæsar supremus defensor Christianitatis est, cunctosque Reges auctoritate, dignitateque vincit? quis auctoritatem in Imperio ejus in tantum deprimere velit, ut non solùm, quod Regibus aliis suis in regnis, verùm etiam Electoribus & Principibus imperii permittitur, ipsi denegare præsumat? Notum enim est, Electores & Duces Saxoniæ suis in Electoratu & Ducatibus Curias provinciales habere, coram quibus non solùm subditi eorum, verum etiam ipsi Principes ratione bonorum patrimonialium conveniun-

veniuntur,quod nunquam tamen sic intellectum aut observatum fuit,ut subditis,omissis Curiis,ad ipsos Principes devenire non liceat;quid?quod specioso nomine Imperatoris eum salutant, & tamen imperare non permittunt,quî enim ille imperabit, qui subditorum querelas cognoscere, & dijudicare, in quibus tamen vis omnis imperandi gubernandique consistit,non potest? *Hieronym.in Jeremiam cap.22.*ait,Regum proprium est facere judicium, & justitiam,& liberare de manu calumniatorum vi oppressos; & peregrino, pupilloque & viduæ, qui facilius opprimuntur à potentibus, præbere auxilium: hoc si Regis officium & quidem proprium sit, injurii in Regem, imò Imperatorem Romanum sumus, si ei officium,quod ipsius proprium, & ex præscripto divinæ legis sibi incumbere agnoscit,subvertere,& in alium transferre cupimus? *Pet. Greg.Thol.lib.10.cap.2.de Republ.* imò cum per capitulationem ei inter cætera præscriptum sit,ut jus æquabiliter administret, *Sleidan. dicto loco.* quomodo id præstare, si cognitio ei adimatur, poterit? quid si exemptus à jurisdictione Cameræ judicio petatur? ut Archiduces Austriæ,*Mynsing.cent.5.observat.58.*Duces Brabantiæ, *Gail.1. de pace publ.cap.11.num.6.*vel Cæsar judicabit,aut nullius agnoscent jurisdictionem,quod posterius dici non poterit,*Gail.d.loc.* imò causæ Italicæ pertinent immediatè ad Senatum aulicum, uti auctor est is, qui marginalia ad *Thuan scripsit lib.31.* Cæsar ergo jurisdictionem habet,quin si illi ipsi, qui contra nituntur,attenderent, quod tàm in Comitiis quàm in Aula Cæsarea supplicibus ac frequentibus querelis de reformando consilio aulico, ejusque cohibendis affectibus aliisque inconvenientiis, quibus se gravari putabant, egerint,utique jurisdictionem Cæsareæ Majestatis non tantopere, quàm tunc agnoverunt,impugnarent,nam quorsum querelæ illæ toties interatæ? si jurisdictione exutus Imperator fuisset, exceptio enim judicis suspecti non ipsam jurisdictionem sed judicem impugnat,ac præposterè agit declinatoria fori tutus ad exceptionem suspecti confugiens, & quid ordinatione peculiari de causis in Camera pendentibus non avocandis opus fuisset,*Ordin.Camer.p.2.tit. 35.* si Imperator jurisdictionem suam in Cameram transfudisset omnem? quoniam qui jurisdictionem superiorem non habet, frustra ille avocationis medio causas ad se pertrahere nititur, *Gail. 1.*

obſervat. 41.num.7. ideoque dum avocationem ordinatio amolitur, præventionem concedit, vult inſuper ordinatio Cameræ *tit. 27. p.2.* Daß alle vnd jede Sachen / die der Keyſerlichen Juriſdiction ohne Mittel vnterworffen / an dem Keyſerlichen Cammergericht fürgenommen vnd gerechtfertiget werden ſollen/ Si ergò in Camera illæ ventilari cauſæ debeant, quæ juriſdictioni Cæſareæ Majeſtatis ſubjectæ ſunt, quâ ratione nos eaſdem juriſdictione Cæſaræâ exemptas eſſe diſputabimus, & verbum, Vnterworffen/ præſens reſpicit tempus, innuitque hoc præſentique tempore ad Cæſaris tribunal cauſſarum in Camera agitari ſolitarum deciſionem quoque pertinere, conducitque concurrentia Reipublicæ privatis hominibus vi potentum oppreſſis. *Waremund. de* Ehrenberg *cap. 11 num. 40. de Regn ſubſid.* in litium enim cum potentibus executione opus eſt auctoritate ea, quæ & facultatem habeat exterius, & voluntate non careat interius, uti rei, cui benè cupiat, conſulere, & velit & poſſit, ut reſcripſit Henric. IV. Imp. ad Archiepiſcop. Colonienſ. *in epiſtol. 1. tom. German. ſcript. Juſt. Reub.* nec diffitentur alii, uſu & facto Principum proprio concurrentiam probari, quod ſufficit, nam ut alibi JCtus ait, quid intereſt ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis & factis *in l. de quibus ff. de ll.* & obſervantia inſecuta mentem diſponentium declarat, *Ludovic. Roman. conſil. 271. num. 4.* atqui dicit autor des gründlichen Berichts/ &c. fol. 50. Daß zwiſchen der Keyſerlichen Majeſtet vnd dem Keyſerlichen Cammergericht per rerum naturam keine concurrentia juriſdictionis kan ſtat haben/ Sintemal die Juriſdictio, die in Camera adminiſtriret wird / eben der Keyſerlichen Majeſtet Juriſdiction iſt / quod quidem argumentum ſi procedere volumus, ex eo extruetur, quod etiam in caſu fractæ pacis, & relligioſæ conſtitutionis nulla poſſit inter Cæſarem & Cameram eſſe concurrentia, quia utroque caſu Camera judicat nomine Cæſaris, & tamen concurrentia admittitur. *t. 8. 9. p. 2. Ordin. Camer.* Reichsabſchied *A. 66. §.* Wir wollen. eſtque inſuper animadverſione dignum, quod juriſdictionem Cameræ & Cæſaris juriſdictione per mortem ceſſante, & Cameræ juriſdictionem expirare, ubi enim nullus eſt Cæſar, nullum quoque ejus poteſt eſſe judicium, & mortuo principali, ejus quoque expirat juriſdictio, qui ejus vice judicat, *Surd. conſil. 50. num. 30. vol. 1.* verùm quia Camera non ſolùm

Impe-

Imperatorem verùm etiam Imperium repræsentat, unde *in Recess. Imper. A. 1495. in pr.* Unser und des heiligen Reichs Cammergericht/appellatur, hocque verò immortale sit, *Novell. 47. in pr.* ideò quamvis Imperator moriatur, Cameræ jurisdictio nihilominus perdurat: daturque ex eo intelligi, Cameræ ex voluntate Imperatoris ordinariam jurisdictionem competere, *Gail. 1. observat. 41 num. 5.* recteque inter Cæsarem & Cameram concurrentiam statui, siquidem ea tunc admittitur, cum pluribus & cuilibet in solidum ac ut singulis jurisdictio competit, *cap. cum plures. de off. jud. deleg. in 6. Gail. 1. observat. 32. num. 9.* & si, ut ille opinatur, Cameræ jurisdictio Cæsaris esset, utique & multò magis jurisdictio ea, quam habet Senatus Aulicus imperii, Cæsaris erit, inter Senatum verò aulicum & Cameram concurrentiæ controversiam hanc disceptari ait, fol. 50. quod tamen dato eo, quod inter Cæsarem & Cameram ideo concurrentiæ quæstio institui nequeat, quia hæc illius jurisdictio sit, frustra fieret, quia utrobique idem cum semetipso concurreret, & quia admittit Cameram cum Senatu Aulico de concurrentia disceptare, admittat quoque necessum est, Cameram cum ipso Cæsare in quæstionem concurrentiæ descendere: quia Senatus Aulicus nullam nisi Cæsaris jurisdictionem exercet.

XXXIII.

Et quidem Vicarios quod attinet, de iis constitutum legimus, Reichsabschied *anni 1521. tit.* Römischer Käys. Majest. geordnet Cammergericht/*in rubr.* rechtlich Fürnemen und Austräg/etc §. Zum vierdten wiewol solches habet textus: Den Churfürsten unnd Fürsten auch für beschwerlich geachtet/so soll der klagend Partey erlaubt seyn/einen unparteyschen Commissarien/der zum wenigsten eines hohen Prælaten Standes oder ein Graff sey/unnd Käys. Maj. wo die im Reich seyn wird/oder in ihrem abwesen Stadthalter oder Regiment zu erlangen/und vor denselben laut obberürter Ordnung gehandelt werden/ Potest ergò Principem convenire volens Commissarium vel ab Imperatore, aut si is non adsit, vicario petere. Quod si verò litem intentare alicui cupiens, malit Cameram adire, utique id in causis ad ipsam spectantibus potest. Nam jurisdictio Cameræ cùm sit ordi-

ordinaria,*Gail. d. obs. 41. n. 5.* morte Imperatoris non expirat. Et ita cum Anno 1612. D. Rudolphus II. in fata concederet, Camerales nihilominus in judicando suum obière munus: Quod imperij fundamentum firmissimum esse arbitratur *Bodin. lib. 4. de rep. c. 13.* ut scilicet mortuo Principe magistratus omnes imperium retineant, qui cives in officio, Remq; publicam tueantur. Quo casu tàm Saxonis, quàm Palatini nomine, & communi sigillo processus decerni tandem obtinuit, *Buxdorff. th. 60. hic.*

XXXIV.

Datur itidem Vicarijs potestas ad beneficia Ecclesiastica præsentãdi. Habet quippe Imperator ex antiqua cõsuetudine in omnibus cathedralibus Ecclesiis, atq; etiam monasteriis per imperium suffragium & facultatem unius canonici pro arbitrio nominandi, quẽ collegium recipere debet: Quæ primariæ preces vocantur, *Freber. ad Petr. de Andlo lib. 2. c. 6.* Quarum usum jam tùm tempore Rudolphi I. fuisse colligitur ex diplomate Cæsareo, quod extat in vita ejusdem *Paralip. ad Vrsperg.* Cui cùm inferatur, quod ex antiqua cõsuetudine precum talium admitti primitiæ soleant, colligere licet, longo ante Rudolphum tempore eas in usu fuisse non quidem ex Papali indultu aut privilegio, ut putat *Andr. Gail. 2. observ. 155. nu. 7.* sed ex jure primordiali & superioritatis præeminentia, qua Imperatores non solùm omnium templorum Antistites, verùm etiam Romanum Pontificem eligere poterant, *c. Adrianus Papa Roman. dist. 63.* quod ita observatum esse sinè controversia ad Heinrici IV. imperium legimus, ait *Aventin. lib. 4. annal. Bojor. fol. 322.* Defuncto enim præsule quopiam sacerdotes lituum cum annulo ad aulam mittebant, cui ea Princeps solenni ritu tradebat, is ejusdem fani Rector designitus erat. *Aventin. d. l.* Quare & Rudulphus I. in dicto suo diplomate, & Carolus noster & Wenceslaus filius ejusdem in suis diplomatibus apud *Freber. d. l.* tàm de jure, quàm antiqua & approbata consuetudine à Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus observata, primariarum precum potestatem descendere, unô ore profitentur.

XXXV.

An Cæsareæ Majestati virtute primariarum precum in territorio Principis alicujus Augustanæ confessioni addicti, beneficium vacans

vacans in alium conferre liceat? Negant alii propterea, quod illi non jure superioritatis, sed indulto Papali hæc potestas collata sit, Der Bäpstliche Gewalt aber bevorab vber Geistliche Güter / nicht für Weltlich/sondern für Geistlich anzusehen/so folget hierans / inquit autor *Consilii, quod extat inter decisiones Schwanmanni post decis. 8.* Daß solche privilegiatæ preces weiter nicht / dann sich die Jurisdictio concedens erstrecket/wircken vnd operiren mag / quia nemo plus juris, &c. & effectus regulatur ex sua causa, *l. ita autem in princ. ff. de admin. tut.* & secunda causa tantum potest, quantum ei infunditur à prima *l. 1. quis domum. §. 5. ff. locati. l. pede §. prædium. ff. de leg. 2.* Nun ist aus des Religionsfrieden sonnenklar vnd augenscheinlich / daß aller Geistlichen Gewalt vnnd Jurisdiction gegen die verwandte Augspurgische Confession gentzlich suspendiret, vnnd eingestellt / drauß sich schliessich giebt / daß solche Preces wider die Hertzogen aus Pommern / oder auch das Capitel zu Colberg allerding krafftloß vnd vnbündig. Hoc enim principium cùm Consultor ille ex *Gailii* observationibus posuerit, & à vero aberrare jam demonstratum sit, Cæsarique vi superioritatis jus primariarum precum competere asserant. *Thom. Mich. th. 13. de jurisdict. Bernh. Grevaus ad d. Gailii observ. 166. consider. 1. numer. 4.* Utique probabilius fuerit, id Cæsari concedere, dummodò tamen is, qui à Cæsare offertur, religionis Pontificiæ non sit, quod videtur præsupponere Autor *dict. cons. numer. 5.* Constitutio Imperii enim religionis libertatem permittit, Reichsabschied anni 1555. §. Vnnd damit solchen Frieden/etc. quæ impediretur, si Pontificius reformatis obtruderetur. Ad instar ergò Cæsaris Vicarii ad beneficia Ecclesiastica per primas preces præsentare possunt. Et quia Cæsari etiam in imperio propter jus patronatus, vel per fundationem, *cap. abbatem 18. q. 2.* constructionem *c. nobis 16. q. 7.* aut per dotationem, *c. nemo. de consecrat. dist 1.* vel etiam per præscriptionem, *c. querelam. extr. de elect. & elect.* competit, illis quoque casibus Vicariis præsentare licebit. *Rest aurus q. 8. vers. 26. de Imperatore Marta Neapol. part. 2. c. 40. n. 7. de jurisdict.*

XXXVI.

Tributur insuper vicariis facultas recolligendi reditus & proventus imperii, Ränten vnd Gefälle einzusamlen; & quia colligendi datur

di datur facultas,consumendi retinendique sibi jus eis adimitur: aliud enim est colligere,aliud consumere, utiturque respub. ut in aliis juris partibus ita & hic,jure minorum,*l.4. C. ex quib. caus. major.*quorum facultates colligere non consumere tutores debent, *l.qui negociationem ff. de admin: tut.* Cumque legis imperio vicariatus ad ipsos recidat,nihil ejus nomine sibi retinere poterunt : idque ratione ea, quam glossa habet de tutore in *l. in eos. ff. de tutel. l. à tutoribus §.principalibus.ff. de admin. tut.* dum scribit ; quod si tutori tutelæ ratione ut illam scilicet suscipiat, aliquid detur, potest ab eo condictione ob turpem caussam repeti : nam cum teneatur & sit obligatus administrare,turpiter facit, si aliquid pro administratione accipiat, ideò condictioni locus est , *l. pen. ff. de condict. ob turp. caussam.* Patriæ enim charitate non commodi illecebris ad rem tantam eos accedere æquum est *l. postliminium. §. filius. ff. de cap. & postl.*Cumq; munus hoc honorificentissimum sit, sanè pro magno pretio commodoq; id à viris Principibus æstimari debet, *Casp. Batia c.1. num.17.de decima tutor. præstanda.* Quod Landgravius Hassiæ Granvellano inter cætera dicenti : Imperatorem ex imperio ne tantillum quidem emolumenti habere , insinuare cupiens : etiamsi fortè, inquit, non ita multum ad Cæsarem ab imperio redit : tamen quod in Turcam & Galliæ Regem & in alios ei dantur auxilia, quod imperij dignitas hæc autoritatem summam ad cæteros Reges ei conciliat, quanti id esse putabitur? *Sleidan.d.lib.17.de S.R.* Et si, ut putat *Quintil. institut. lib. 12.* longè sit patrono honestissimum, & illo, quem exigit, animo dignissimum , non vendere operam nec elevare tanti beneficij autoritatem, cum pleraq; hoc ipso possint videri vilia, quod pretium habent : Utiq; illud justius in vicarijs tanquam magnanimis imperij patronis & defensoribus assumemus: qui cum sufficientia sibi possideant, consumtionem non sinè crimine sordium facere poterunt ; & consules ac magistratus civitatum pro laboribus & vigilijs in rempub. nihil petere possunt juxta *Guidon.Pap.decis. 68.n. 2.* Nec quicquam ergò ad vicarios tanquam imperij magistratum ex imperij proventibus, pro cura & solicitudine redibit, quiq; vel sua sponte & jure suo quodam dicere poterunt cum Friderico I.

sed

——— ſed laude venimus onuſti,
Non eſt Teutonico cumulata pecunia cordi,
Nec ſibi quærit opes, ſed pulchræ laudis honores,
Non habet ille ſuum, ſed habentibus imperat aurum,
Quando Romanus ſtudio cupidiſſimus æra
Congerit & magno vigilans incumbit acervo,
Tanto Teutonicus, vel adhuc majore paratas
Fundit opes: nitidasq́ manus ærugine turpi
Fœdari ſcelus eſſe putat, dignumq́ pudore,
Invigilent opibus, nobis hæc ſola poteſtas
Sufficit, & cunctis dare jura potentia terris &c.

ut *Gunther. lib. 3. in Ligur.* cecinit. Quod ſi verò utiliter in negociis imperium concernentibus quid expenderit de ſuo, id utique eos deducere poſſe, ei congruit, quod Labeo ait: & ſicuti fructus cogitur reſtituere is, qui procurat, ita ſumtum, quem fructibus percipiendis fecit, deducere oportet *l. idemq́ & in fundo. §. 9. ff. mandati.* Nam inter fiſcum & privatum non ponendum hoc in caſu diſcrimen eſt, *l. & in legatis C. ad L. Falc.* utrobique enim officii ratio extra damnum eſſe debet, *l. 7. ff. quemadmodum teſtament. aperiantur l. ſi ſervus §. quod verò. ff. de furt. Tib. Decian. reſp. 66. n. 48. vol. 3.*

XXXVII.

Conceditur porrò vicariis poteſtas inveſtiendi de feudis, juramenta fidelitatis vice & nomine ſacri imperii recipiendi: Quod ſaltem de eo caſu, quo durante vicariatu annus petendæ inveſtituræ præſcriptus finitur, conſtitutum opinari licebit, *cap. un. in pr. quæ fuit prima cauſſa amitt. benefic. cap. un. quo temp. mil. inveſt. pet. debet.* Nam cùm, ut in textu ſubjicitur, per Regem Romanum poſtea electum, ea omnia ſuo tempore innovari, & de novo juramenta ipſi præſtari debeant, nemo facilè tàm prodigus temporis & pecuniæ reperietur, qui durante inveſtituræ petendæ tempore ad Vicarios ire, cùm redire ad Regem Romanum neceſſe habeat, velit. Quod

verò etiam eo casu, cum à vicariis investitura concessa est, ejusdem renovatio petenda à Rege Romanorum sit, ex eo proficiscitur, quod fidelitas toties præstanda veniat, quoties Domini vel vasalli persona mutatur, *d.c.un quæ fuit prima caussa benef. amitt.c. un. quid sit investit.* Electione autem Regis expirat vicariorum potestas.

XXXVIII.

Feuda tamen Principum & illa quæ vulgariter Fahnlehen appellantur, excipiuntur: horum enim investitura & collatio soli Imperatori, vel Regi Romanorum specialiter reservatur, *§.1.hic.* Quæ ideò Fahnlehen appellantur, quod per vexillum à Principe tradi solent, *Otto Frising.lib.2.c.5.inf.de rebus gest. Frider. I. Hotom. c. 23.disput.feudal.* Quod *Guntherus* de duobus consanguineis, qui de regno Daniæ tempore Friderici I. contenderunt, ostendit *in Ligur. lib. 1.*

Ergò ubi vexillo partem quam diximus ille,
Hic autem gladio regnum suscepit ab ipso,
Hunc etenim longo servatum tempore morem
Curia nostra tenet, —— —— ——

Cumque Mauritius Elector renunciaretur, præferebantur ei decem vexilla cum totidem insignibus regionum, pro quibus inaugurationem petebat. *Sleidan.lib.20.de S. R.*

XXXIX.

Ne autem per lapsum anni investituræ petendæ præscripti, periculum vel imperio, aut etiam Vasallis Principibus creetur, constituit Carolus V. Imperator in Comitiis Wormatiensibus, anni 1521. Daß der Stadthalter aus redlichen Ursachen solcher Empfengnüß/ und sonderlich ob wir ausserhalb deß Reichs weren / nach verscheinung des ersten Jahres / darinn einem jeden seine Regalien zu empfahen gebühret/noch ein Jahr lang Indult, und Erstreckunge zu geben macht haben/

ben/doch daß der / dem also Erstreckunge zu Empfengnüß der Lehen gegeben wird/an Eydes statt gelobe vnd zusage/in aller massen vns vnd dem Reich von wegen solcher Lehen verpflichtet zu seyn / vnd zu gewarten/als ob er die Lehen empfangen/vnd die Eydes pflicht gethan hette / vnd mag er alsdann die Regalien vnd Lehen aller massen brauchen / als ob sie jhm geliehen weren/vnd sollen wir mitler Zeit des obgemelten gegebenen Indults dißfals / vnnd solcher gegebener Erstreckung der Gestalt erinnert vnd verständiget werden / vnnd wo mitler Zeit der Erstreckunge wir nicht ins Reich vnnd Hochteutschland kommen / als dann sollen vnnd wollen wir heraus B.fehlch thun an vnser statt solche Regalien / wie sichs gebühret/zu verleihen/Reichsabschied *anni 1521. vers.* Vnnd behalten vns bevor/*p. 1.* Quo ex loco apparet, ad mandatum Imperatoris Vicariis, si tempore indulto præter ipso non adfuerit, investituram horum feudorum permitti posse. Quod juri feudali congruit, quo Dominus per alium investituram facere potest, *cap. unico. §. sed iterum. per quos fiat invest. cap. un. de notis feud.* sicuti & vasallus Princeps per procuratorem vel nuncium investituram accipit, *dict. cap. un. §. sed utrum per quos fiat invest.* Atque hoc moderamine, accipi debet id, quod tradit *Warem. ab Erenberg. cap. 1. num. 164. lib. 2. de fœder.* investituram scilicet Ducatus vel Principatus ab ipso Imperatore fieri; Comitatus verò Consiliarios Imperii, Reichshoffrath conferre.

XL.

Et quia plus esse videtur, de feudis hisce cognoscere, quam investituram eorundem facere: majus enim illo casu vertitur propter casum succumbentiæ partium præjudicium: colligi inde non ineptè potest, etiam Vicarios de Ducatu, Comitatu aut Baronatu cognoscere non posse. Et probatur in parag. **Ob auch Sachen fürfielen.** Reichsabschied *anni 1521. part. 1. ibi :* **Derselben Erkentnüß wollen wir vns hierinnen auch fürbehalten haben/** &c.

XLI.

Quo tamen casu magna oritur quæstio.

An solus Imperator per Senatum suum aulicum: vel interventum Parium curiæ cognoscere, & definitivè pronunciare debeat?

Prodiit nuper peculiaris de hac quæstione Tractatus, cujus auctor in eam decurrit sententiam, Daß nemlich der Keyser von solchen Controversiis vnd Streiten nicht allein / sondern mit Zuziehung Parium Curiæ der Chur vnnd Fürsten erkennen vnnd judiciren soll/ quod primum ille ex literis Sigismundi Imperatoris ad Concilium Basiliense scriptis: quibus Imperator causam ab Erico Duce Laveburgense ad Concilium delatam ad forum suum remitti, more solito & consuetudine Imperii & Parium Curiæ terminandam petit, *Cujac. in cap. unic. apud quem vel quos controv. feud.* exemplisq; eam in rem adductis variis comprobare nititur; magnæ quippe causæ magnos requirunt judices, *l. non distinguemus. §. de liberali. ff. de recept. arbitr. l. jam dudum. eod. ubi causa stat. agi oport.* cumque Electores & Principes Imperii Consiliarii Imperatoris præcipui sint, habeanturque, *§. 1. super c. 3. in pr. c. 7. in pr. c. 12. c. 24. in pr.* quò pertinet illud *Günth. in Ligurin. lib. 1.*

Francorum Proceres, quos inclyta robora regni
Et validas nunquam pudeat dixisse columnas.

non iniquum reputari poterit, si ut olim Senatores in veteri Republica Romanorum, non nisi coram Senatoribus, *l. ult. C. ubi Senator. vel Clariss. l. 1. C. de tutor. vel curat. illustr. personar.* ita & Principes imperii non nisi coram Principibus conveniri queant, videntur enim eorum quasi subintrasse locum, quod sub persona Friderici I. *Günth. in Ligur. lib. 3.* indicare voluit:

————————mea respice castra,
Omnia, quæ dudum quereris sublata, videbis,
Nomine mutato sub eadem vivere forma,
Hîc Eques, hîc Prætor, hîc Consulis, atq; Tribuni
Imperiosus honos, & publica cura Senatus.
Aspice Teutonicos Proceres, Equitumq; catervas.

Hos

Hos tu Patricios, hos tu cognosce Quirites,
Hunc tibi perpetuo dominantem jure Senatum.

in regno Neopolitano Comites & Barones in criminalibus non nisi per Pares Curiæ judicantur, *Marin. Freccia de diff. feud. regal. num. 9. 11. & differ. 14. 47.* in Gallia quoque Principes & Magnates non coram Parlamento, sed Paribus Franciæ conveniuntur, *Hotoman. in Francogall. cap 14. Bodin. lib. 4. cap. 6. de Republ.* simili modo itaque in Electorum & Principum Germanorum causis procedendum erit, nec enim illi dignitate ulli nationi cedunt, ita ut juxta *Æneam Syl. cap. 30. in descript. Germ.* nullibi terrarum illustriores aut nobiliores familiæ extent, nec ulla est Familia in Galliis, ne regia quidem, nulla in Hispania, aut in Italia paulò illustrior: quæ, si antiquitatem repetat suam, non statim è Germania esse prædicet, & veluti è seminario quodam veræ nobilitatis venisse glorietur, teste *Anton. Campan. apud Jacob. Wimpaling. in Epitom. rer. Germanic. cap. 69.* ad quod respiciens Carol. V. dicere solitus fuit, se in aliis suis regnis & ditionibus mancipiis & servis, at in Germania liberis & regibus imperare, & Maximil. I. se regem regum dixit; cum alii servorum & asinorum reges esse malint, *Heinr. Pantal. part. in descript. German. de vir. illustr.* Verùm enimverò si penitius vim argumentorum istorum trutinare libeat, per modum inversionis sententiæ contrariæ non spernendum fulcimentum ex iis affulgere, demonstrari potest, si enim magnæ causæ, ut sunt de Ducatibus & Comitatibus, magnos requirant judices, si itidem, quia nobilissimi sunt Principes, nobilissimos judices sibi deposcant? utique, quia nullus Imperatore major est, aut illo nobilior existit, *l. 12. C. de legib. constit. Princip.*

Quid capite imperii? mundi quid Præside majus?

ejus solius judicium subterfugere non poterunt; quod præter textus feudales, qui Imperatorem tanquam feudi dominum in causis feudalibus majoribus judicem esse dicunt *c. unic. §. præterea. de prohib. Feud. alienat. per Frideric. c. unic. apud quem vel quos contr. feud. c. unic. de leg. Corrad. Günth lib. 8. in Ligur.*

Inter vasallos unius fortè patroni
Quæstio de Feudo quoties agitatur eodem,
Quo feudi domino gaudent, hoc judice certent.

compo-

comprobat quoque Constitutio Friderici II. Imper. quæ extat apud Goldast. p. 2. Reichssatzung *fol. 21.* Der Hoffrichter soll die Leute richten/ die jhm klagen von allen Leuten / ohne Fürsten vnnd andere hohe Leute/ wo es gehet an jhr Leibe/oder an jhr Recht/ oder an jhr Erb / oder an jhr Ehre/das wollen wir selber richten/quem comprobavit & verbotenus repetiit Albertus ejus nominis primus Imperator, ut apparet ex Constit. ejusdem apud *Goldast. p. 2.* Reichssatzung *fol. 27.* cum ergo causas feudorum regalium Imperatores sibi reservaverint, ut Parium Curiæ judicium & præsentia interveniat, nulla imperat necessitas, reservatio quippe hæc, ut supremæ jurisdictionis nota & perfectum quid neque crescere aut minui potest. *Natta tom. 3. consil. 640. num. 13.* & cognitionem harum causarum Carolus V. in tantum suæ dijudicationi reservavit, ut nec Vicariis Imperii, qui ipsum tamen Imperatorem repræsentant, manum ad eas extendere absente vel mortuo Imp. permiserit, *d. §.* Ob auch Sachen vorfielen. Reichsabschied *A. 1521. p. 1.* Ferdinandus quoque in ordinatione Cameræ *p. 2. tit. 7.* ad Cæsaream vel regiam Majestatem causarum harum dijudicationem pertinere his verbis constituit, Derselben Erkentnis wellen wir der Keyserlichen Majestat/oder Abwesens derselben/vns als Römischem Könige vorbehalten haben/ ꝛc quo ex loco sic inferri potest, si Imperator Cameram, quæ concurrentem cum eo jurisdictionem habet, in partem dijudicationis de causis feudalibus Principum & Comitum vocare non cogitur, certè multò minùs Pares Curiæ ut adhibeat, coarctandus erit, Ratio consequentiæ manifesta est; quia hi nullam jurisdictionis concurrentiam cum Cæsare habent, quapropter cum Camera, quæ Paribus Curiæ major est, excluditur, justâ ratione & hi removendi erunt, quanquam verò auctor discursus supradicti hanc consequentiam ex ordinatione illa non admittat, dem Keyser oder Könige ist die Cognitio vber Streit hohe Lehen/ Feuda regalia seu majora betreffend/vorbehalten/ Ergo soli, vnd also/ daß er nicht schuldig Pares Curiæ Chur vnd Fürsten des Reichs zu sich nider zu setzen/ certa tamen & juridica est, quod sic ostendi potest, Imperator Electoribus & Principibus Imperii seu Paribus Curiæ consentientibus omnem justitiæ administrationem in Cameram cumulativè transtulit. *Guilliel. Rodingius tit. 2. de jur. Cameral.* ita ut omne id, quod specialiter exceptum non reperitur, in Camera venti-

ventilari absque ullius interventu possit, sicuti videre est in feudis imperii minoribus,quorum cognitio ad Cameram absque ullo Parium interventu spectat,*Gail.1.observat.29.* & ideo si reservata Cæsari cognitio feudorum regalium & majorum non fuisset, haud dubiè Camera de iis citra adsensum Pariæ Curiæ, vi translatæ jurisdictionis omnimodæ cognovisset, quapropter reservatio facta id operari debet,ut quemadmodum in casu non reservato Camera sola,ita in jam reservato solus quoque Imperator cognoscere possit, reservatio enim habet vim exceptionis,*Tib.Decian.Respons.32. num.1.28.vol.2.*ut ergo exceptio est de regula,& nisi excepta fuisset, sub regula mansisset,*Tib.Decian.Respons.3.num.31. vol.1.* similiter & reservatio esse debebit.Hinc Marchio Brandeburgensis Albertus edito scripto A.1552.causas Ducatuum & Comitatuum ad Cameram Spirensem trahi, conquerebatur, cum tamen in illius judicii potestate non sit,Principes facere aut tollere, quæ sanè ratio non solùm Cameram, verùm etiam Pares Curiæ causarum istarum dijudicatione submovere videtur,nam & in Parium Curiæ potestate non est, Principes facere aut tollere, ut itaque eadem sint destructionis quæ constructionis principia,consequens est, de hisce feudis majoribus arbitrium, per quod succumbens Ducis titulo respectu feudi controversi orbatur,penes solum Cæsarem esse, quia is Principes & Comites solus facit,*Zas.p.5.num.1.& seqq.de Feud.Geil. dict. observ.29.num.7.Borchol.cap.10. num.3. de feud.* neque contra hanc opinionem quicquam ab auctore dicti Discursus allata faciunt, nam literis Sigismundi nihil aliud innuitur, quàm Imperatores adhibitis Principibus imperii,hoc est,Paribus Curiæ olim controversias feudorum principalium determinare solitos fuisse, id enim pro ratione illius temporis accipiendum erit,nam cum prisci illi Imperatores pro qualitate incidentium negociorum nunc in Germania, modò in Italia commorarentur,ejusque aulam Principes tàm Ecclesiastici quàm laici observantiæ ergò sequerentur,redditum quasi hoc illis,proque honore summo ab ipsis habitum,quod controversiis hinc inde emergentibus ab Imperatoribus tanquam Consiliarii adhibiti fuerint,quod videre licet ex *Lechmano Chronic.Spirens.lib.2. cap.42.*quò pertinent omnia illa exempla, quæ variis notata numeris Auctor ille produxit,sicut ejus quoque rei argumentum videre

est *in Auth habita.C.ne fil.pro pat.&c.* quæ ut initium ejus ostendit, promulgata est inquisitione instituta diligenti Episcoporum, Abbatum, Ducum, & aliorum Procerum sacri Cæsaræi Palatii, non quòd eorum in promulgatione istius constitutionis necessarius fuerit adsensus, solus quippe Imperator illam promulgare potuit, *l. 1. 2. 3. 12. C. de legib.* sed quia Curiam Imperialem in Italiam sequuti honoris, ergò in concilium adhibiti fuerunt, hinc Fridericus I. apud *Gunth. lib. 8. in Ligurin.*

——— vestris cupio disponere cuncta
Consiliis.

Et paulò ante *in d. lib. 8.*

Ergo sacros tantum patres, jurisq; peritos
Et de Principibus paucos quibus ipse timorem
Norat inesse Dei, tacitis Fridericus adaptans
Colloquiis, triduo secreta negotia toto
Rimatur: jurisq; vices, legumq; tenorem
Consulit, hanc illis gaudens injungere curam,
Ut super Ecclesiæ seu regni jure, salubri
Consilio monituq; virum formare laborent.

Nec ab Imperatoribus subsequentibus hunc morem omissum esse, ostendit Auctor der nothwendigen Erinnerunge contra informatorem Donawerdensem *fol. 161.* nichts weniger weis man / ait, daß in wichtigen Irrungen zwischen Chur-Fürsten vnnd Ständen so grosser Consequentz seyn/die Römische Keyser vorher vnd noch jetziger Zeit/ als in der Chur Pfältzischen Tutel/Gülischer Succession / vnnd Mülheimischen Baw/Chur vnd Fürsten/welche Keyser Maximilian auff eine Zeit vor seine höchste Rähte gehalten/billich/ löblich / recht vnd wol zu sich ziehen/mit deren Rath handelen/vnd den Ausschlag geben / verum ex eo rem ad juris necessitatem redigere, quasique jure quodam suo Principes in partem deliberationis venerint, adserere velle, nimis licentiosa foret, consequentia, potest enim solus Cæsar condere legem; *d. l. 12. C. de legib.* potest & in causis Principum solus cognoscere, sicuti ex Leichmano Auctor der nothwendigen Erinnerunge / notat,

tat/in Jrrungen zwischen höhern Ständen/hat der Keyser selbst persönlich verhört / vnnd entweders selbst/ oder mit Zuziehunge vnnd Rath der Reichsfürsten(deren stets viel dem Keyserlichen Hoff beygewohnet) erörtert/potuit ergo Cæsar vel per se vel in consilium adhibitis Principibus controversias Principum definire, quin etsi tempore Sigismundi tale Principum jus extitisse poneremus,ab eo tamen per Cameræ ordinationem claram Principes recessisse dicendum foret, nam si ibi illud reservatum cupivissent , generalitas ordinationis restrictione ad rem eam apta coarctanda fuisset, quod cum factum non sit,verbis ejusdem non distinguentibus standum erit.

XLII.

Nec solùm Cæsar de hisce feudis regalibus & majoribus in petitorio,verùm etiam in judicio possessorio pronunciare solus Camera exclusa potest,licèt de hoc ultimo contrarium,*Thom.Michael, th.28.de jurisd.*adserere videatur,motus verbis,*d.ordin.Cam.part.2. tit.7.*So einem Theil genglich vnd endlich abgesprochen werden soll / putat enim verba,genglich vnd endlich / adeò de possessorio,quod causam non finiat,sed sit saltem petitorii præparatorium accipi non posse. Verùm cum continentia causæ dividi non debeat,*l.nulli.C.de judic.*Possessorii verò finis principium sit petitorii,*Gail.1.observ.32. num.11.*illiusque cognitio adferat hujus pleniorem intelligentiam, *Jason.& Dd.in d.l.nulli.*necessum est,si Imperatori petitorium velut regulare consequens possessorii concedamus , ut & hoc tanquam illius antecedens eidem non denegemus,*l.2 ff.de jurisd.* Nec movet argumentum oppositum,quia etiam in judicio possessorio wird per sententiam definitivam dem victo die streitige Herrschafft genglich vnd endlich/respectu sc:judicii possessorii intentati abgesprochen / ita ut necesse habeat ad aliud & quidem proprietatis judicium confugere,quod nihil cum possessorio commune habet,*l.naturaliter.12.§. 1.ff.acquir.vel amitt.poss.*

XLIII.

Comes tamen Palatinus omne genus alienationis rerum imperialium hujusmodi provisionis tempore expresse sibi noverit

 inter-

interdictum. Et rectè: Ideò enim Vicariatus ei demandatus est, ut per eum imperio consulatur, *argument. l. 2 §. novissimè. ff. de orig. jur.* Consulitur verò eidem, si augeat non dissipet illud. arg. *l qui fundum. §. si tutor. ff. pro emtore. l. benè à Zenone vers. qui enim. C. de quadrien. præscript.* Et si Cæsar ipse juramento facultates imperii non distrahere, oppignorare aut alio quovis modo deteriorare, promittere cogitur, *Sleid. lib. 1. de statu relig. Petr. Gregor. Tholos. lib. 3. de republ. c. 8.* Quod constantissimè à Friderico III. servatum fuisse, *Æneas Sylv. ad Panormit. de dictis Alphon. lib. 4. 41.* commemorat: jurasse, inquit, Fridericum nunquam comperi nisi cùm in civitate Aquensi apud Belgas, & cùm Romæ coronatus esset, idque juramentum constantissimè tenuit. Cùm enim jurejurando promisisset, *quæ bona possideret, imperium nullatenus alienaturum*, & modò hoc, modò illud ab eo peteretur, maluit avarus negando, quàm concedendo perjurus videri, eamque ob causam petenti Borsio Marchioni Estensi Ducatum Mutinæ & Regii tamdiu restitit, donec monstratum est, eundem Ducatum lucri magis, quàm alienationis speciem habere, præsertim cùm Mutina & Regium in sua potestate non essent. Non sic Alphonsus Castiliæ Rex, qui in vanam Romani Imperii spem adductus, ut favorem Romanæ Ecclesiæ sibi conciliaret, duas transpadanas urbes illi permisit, Taurinum & Altæram, facilè donans, quod non habuit, & aquilam explumans, sic agitur cum infelici Romano imperio, ait *Crantzius lib. 8. c. 21. in Saxon.* postquam avaritiæ nihil satis est, ut qui aspirent ad regnum, promtè promittunt de non suo, ut cumulum rerum & fastigium assequantur. Non sic Carolus noster. *Dubrav. lib. 22. histor. Bohem. Cuspinianus in vita Guntheri, Crantz. lib. 10. cap. 3. in Saxon.* Cujus ut & quorundam prædecessorum ignavia in eas, quæ ante oculos sunt, angustias redactum est imperium. Nam etsi ejus reditus tempore Friderici I. ad sexaginta auri tonnas exurgerent, hodiè tamen tanti vix sunt, ait *Schneidew. in tit. de heredit. quæ ab intestat. deferuntur. rubr. de successor. fisci num. 5.* quanti disponendis & alendis postis satis est. Et *Sturmius sermon. 2. de bello adversus Turcam. perpetuo administrando*, dicit, Cæsarem hodiè tributa non habere, Monachos habere, sacerdotes habere, nobiles habere, Reges & amicos, & socios, & Principes habere, & pessimè quidem; Sicut enim frustratim lupus comedit agnum: ita.

ita paulatim per ejusmodi alienationes imperium interit. *Roland. à Valle conf.1.num.113.volum.2.* uti accidit regno Austriæ, quod ita paulatim mutilatum perdidit nomen regni.*Roland.d.loc.* Sanè multò minus id Comiti Palatino concedi potuit,qui si contra fecerit, non solùm id,quod ab eo alienatum est, potest,sed debet revocari: quia regalia sunt,sicut corpus,à quo sublato uno membro remanet monstrosum,*Alber.de Rosat.d.l.benè à Zenone.* Rectèque Rudolphus I. ea quæ Comes Palatinus & Marchio Badensis tempore interregni occupaverant,armis repetiit,*Mutius lib.21.Chronic.p.194. Crus. Annal.Suevic.lib.3.p.3.c.2.*

XLIV.

Et eodem jure provisionis,inquit Bulla,illustrem Ducem Saxoniæ frui volumus in illis locis, ubi Saxonica jura servantur, sub omnibus modis & conditionibus,sicut superius est expressum. Quo ex loco apparet vel maximè Electoris Saxoniæ interesse, jus Saxonicum servari in viridique observantia manere,quia Vicariatus ejus ad ea loca,ubi jus illud viget,extenditur. Quod tamen pro ratione temporis promulgatæ hujus Bullæ accipiendum esse supra ostendimus. Et ideò cum Saxoniæ Elector sit defensor & protector juris Saxonici,*Pet.Heig.lib.1.quæst.4.num.35.* non immeritò in omnibus judiciis,ubicunque jura Saxonica observantur, plurimum tribuitur interpretationi vel declarationi Electorali,*And. Rauchbar. lib.1. quæst.40.num.13.*

XLV.

Imperator sive Rex Romanorum ubi nam conveniri debeat?

Coram Comite Palatino Rheni, S. R. Imperii Archidapifero Electore Principe,ut dicitur *in §.fin. h. t.* Quod à Palatina comitiva veteri descendere autumat,*Freherus lib. 2. cap. 10. ad Petr.de Andlo.* Olim quippe Præfectus Palatii in aula regia & Prætorio Francorum,omnes penitus nullo exemto judicabat,ita ut ipse Princeps, si

ab aliquo conveniri se pateretur, coram hoc solo se sistere dignaretur. Et sanè Præfecti Palatii magna ante tempora Pipini qui præfecturam eam administravit, autoritas fuit, *Otto Frising. lib.5. Chronic. cap.13.* Summa enim imperii ad ipsum pertinuit, neque aliud Regibus, quàm regium nomen relictum fuit. Enginhard. in vita Caroli Magni. Verùm cùm post Pipinum in ordinem redactus, officium & administratio ejusdem cessaverit, *Knichen. cap. 1. num. 111. verbo Electorum, de non provocand. jure*, nullum dubium est, cessasse quoque hoc, quod ejus administrationi annexum fuit, judicandi munus, Cumque textus noster consuetudine hoc privilegium Comiti Palatino indultum dicat, ab illa Palatii judicis potestate non rectè arcessitur, utpote quæ ex Regum Francorum indulto tam ampla in ipsum translata fuit, ut omittamus, consuetudinis initium ut plurimum ignorari, quod tamen hac in re certum foret, nec à Carolo nostro omissum, si ab illa comitiva veteri illud deduceremus. Quicquid sit, sufficere nobis debet, quod privilegium hoc Comiti Palatino consuetudine primitus indultum, hac verò Carolina constitutione eidem confirmatum sciamus; Cujus quoque meminit Autor Speculi Saxon. *lib.3 artic.52.* his verbis: & Palatinus seu Palansgravius Imperatoris judex est. Exemplum quidem vetustius non occurrit, quàm id quod legitur de Alberto Imperat. de quo *Heinricus Stero Monachus in anno 1300. Heinr. Rebdorff. anno 1200. tom. 1. Freheri*, Licèt simile quid Moguntinus unâ cum Saxonico & Brandeburgico Electoribus adversus Adolphum Nassoviensem tentarint, & Rudolphum Comitem Palatinum, cujus munus est veluti de querimoniis adversus Cæsarem delatis cognoscere, verba sunt *Aventini lib.7. annal. Bojor. f.733.* evocarint, sed venire ille tunc quidem recusavit: postmodò verò contra Albertum partes delatas suscepit. Iidem Principes, inquit *Hein. Stero dict. loc.* Contra ipsum Albertum conspiraverant, eligentes Rudolphum pro Judice, & adserentes ad Comitem Palatinum pertinere, quod sit officium Palatinæ dignitatis, ex quadam consuetudine de causis cognoscere, quæ ipsi Regi moverentur. Ex quibus apparet, Electores imperii cognitionem Palatino etiam in casu depositionis attribuisse, quod ex instituto judicio contra Albertum vel maximè constat. Quare contra Regem proposuerunt, inquit *Stero d. loc.*

d.loc. scilicet coram Palatino, quòd Dominum suum proprium Regem Adolphum occidisset, ideò rex esse non posset, & ad depositionem ipsius cogitabant; quod confirmatur ex *Speculo Suevico lib. 2. cap. 43. §. 6.* Wenn die Fürsten den König wollen beklagen/so er jhnen wider Recht thut/das sollen sie thun vor dem Pfaltzgraffen. Quod sic intelligendum arbitror, ut scilicet is, & non Moguntinus, quantumvis collegii Electoralis Decanus, instituti judicii Director sit: Nam in causæ cognitione, sententiæque prolatione omnium Electorum consensu opus esse, argumento sunt formulæ privationis Adolphi & Wenceslai, *Aventin. dict. lib. 7. fol. 733. Vultei. in l. 1. num. 7. C. ubi senat. vel clariss.* Quod si tamen Imperator in causis civilibus & pecuniariis impetatur, solius Palatini cognitio est. Atque de hisce causis saltem hunc textum agere, *Vultei. dict. loc. num. 7.* putat. Quod cum ita sit, viderint illi, qui contendere operosè nituntur, Daß wenn ein Standt deß Reichs von der Römischen Keyserlichen Majestät judicialiter oder extrajudicialiter gravirет wird/vnnd derowegen bey Chur Pfaltz sich per modum simplicis querelæ beklaget oder appelliret/daß ein Pfaltzgraff seiner Pflicht vnd deß Reichs höchsten Notthurfft halben schuldig/ solches anzunehmen. Vide *relationem Donavverd. part. 2. fol 112.* Nam præterquam quod textus noster saltem de causis, pro quibus ipse Imperator impetitus fuerit, atque ita de causis ipsius propriis, non verò aliorum negociis aut gravaminibus agat, ipsa quoque juris ratio refragatur, quæ à superiori ad inferiorem appellare non permittit, *l. 1. §. si quis in appellatione. ff. de appellat. l. 2. ff. à quibus appell. non licet.* Majestatique contrarium forer, Cæsarem ad cujusvis placitum coram inferiore eorum quæ decrevit, rationem reddere cogi. Quod enim Fridericus I. apud *Gunth. lib. 8. in Ligur.* ait:

Ipse quidem quamvis divino munere Princeps
Summus in orbe ferar, legumq; immunis & expers,
Non servire quidem cogar &c.

Rectè Impp. subsequentes de se assumere possunt, siquidem dignitatem eandem, quam ille habuit, obtinent. Quod si *Bodinus* in scenam prodire denuò posset, nimiopere sibi suæque sententiæ gratula-

gratularetur, quod ea non solùm exteros, sed etiam indigenas & Germanos in Cæsaream majestatem armasse deprehenderet, *Bodino* quidem restiterunt omnes Germani coætanei: & rectè. Nam quod ille *lib.2 de repub.c.6.* ex eo majestatem Imperatoriam deprimere contendit, quod Imperator judicem admittat, non quidem, ut ille ineptit, Cameræ Imperialis, sed Comitem Palatinum, responsionem ex alio ejusdem loco recipit, qui extat *lib. 3. de repub. cap. 6.* fit interdum, ait, ut Rex ipse deposita quodammodo majestate de sua causa magistratus judicare jubeat, quia jure ipso receptum est, ut par majorve potestas judicium accipiat, si se alterius jurisdictioni submisit, *l.est receptum.ff.de jurisd.l.si quis in conscribendo.C.de pactis.* Quod non modò in privatis & magistratibus, sed etiam in ipsis Principibus locum habet, sive aliorum Principum, sive suorum judicia subire malint, &c. Ex quibus *Bodini* verbis sententia ejusdem refelli potest. Convenitur quippe Imperator noster coram Comite Palatino, non ut superiore aut æquali, sed quia ipse deposita quodammodò majestate Imperatoria, Cognitioni Comitis Palatini, quantumvis inferioris sese submisit, quod dignitati ejusdem officere haud potest. Nam & Rex Galliæ Parlamenti Parisiensis judicium agnoscere cogitur, *Hotom.c.15.in Francogallia.* Nec ideò tamen *Bodinus* patietur, Regem suum majestate regia exui: Nam, ut ipse scribit *lib.2.de rep.c.1.* monarchiâ Francorum nulla magis regia fingi potest. Quod si tamen Galliæ Rex Parlamento contrarium quid mandet, hujus & non illius ratio habetur, *Nevizanus inter consilia Bruni 12.num.128.* Imò Regis Galliæ usque adeò constricta est certis limitibus potestas, ut nulla regia lex, nulla constitutio, nullum pactum ratum sit, nisi cujus Parlamenti Parisiensis Consiliarii auctores comprobatoresvè extiterint, *Hotom.d.c.15.* Hinc cum Ludovicus XI. Galliarum Rex cum Carolo Burgundiæ Duce pacem fecisset, petiit à Carolo, ut ejus voluntate sibi discedere liceret, (verba sunt *Corainei lib.3.de gestis Ludovici XI.*) quò in senatu Lutetiæ curet pactiones recitari. Sic enim fert Galliæ consuetudo, & alioquin non sint ratæ futuræ, tametsi regum potestas in iis rebus omnibus singularis & eximia sit, &c. Et Franciscus I. bellum Carolo V. illaturus in Parlamentum venit, & per Advocatum suum expositis, quas ab illo factas sibi dicebat, injuriis demonstrabat, bellum sibi neces-

necessariò suscipiendum esse, *Johan. Sleidan. in illustratione rerum post Cominæi histor.* Quod Rex non ex suo arbitrio sed Parlamenti decreto suscipere debet; Estque Parlamenti ea autoritas, ut ex decretis ejusdem acquiescere cogatur, inque controversiis non rarò causâ cadat, neque suis adversariis, quibus cum litigat, præjudicare potest, *Sleidan. lib. 1. de repub. Gallor. Claud. Sesell. lib. 1. de repub. Gall.* Quibus consequens est, si Regis Galliæ majestati non officit stare coram Parlamento, cui non Principes, sed literati saltem, & nobiles intersunt, multò minus majestatem Imperatoriam deprimet, quod coram Palatino, & quidem Electore imperii, illustrissimo, causæ ejusdem tractentur: Sicut nec Electoris aut Ducum Saxoniæ dignitati officit, quòd coram Assessoribus Curiarum supremarum, Vor ihr Churfürst: vnd F. G. G. Hoffgericht wegen derselben Cammergüter conveniantur, Austriaci à subditis conventi nobilem quendam judicem constituunt, *Cuspinian. in Austria.* Principes Pomeraniæ convenire cupientes civem Stralesundensem, id coram Senatu Stralesundensi facere coguntur, *Beust. in l. admonendi, num. 194. de jurejur.* Si inter Marchiones Brandeburg. & Duces Pomeraniæ lis oriatur, ea coram Consiliariis utriusque partis ad hoc deputatis sopiri solet, *Beust. dict. loc.* Inter Regem Bohemiæ & incolas Ducatus Gloviensis judicant Pares Curiæ, *Beust. dict. loc.* Et idem Rex ratione Silesiæ coram judicio superiore Uratislaviensi stare cogitur, *Schrader. part. 10 sect. 1. num. 13. de feud.* inter eundem Regem & Marchiones Brandeburg. utriusque Consiliarii ad id deputati judicant, *Beust. dict. loc.* In Anglia si Regi cum alio lis sit, Justitia magna cognoscit, *Bodin. lib. 1. cap. 8. de republ.* Nec tamen propterea horum Regum aut Principum majestas & dignitas obfuscatur: Quin potius tantò magis illustratur, cum ex eo appareat, eos sepositâ dignitate suâ æquali cum subditis jure in causis propriis uti. Et rectè. In omnibus quippe rebus tolerari potest, ait *Anton. de Guevara lib. 1. cap. 35. in fin. Horol. Princ.* ut potior sit conditio Principis, præterquam in sola justitia, quam prorsus æqualem esse inter Principem & rempub. oportet & opus est. Quod ei congruit, quod Dd. nostri tradunt, Principem Romanum ad instar privati contractus cum subditis initos servare debere, *l. prædia. C. de location. præd. civil. lib. 11. l. benè à Zenone. C. de quadrien. præscript.* ne aliàs, qui

omnium præſul eſt, conſtituatur omnium exul, quia qui cum ipſo contrahere vellet, ſi non obligaretur, inveniretur nemo, *Zaſius in l. Princeps num. 6 ff. de LL. Pruckman. cap. 4. membr. 2. effect. 1 num. 6 §. ſoluta poteſtas.* Et quod huic conſequens eſt, ſi contractus implere tardaverit, ut interventu judicis ejus compellatur, neceſſum eſt, qui Bulla noſtra demonſtratur: Ad quam plurimi non attendentes putant, Imperatorem in cauſa ſua exemplo Tiberii & Antonini judicem eſſe poſſe, *l. & hoc Tiberius. ff. de hæred. inſtituen. l. pen. ff. de his, quæ in teſtam. delentur. Bodin. lib. 3. cap. 6. de republ. Menoch. conſ. 2. num. 22. Schrader. conſ. 1. num. 719 volum. 1. Paurmeiſt. lib. 2. cap. 5. num. 88. de jurisdict.*

Alii ſtatuunt rectiùs eum facturum, ſi eam arbitrorum cognitioni, *Bald. in cap. imperialem num. 26. de pace ten. Menoch. dict. conſ. 2. num. 116* vel Conſiliariis ſuis determinandam commiſerit, *Sichard. in l. 1. num. 3. C. de jurisdict. Pruckman. conſ. 36. num. 14. vol. 2.* Verùm quia ex Bulla noſtra certus & ordinarius eſt, non opus eſt, rem aliis committere, quamvis utique & horum ſententiis Bullâ noſtrâ ſatisfieri videtur. Nam Comes Palatinus Elector tanquam Conſiliarius Cæſaris, *tit. 24. infr.* dum in Imperiali Curia judicium contra Imperatorem intentatum exercere tenetur, videtur utique Imperator per Conſiliariũ ſuum & quidẽ in propria curia de ſua cauſa judicare. Quo caſu etſi Princeps ipſe obligatus ſit, majeſtatis reverentiæque intuitu tamen, proceſſus non contra eum ſed fiſcalem fieri debet, *d. l. benè à Zenone. l. 1. ff. de offic. procur.* Quod ita in practica ſervari dicit *Alciat. reſponſ. 28. numer. 10. lib. 6. Antonius Heringius cap. 7. num. 288 de fidejuſſor.* Et de Galliæ conſuetudine id fieri *Bodinus* tradit *lib. 3. cap. 6. de repub.* qui & illud more quodam receptum dicit, ut ſi Rex adverſus privatos in privatis judiciis reſtitui velit, Procurator regius ſedem ac locum mutet, ne publicam ſed privati cauſam agere videatur.

XLVI.

Atqui dices: Si Imper. judicem ferre cogitur, non ut priſci illi Impp legibus ſolutus perhiberi poterit; & ſanè quæſtio hæc eſt non vulgaris, an etiamnum hodiè Imper. noſter legibus ſolutus dici poſſit?

possit? dubitatio quippe ex eo oritur, quod coram Comite Palatino conveniri queat, judicem verò qui perferre, ejusque pronunciato acquiescere cogitur, solutus ille legibus dici nequit, ut enim Comes Palatinus judicis defungens partibus secundum illas judicare debet, ita & sententiam accipiendo Imperatori eas observare incumbit, frustra quippe ille judicando leges sequeretur, si illis obtemperandi arbitrium penes Imperatorem esset, quapropter cum Adolphus Nassovius multa agere dicebatur, quæ à Principis boni officio aliena putabantur, *Cuspian.in vita Adolph.* nec monitis Electorum cederet, imperio indignus judicatus fuit, *Aventin.lib.7.Annal.Bojor.* & Wenceslaus veluti porcus Epicuri domi in stabulo clausus & saginatus negotia imperii negligens depositione suâ impunè leges haud sperni posse, similiter ostendit, *Paralipp.Abb.Ursperg.in vit. Wenceslai.* Deinde, si legibus solutus erit, iis ut vivat, cogi non potest, solutum quippe esse, coactionem omnemque obligationem respuit, quod ingeniosè Catacallæ noverca insinuans, An nescis, inquit, te Imperatorem esse, leges dare, non accipere, verum Imperator noster legibus vivere tàm humanis, quàm divinis tenetur, & quidem divinarum observantiâ eum constringi certum est, magnus est Imperator, ait *Tertullian.in Apologetic.* quia cœlo minor est, illius enim est ipse, cujus est cœlum & omnis creatura. Humanas quod attinet, vel ille gentium omnium sunt, ut contractus servare, & iis similiter obligatur, nam, ut ait *Anton.de Guevara lib. 1. cap.35. in fin.Horol.Princip.* in omnibus rebus tolerari potest, ut potior sit conditio Principis, præterquam in sola justitia, quam prorsus æqualem esse inter Principem & Rempubl. oportet & opus est, vel sunt civiles, eæque tales meræ, verbi gratia, Testamento deferri hæreditas non potest, nisi septem testium numero munitum sit, quod meram civilem rationem habet, sufficere enim poterant testes tres aut quinque, iis etiam Imperator vivere cogitur, quippè delatam imperfecto testamento adire nequit, *l.3.C.de testam.l.23.ff. de legat.3.* vel conjunctam imperii utilitatem habent, ut sunt omnes illæ, juxta quas imperium suscipere solet, & fundamentales dicuntur, & has jurejurando se servaturum promittere debet, *Sleidan.lib.1.de stat.relligion.* Hinc Saxoniæ Elector & Landgravius Hassiæ in edito scripto contra Carolum V. Imperatorem, Cæsari verò ajunt, non

licere vim ullam facere ulli ordini, nec indictâ causâ proscribere quemquam, neque militem externum intra Germaniæ fines adducere, vel jus aliquod hæreditarium atque successionem imperii sibi vendicare, nimirum his legibus eum devinctum esse, & eas per jusjurandum approbasse, nam si fas sit ei secus agere, non posse diuturnum esse Reipubl. statum, *Sleidan. lib. 17. de stat. rellig.* cum ergò divinis, cum jurisgentium, cum civilibus legibus obligetur, nullis utique solutus erit, quod rationi congruere viri prudentes opinantur, nam cum Princeps adeò à cunabulis nihil aliud quàm assentationes audiat, & ut ait *Alexius lib. 1. de Republ. Christian.* suaptè naturâ turgidus homo sit, & ad omnem arrogantiam propensior, neminem, qui dehortetur, neminem, qui dissuadeat, quin omnes ad hanc pernitiem invitent, invenire fas sit, ut juxta Carneadem, Regum ac Principum filii nihil rectè discant præter equitare, quod his omnes adulentur, solus equus non curans Regem gerat an privatum, tergo excutit, quisquis equitandi fuerit imperitus. *Plutarch. de discrim. adult. & amic.* omninò in hunc sensum decurrunt, quam minimum Principi contra leges permittendum esse, atqui dicet adulator, verba sunt *Osorii lib. 5. de Regis instit.* imminuis tu quidem Principis majestatem, imò tu auges amentiam, parvi & angusti animi est, vereri leges, imò profligati est atque perditi, eas despicere, non est regium habere voluntatem alligatam, imò nihil magis regium est, quàm vinculis arcere libidinem, miserum est, non facere omnia quæ velis: miserius certè multò est, velle facere quod non licet: id tamen longè miserrimum est, posse facere, quod ita velis &c. Verum enimverò si rectè status quæstionis, quidque in disceptationem vocetur, perpendatur, utique propositio hæc etiam statui præsenti accommodatior erit, *Imperator legibus solutus est*, quàm altera illa, *Imperator legibus solutus non est*, nam exploratum est, quòd in Republica veteri Princeps legibus solutus fuerit, *l. 31. ff. de legib.* ita ut quæcunque ex usu Reipublicæ, majestate divinarum, humanarum, publicarum, privatarumque rerum esse censeret, liberè agere posset, *Francisc. Hotoman. in indic. legum Roman. lit. R.* ab hac immensa potestate in imperio nostro capitulatione Cæsarea casus nonnulli excepti reperiuntur, exceptio-

nis

nis autem natura eſt,ut per eam confirmetur non deſtruatur regula,*l.1.ibid.Dd.ff.de Reg.jur.* Olim itaque cum hæc regula fuerit: *Imperator legibus ſolutus eſt*, manebit & hodiè eadem, ſuiſque fulcietur non infirmabitur exceptionibus,& majeſtas, quæ cauſa eſt ſolutæ poteſtatis, aut eadem, aut nulla penes Imperatorem erit,quod poſterius dici nequit,quia nullibi vox illa, Majeſtatis, in Germania quàm in aula Imperatoris auditur & læſæ majeſtatis, crimen etiamnum hodiè in imperio contra alium quàm Imperatorem non committitur, ut ergò Majeſtas ejuſdem ſit, neceſſe eſt,nam quæ non eſt,lædi non poteſt,aliaque eſt ratio commiſſi criminis in Electores, *juxta titul. 24. in Aur. Bull.* quia eo loco ut Cæſaris Conſiliarii conſiderantur, contra quos & jus commune id punit.*Clar.§.læſæ majeſtatis.numer.5. lib.5.* prius ergò concedendum erit,& certè concedi debet, quia majeſtas majus & minus non admittit, nec propterea, quòd priſci illi Imperatores potentiores fuerint, majeſtas eorum auctior ſtatui debet, quia à potentia ad majeſtatem arguere non licet, rectèque *Menoch.conſil.36.num.51.lib.1.*non eſt bona conſequentia,ait,eſt potentius, ergo dignius & *Natta conſil. 637. num. 36.* multiplicatio urbium(ait)& ſubditorum non facit,ut quis præferendus ſit, & *Knich.c. 2. verſ. Ducum.num.68.de non provocand. jur.* dicit,latior finium vel territorii amplitudo minimè efficit principatum digniorem, ut alium præcedat conſtituendo illuſtriorem, meritòque *Vaſq. in præfat. nu. 32.lib.1.illuſtr.contr.*cum ſuo Principe repulſam tulit, quod in Concilio Tridentino Galliarum Regi propter potentiam majorem de ſeſſione controverſiam moverit,*Thuan.lib.35.hiſtor.* licet enim Regis ditio unius ſcopuli terminis finiatur,ſicut de Regno Ulyſſis Poëtæ fabulantur,ſi tamen nullum ſuperiorem agnoſcat, eam majeſtatem ſibi quam mundi domitor Alexander Magnus adſumere poteſt,quia non multitudo ſubjectorum, ſed libertas imperandi majeſtatem tribuit, hinc Eumenes fractis opibus etſi nihil præter arcem,in qua obſidebatur,ſuum dicere poterat, cum tamen de pace ageretur, cum Antigono Aſiæ Rege, qui ut potentia ſic etiam dignitate ſuperior videri vellet,Legatis Antigoni reſpondit,ſuperiorem ſe neminem accepturum, quamdiu gladium exertum manu teneret,*Bodin.1.de Republ.cap.9.* quibus conſequens eſt,

cum etiamnum majestatis jus Imperatori nostro competat, Et legibus eum solutum esse, siquidem causâ positâ effectus eam subsequi necesse est, solutæ verò potestatis causa majestas est, hæc enim nihil aliud est, quàm summa & perpetua in subditos potestas, *Bodin. lib. 1. cap. 8. in princ. de Republ.* adeoque majestas hæc forma est, per quam Princeps est Princeps, si enim majestatem Principi subtraxeris, non amplius Princeps sed privatus erit, mutatione quippe formæ alia inducitur res, & quia Imperator summam in imperio potestatem habet, hinc in Recessu imperii *An. 1566.* Wir wollen / nominatur, Das Oberhaupt im Römischen Reich / item in Recessu Imperii *An. 1530. vers.* Nach dem aber uns ꝛc. ein obrister Voigt der Christenheit / solutus ergo legibus erit, quia quod summum est, nihil supra se habet, non ergo nec leges, quia illæ non nisi à superiore manare solent; quod *Günth.* sub persona Frid. I. *lib. 6. in Ligurin.* indicat,

——— Nullum caput ista super se
Aspicit, excepto cœlorum Rege potestas, &c.

& lib 8.

Ipse quidem quamvis divino munere Princeps
Summus in orbe ferar legumq; immunis & expers,
Non servire quidem cogar.

Dannenhero die Chur vnd Fürsten / auch andere Stände des Reichs bekennen / daß sie dem Römischen Keyser kein Form oder Maß zu setzen wissen / Reichsabschied *An. 1544. §.* Als wir aber in der Handlunge befunden. legibus ergò solutus est, per illas enim modus vivendi, faciendique præscribi solet, *l. legis virtus ff. de legib.* & si legibus obligatum volumus, à quo obligatio, id est, vinculum illud juris, quo necessitate Imperator adstringitur, derivabitur? an à prædecessoribus? atqui par in parem imperium non habet, *l. 3. in fin. ff. de recept. arbitr. l. 13. §. 4. ad Trebell.* obligare ergò illum non potest, hinc est, quod leges aut edicta mortuo Principe vim suam perdant, nisi subsequentis Principis auctoritate vel consensione tacitâ sanciantur, quare cum Bartolus noster ad Carolum IV. legatus esset, ut Perusinæ civitatis privilegia confirmarentur, obtinuit illud quidem, sed eâ conditione, ut

ne,ut tamdiu vim haberent,quoad à posteris Imperatoribus revocarentur,quibus,etiamsi clausula ista subjecta non fuisset, præjudicium nullum creari potuisset. *Bodin. lib.1.cap. 8. de Republ.* vel à semetipso? atqui nemo sibi legem dicere potest,à qua ei, cum libuerit,recedere non liceat *d.l.13.§.4.ad Trebell.l.22.ff. de legat. 3.* ipse se cogere Prætor non potest, quia triplici officio fungi nequit, suspectum dicentis,& coacti,& cogentis, dicit *l. 40.§.ult.ff.de fideicommiß.libertat.*neque imperare sibi,neque se prohibere quisquam potest,ait JCtus *in l.si de re sua.de recept.arbitr.l.7. §. 8. ff. de donat. inter vir.& uxor.*vel an à subditis? atqui illi accipiunt non dant leges; Rectè Valentinianus Imperator,quin etiam vos, ait, qui meo jam imperio subjecti estis,conquiescere: me autem,utpote Imperatorem,quid agendum sit,considerare decet.*Sozom.hist.Ecclesiast.lib.6. cap.6.* & si minor dignitate leges non accipit, ut Rex Galliæ, Rex Hispaniæ,*vide Discurs.1.* putenturque illi majestatis intuitu legibus soluti,Imperator utique vel maximè legibus solutus erit, quia dignitate,quæ ex majestate oritur,illos aliosque omnes Reges vincit, *Bodin.lib.1.de Republ.ca.8.Thuan.lib.35.histor.*nec alia prælationis causa dabitur,nam si potentiæ respectus illam operari posset, jam cum Hispano in certamen veniret,qui suorum præconio potentior est,*Petr.Calefat num.128. de equestr. dignit.* dignitas ergò cum in causa sit,eaque ex majestate oriens, ut scilicet causa prælationis sit eadem,quæ concertationis,omninò constituendum est, Imperatorem legibus solutum esse,facitque hæc ratio,ut intelligamus, quia dignitas hæc in Imperatore solo à Regibus aliis agnoscitur, non esse communicatam statibus imperii majestatem, illa enim ut incorporalis adeoque individua non potest ab Imperatore aliis concedi,summa enim est potestas,quæ penes plures si sit, jam non amplius in Imperatore summa erit,utpote quæ ad alios respectum habet,neve ad probandum id quicquam facit,quod de potestate condendarum legum,vel belli aut tributi indicendi communicata colligitur,quia inter formam ipsius majestatis,quæ in dignitate imperatoria consistit,& ejusdem effecta, quæ nihil aliud quàm tesseræ & signa supremæ potestatis sunt,distinguendum est,quæ, ubicunque ponitur majestas,poni necesse est,at non ubi illa sunt, & majestatem poni consequens est, verbi gratia, extrema provocatio est effectum

fectum majestatis, ergò ubi majestas est, ibi & extrema provocatio est, at non econtrà, ubi extrema provocatio est, ibi majestas est, quia à majestate Cæsarea potest Principi concedi, ne ad illam subditi ejusdem provocent, quod tributum Electoribus à Carolo IV. *cap 11. in Aur. Bull.* nec tamen propterea vel majestas imperatoria minuitur, aut etiam ei, cui concessum id, majestas acquiritur, si ergò majestas communicari nequit, *Bodin lib. 1. de Republ. cap. 10.* sed ea penes solum Imperatorem resideat, legibus solutus erit, quod ex eo quoque clarescit, quòd Imperator noster plenitudinem potestatis habet, unde hæc clausula in rescriptis & Imperii Recessibus. Aus Römischer Keys. Macht vnd Vollkommenheit/ sæpè occurrit, qua etiam gravissimam illam controversiam, die geistliche Freystellunge belangende diremit, sicuti videre est ex supplicatione der Chur vnnd Fürsten der Augspurgischen Confession verwandt / quæ extat n. 17. in Johann Casimirs Pfaltzgrafen bey Rhein Außschreiben An 1583. nam etsi Protestantes gravissimas rationes allegarent, deprecarenturque, ne Recessui Imperii An. 1555. clausula illa: Wenn ein Ertzbischoff/ Bischoff/ Prælat oder ein anderer geistliches Standes von der alten Religion abtretten würde/ daß derselbe sein Ertzbisthumb/ Bisthumb / Prælatur/ vnd andere Beneficia, auch damit alle Frücht vnd Einkommen/ so er davon gehabt/ alsbald ohne einige Widerung vnd Verzug / jedoch seinen Ehren vnnachtheilichen / verlassen soll/ ꝛc insereretur, addatur etiam *Thuan. lib. 78. Histor.* attamen cum Ferdinandus Rex Romanorum à sententia dimoveri non posset, supplicantes suæ protestationi hæc verba inseruerunt: Da aber E. Königliche Majest. je auff obbemelter jhrer Resolution beruhen/ diese vnd andere jhrer Chur vnd F. G. hochbewegende vnnd dringende Vrsachen / sich davon nicht abwenden lassen wollen/ sondern diesen Articul der gestalt / wie er von E. Königl. Majest. gesetzt/ an stat auff Heimstellung vnd habender Gewalt / auch Vollkommenheit der Keys. Maj. vnsers allergnedigsten Herrn / vnd also von wegen jhres obligenden Ampts vnd vor sich selbst zu verordnen/ endlich entschlossen. So wissen jhre Chur vnd Fürstliche G. E. Königl Maj. vber beschehne vnterthenige Bitt vnnd Vorwendung hierin kein Form oder Maß zu setzen/ ꝛc. cum ergò Imperator plenitudinem seu plenariam potestatem etiam invitis Electoribus & Principibus exerceat, legibus solutus est, plenitudo quippe potestatis omnem restrictionem

aversatur,

aversatur,& cum eâ uti vult; Kan also dann jhrer Keys. Majest. kein Form oder Maß/uti fatentur Electores & Principes in dicta supplicatione,gesetzt werde/ quia,uti nostri tradunt,Principi de plenitudine potestatis statuenti nemo,*Cur ita facis?* dicere debet,*Bolog.consil. 6*.Nec hanc Imperatoris nostri plenitudinem potestatis impugnant illa,quæ in partem alterã disputata sunt,nam quod primò ex Bulla Aurea prolatũ fuit,Imperatorẽ ideo legibus teneri,quia corã Comite Palatino conveniri potest,facilè resolvi potest,si consideravimus, quibus ex causis obligari potest, sic n.intelligemus,quando conveniri potest,ideo cũ dicimus,quod Imperator legibus solutus sit,non hunc sensum recipit,quasi promiscuè legibus omnibus eum liberaremus,Leges aliæ sunt divinæ,aliæ naturæ vel gentium,aliæ civiles, nec divinis, nec naturalibus aut gentium solutus est,non divinis, siquidem earum intuitu non Princeps sed homo ejusdem cum aliis conditionis est.Recogitent, inquit *Tertull. in Apologet.* quousque imperii vires valent,& ita Deum intelligent, adversus quem valere non possunt,per eum se valere cognoscant, cœlum debellet Imperator,cœlum captivum triumpho suo invehat,non potest,ideo Imperator magnus est,quia cœlo minor est, illius enim est ipse,cujus est cœlum & omnis creatura;quare si vel eas invertat, ut Casimirus M.Rex Poloniæ,qui legem de homicidis tulit, quâ se dicit corrigere voluisse rigorem legum divinarum & humanarum; vel contra eas exemplo Adolphi Nassovii,publicè adulteria perpetrando, virgines, moniales, viduas vi constuprando delinquat,*Cuspin. in vita ejusd.* quod non solùm Deo,verùm etiam Imperio, quod ipso majus est,ad pœnã tenetur;& ideo cum Adolphus resipiscere detrectaret,Moguntinus,Saxoniæ atque Brandeburgici Præsides, *ait. Aventin.lib.7 Annal.Bojor.*Legati Regis Boëmiæ Regulum Saxonum arbitrum honorarium,quippe Rudolphus Præfectus prætorio Rheni Rectorque Bojariæ,cujus munus est, veluti de querimoniis adversus Cæsarem delatis cognoscere,venire recusarat, tribunali imponunt,imperio indignum judicarunt, *& apud Lamber. Schnaffaburgens.*Saxoniæ Præsules,Duces,& Comites per Legatos Henricum IV.Imp.Sacramento se ei fidem dixisse,*monent*,si ad ædificationem, non ad destructionem Ecclesiæ Dei,Rex esse vellet,si justè, si legitimè,si more majorum rebus moderaretur? nec itidem naturæ aut

gentium legibus solutus est,& ideo,si cum alio contraxit,instar privati obligabitur,*l.prædia.C.de locat.præd.civil.l. benè à Zenone. C. de quadr.præscript.*quia,qui cum ipso contrahere vellet,si non obligaretur,nemo inveniretur,perque hoc,qui omnium præsul est, constitueretur omnium exul,*Zas.in l.Princeps.de legib.*unde Adolphus, quod inter cætera fidem literis & sigillo roboratam violasset, depositionem suam maturavit,*Cuspin.in ejus vit.*& rectè, nam ut dicit, *Bald.in Rubr.de Constit.Princip.*edictum Prætoris, *Pacta servabo*,æquum est,& ab ore Dei processit, hoc est, tàm Principi quàm aliis constitutum est,ad quod alludens *Günth.lib 3.in Ligurin.* ait:

Non decet in labiis versari lubrica regis,
Non decet ore sacro mendacia cudere regem,
Sancta & plena suo sunt regia pondera verba,
Dicta semel nullum patiuntur jure recursum,

quarè regiè ut pleraque alia Alphonsus Rex Neapolitanus dixit, solam fidem tantum apud Principem,quantum juramentum apud privatos valere debere, *Panormitan.lib.1.num.58.de dict. & fact. Alphons.* & Archiepiscopus Coloniensis, verba, inquit, Cæsaræ Majestatis mihi pro juramento sunt,apud *Crantz.lib.6.ca.46.in Sax.* Leges verò civiles,vel conjunctam imperii utilitatem habent, ut sunt omnes illæ, juxta quas imperium suscipit, & fundamentales dicuntur,nec his solutus est, *Sleidan.lib.1. de stat. rellig.* ut homines nostri intelligerent, *ait Jul.Pflug. de ordinand. Rep. German.* se non in Domini cujusdem acerbioris,sed in patris ejusque per benigni potestatem venire, siquidem harum intuitu non superior, sed inferior est, nam imperium, cujus illæ leges sunt, ipso majus est,hoc enim perpetuum & immutabile.*Novell.47.in princ.*ille verò mortalis est,unde Ulpian.distinguit Rempublicam à Principe, qui hostili animo adversus Rempublicam vel Principem animatus est, perduellis est,ait,*l.final.ff.ad l.Jul.Majestat.Hotoman. in Francogall. cap.15.* vel meram civilem rationem habent,& his solutus est, quod si ergo quæratur, quando coram Comite Palatino conveniri possit? ex hisce respondendum erit, tunc, cum vel contra leges divinas, na-

nas,naturales ſeu gentium,vel fundamentales delinquit, illis enim cum obligatus ſit, ex natura vinculi obligatorii ad eorum , quæ leges illæ volunt,obſervantiam cogi poteſt.*Aventin.dict.lib. 7. Annal.Bojor.* quarè legati Saxonum ad Henricum IV. ſin iſta prior, ipſe temeraſſet,inquiunt,ſe jam ſacramenti hujus relligione non teneri,ſed quaſi cum barbaro hoſte, Chriſtiani nominis oppreſſore,juſtum deinceps bellum geſturos, *Lambert.Schnaffaburg.in Annal. in Henric.IV.* ex quibus apparet,quantum huic collectioni deferendum ſit, *Imperator non poteſt ſolus bellum,aut collectam indicere,nec indictâ causâ quenquam proſcribere, aut legem condere. Ergo ſolutus legibus non eſt :* nam cum fundamentales hæ imperii leges ſunt,iis non quidem per modum ſubjectionis, ſed initæ cum Electoribus obligationis teneri debet,iis qui in dignitate ſunt, ait *Thucidid.lib.4.de bello pelop.* turpius fraude inhoneſtâ circumvenire,quàm lædere vi apertâ,nihil enim ſtabile,quod eſt infidum. *Cicer.de amicit.& Ovid.*

Nec bove mactato cœleſtia numina gaudent,
Sed quæ præſtanda eſt,& ſine teſte fide.

Et rectè *Claudian. 2. Stilic.*

Huic Divæ Germana fides eademq́; ſororis
Corde tuo delubra tenens ſeſe omnibus actis
Inſerat:hæc doceat nullo liveſcere fuco,
Nunquam falſâ loqui,nunquam promiſſa morari.

nec majeſtatem Imperatoriam deprimit id , quòd hiſce de cauſis coram Electore Palatino conveniri queat, nam , ut Diſcurſu primo oſtendimus,etiam major ſe minoris jurisdictioni ſalvâ majeſtate ſubmittere poteſt,*Bodin.lib.3.cap.6.de Republ.* ſic Rex Galliæ coram Parlamento Pariſienſi conveniri poteſt,*Hotom.in Francog.c. 15.*& ſi adverſus privatos in privatis judiciis reſtitui velit, Procurator regius ſedem ac locum mutat, ne publicam ſed privatam cauſam agere videatur,*Bodin.d.cap.6.* Rex Bohemiæ ratione Sileſiæ coram judicio ſuperiori Uratislavienſi ſtare cogitur, *Schrader.p.10.*

 ſection.

section.1.num. 13. de Feud. In Anglia de litibus inter Regem & subditos exortis Justitia Magna cognoscit. *Bodin.lib.1.cap.8.de Republ.* nec tamen propterea horum Regum majestas aut dignitas læditur, sed magis illustratur, cum ex eo appareat, eos sepositâ dignitate suâ æquali cum subditis jure uti velle, Atqui dices, si Imperator legibus civilibus solutus est, utique hæreditatem ipsi testamento imperfecto delatam adire poterit, perfectio enim testamentaria, quæ in solennitatibus consistit, civile inventum est, *l.3.ff. de testament.* & tamen adeundi potestatem ei denegat, *l.3. C.de testament.l.23.ff.de legat.3.* poterit itidem pro ductu voluntatis de bonis suis non attentis solennitatibus juris civilis disponere, cujus tamen contrarium extat *in l.7.C.qui testam.fac.poss.* verùm aliud est quærere, *An legibus civilibus solutus sit?* aliud, *An legibus illis vivere debeat?* non enim hæc contraria, sed diversa sunt, illud potestatis, hoc verò honestatis est, potestate verò illâ tunc uti debet, cum majestatis aut publicæ utilitatis ratio eam exposcit, extra quam honestatis intuitu legum etiam civilium præscripta observare debet, cum leges præscripsisti aliis, *ait Ambrosius Epist.32.ad Valentinianum Imperatorem*, præscripsisti & tibi; leges enim Imperator fert, quas primus ipse custodiat, nam, ut apud *Sidon.carm.5.*

——— Tunc cætera paret
Turba libens, servit propriis cum legibus auctor.

& Xenophon de laudibus Agesilai, inter maximas, inquit, patriæ utilitates hoc ego ejus facinus posuerim, quod perspicuè ostendebat, se nihil malle, quàm legibus inservire, quis namque refragari his voluisset, cum Regem obtemperare intueretur? & monuit Cato Censorinus, si Princeps vult, ut ei perfecta in omnibus præstetur obedientia, quicquid jusserit, ipse exequatur, ab actionibus enim virtutis nullus Princeps immunis est. *Anton.de Guevara lib.1.35. in Herolog. Princip.* atque hanc potestatis & honestatis distinctionem Alexander Imperat. *in d.l.3.C.de testam.* perspicuè ostendit, licet, inquit, lex Imperii solennibus juris Imperatorem solverit, atque ita potestatis intuitu in specie ejusdem delatam hæreditatem adire potuisset, verum, quia nihil tàm proprium imperii est, quàm legibus honestatis intuitu vivere, illud sibi non licere constituit. *l.digna vox. C.de*

*C.de legib.*hinc etiam Paulus respondit, ex imperfecto testamento Legata vel fideicommissa Imperatorem vindicare inverecundum est, decet enim tantæ majestati eas servare leges, quibus ipse solutus videtur.*d.l.23.ff.de legat.1.*& Justinianus Imperator,*Licet*,ait, *legibus soluti simus*,scilicet potestatem nostram exercentes, *attamen legibus vivimus*,honestate nos cogente,*§.ult.Instit.quib.mod.testam. infirm.* quod quoque sub persona Friderici I.*Gũnth.lib. 8. in Ligur.* ostendere voluit.

Nam nihil,ut verum fatear,magis esse decorum
Aut regale puto,quàm legis jure solutum,
Spontè tamen legi sese supponere Regem.



DISCURSUUM ACADEMICORUM

Ad Auream Bullam
CAROLI QVARTI ROMAN. IMPERATORIS

QUARTUS.

RESPONDENTE

ANDREA RUDINGERO RUDERSdorfino-Thur.

AD CAPUT SEXTUM,

De

COMPARATIONE PRINCIPUM ELECTOrum ad alios Principes communes.

QUIS ORDO INTER ELECTOres & Principes alios observari debet.

THESIS PRIMA.



Uis ordo inter ipsos Electores observari debet, expositum est in tit.3. & 4. Hoc verò, quinam respectu ad alios Principes habito tenendus sit, exprimitur: Decernit quippe Imperat. ut in celebratione Curiæ Imperialis Electoribus nullus Princeps alius cujuscunque status, dignitatis, præeminentiæ vel conditionis existat, præferatur, Et rectè. Nam etsi aliorum Principum autoritas, atque in Rempub. studia condemnenda vel elevanda non sint, Electores ta-

res tamen & dignitate,& meritis illos ſuperant: Quæ enim major vel ſublimior dignitatis amplitudo illis deferri potuit; quàm præ cæteris dignos cenſeri,quorum humeris Imperii Romani celſitudo committeretur,quorumq; ex germine quaſi decedente Imperatore, Aquila,quæ umbra alarum ſuarum Occidentem tegeret, produceretur?Merita quod attinet,certum eſt,quod poſtquam hi Principes inſtituti fuêre, eorum prudentia atque conſilio effectum ſit, ut & graviſſimæ diſſenſiones,quæ antea de electione Imperatoris exarſerant,conquieverint,pax & tranquillitas qualiscunque in Germania conſervata fuerit,inſidioſæ & clandeſtinæ conſpirationes exterorum imperii majeſtati inhiantium repreſſæ fuerint. *Schard. in proœ.de Elector.Orig.Peucer.lib.5.in pr.Chronicor.Ventura de Valent. lib.2.c.3.n.28.in parth. litigioſ.* Et quanquam non deſiut,qui hanc Electorum dignitatem Germaniæ quidem honorificam & ſalutarem,univerſo tamen imperio damnoſam extitiſſe,exiſtiment,quod exteræ nationes ægrè ferentes ad ſolos Germanos translatam Imperii dignitatem, & præcipua munia atque honores paulatim ab obedientia,oneribuſque imperii ſe ſubtrahere annexi ſint, etiam conniventibus Imperatoribus inde lucrum captantibus vel graviore aliqua bellorum aut negociorum mole impeditis, quod ſe indignum exiſtimarent, ejus imperii onera ſubire, à cujus ſupremis honoribus lege publica excluſæ eſſent,contra illud Plinii in Panegyr.ad Trajanum, imperaturum omnibus eligi debere ab omnibus,*Alciatus de formul.Rom.Imper.Nicol.Betſius c.7.de pact.famil.illuſtr.*Certè Reges Galliarũ,Hiſpaniæ,Angliæ,Scotiæ,Poloniæ, Daniæ,Norvegiæ, Sueciæ imperio ſeſe ſubtraxerunt, multi Duces & populi jugum Imperii Romani excuſſerunt,*Ventur.de Valent.lib.1.c.16.num.32.* quorum avulſione in eam tenuitatem redactum eſt,ut Petr. Coſtal. JCtus ſcribere non vereatur,ſe neſcire an ſit, & ubinam ſit Romanum imperium *in l.de quibus.ff.de legib. & Johan. Bodin.c.7.in method.hiſtoriar.*dicit, Germanos Romanorum Imperio præeſſe,quod cùm ita à Germanis ſcriberetur, ad ſui nominis & Imperii gloriam ſcriptum eſſe judicavi,*Johannes Sleidanus in Orat. ad Carolum V.*ingenuè fatetur,quod ex priore illa mole alia multa regna creverint,prorſus ab ipſo corpore ſeparata, ita ut nihil omnino reliquum ſit præter titulum & nomen, quod adhuc Germania retinet,

retinet, ad quam postremo est delata potestas creandi Cæsaris, qui tamen adeò nulla ex parte conferri potest cum veteribus illis Romanorum Imperatoribus, ut ne sedem quidem ipsam Cæsarum avitam & priscum domicilium, urbem Romam teneat. Attamen si rem rectè æstimare velimus, non hæc regnorum & populorum avulsio vel Imperatorum socordiæ, plerosque enim Germania magnanimos & Imperio dignissimos dedit, vel institutioni Electoralis Collegii, utpote cujus prudenti consilio toties res Romana conservata est, attribuenda erit, sed populis illis specioso libertatis nomine ad rebellandum illectis, Pontificum Romanorum consiliis & molitionibus in Imperii pernitiem, sedis verò Romanæ exaltationem & amplificationem excitatis, *Marsil. Patavin. in defens. Lud. Bavar. in præfat. Nicol. Bers. dict. cap. 7.* quorum secessio proficua vel nociva plerisque sit, ipsi ingentibus suorum Regum exactionibus pressi jam libertatem imperii serius laudantes exemplo columbarum animadvertunt, de quibus versus hi extant:

Accipitrem milvi pulsurum bella columbæ
Accipiunt Regem: Rex magis hoste nocet.
Incipiunt de Rege quari, quia sanius esset
Milvi bella pati, quàm sine Marte mori.

durat, perdurabitque imperium ad mundi finem, *Benedict. Perer. lib. 2. vers. hujus statuæ caput, &c. in Danielem*, exemploque servitutis non includitur aut circumscribitur loco, sed ut illa in fundo quæsita per partes ejusdem indivisi retinetur, *l. ut pomum §. si prædium ff. de servitut.* totaque manet in parte indivisa, ut alibi totus fundus est in parte dotis *l. fin. ff. de iure dot.* Sic Imperium universum pervagatur orbem, manetque illud ubicunque Imperator est, *Heig. lib. 1. quæst. 2. num. 31.* Quapropter licet pars magna Imperii ab aliis occupata sit, non ideò tamen extinctum dici potest, sed in parte ea, quæ restat, totum Imperium est, *Marta Neapolit. p. 1. cap 21. num. 27. de jurisdict.* quod cùm etiamnum hodiè dignitate & robore reliqua post se relinquat regna, *Thuan. lib. 2. histor.* nil mirum si ejusdem Principes & præcipuè magnanimi Electores reliquos orbis Principes non

solùm

ſolùm in Comitiis Imperialibus , verùm etiam aliis Principum Chriſtianorum conventibus præcedant: Hinc in Concilio Tridentino poſt Legatos Pontificios præcipuum dignitatis locum obtinuerunt, teſte *Thuan.lib.8.hiſtoriarum*, ut mirandum ſit, in Concilio Baſilienſi Philippi Ducis Burgundiæ Legatos decreto Patrum Electoribus Prælatos fuiſſe, teſte *Chaſſanæo part.5.conſiderat. 45. in Catalog.Glor.mund.* Nam etſi ille decreti hujus rationes recitet haſce, quod primus par Regni Franciæ & de familia Regum Francorum & Imperatoris erat, inverſione tamen ejus argumenti patet, quia Electores pares primi Imperii erant , pro iis reſponderi debuiſſe, quia utique imperium dignius eſt regno Franciæ : Ergo & ejus pares: Non attentâ ratione alterâ, quod plura pro Eccleſia Romana fecerat, & quia Electores habebant ſolum nomen officii, Dux verò Burgundiæ nomen dignitatis , nam etſi meritorum magna ſit habenda ratio , non tamen in præjudicium alterius eorundem conſideratio vergere debet. Et quia in honorum ordine collocando non tàm perſonæ, atque familiæ ipſius, quàm officii & dignitatis, ſeu adminiſtrationis, quam quisque gerit, ratio habenda eſt, *Modeſtin. Piſtor.Conſil.51.num.41.vol.1.* conſtat Electores, quia dignius, quàm Burgundus, officium gerebant, ei præferri debuiſſe, Renat. *Choppin. lib.3.tit.7.num.13.de dom. Franc.* hujus controverſiæ mentionem faciens, hac quoque ratione concilium uſum fuiſſe innuit, quia plures dignitates Burgundus, quàm Electores, habebat: Sexies enim Dux, quindecies Comes erat; Verùm quia quod jam oſtenſum eſt, non ad dignitatem familiarum , ſed officii in controverſia ſeſſionis reſpiciendum eſt, hæc quoque ratio Electoribus obſtare non debuit , & ſi Pares ad Bullam noſtram de Imperialibus Comitiis loquentem reſpicere noluiſſent , quæ tamen in conventibus aliis eandem rationem habentibus ſimilem ſuppeditare potuit deciſionem, *l.12.l.13.ff.de legib.* movere eos tamen debuit textus eam in rem expreſſus, qui extat *in libro Ceremoniar. Eccleſ.lib.1.ſection.13.cap.3. de Recept. alien. Princ. Elect. Imper.* Principes Electores Romani Imperii, ait, digniores habentur aliis Principibus præter Reges, ſicut Cardinales aliis Prælatis ratione Electionis: Burgundus Rex non erat, præferendi ergo fuerant Electores. Verùm hocce Baſilienſis Concilii decreto haud dubiè Carolus Philippi filius nixus

in Comitijs quoque Ratisponensibus A. 1471. primum locum Electoribus per suos Legatos præripere conatus fuit: cùm enim post Legatos Electorum collocati, atque ideò despecti priore consessu viderentur, redire in subsellia recusarunt: Electores absentibus collegis qui aderant, quanquam summa cum modestia dignitatem communem tuebantur, Burgundi potentiam sui Principis & in Germanijs & in Gallijs maximam, Electores parem nobilitatem & vetustum morem objiciebant, seque è corpore Cæsaris cum essent, ne regibus quidem si adessent, cedere oportere contendebant. Quæ contentio cum tres propè horas consumsisset, non antea est sublata, quàm Burgundi alteris subsellijs ad frontem Cæsaris inter Oratores Regios locarentur, tunc demum & ipsi auxisse sui Principis dignitatem, quod in ordine absentium Regem sederent, & Electores servasse existimationem suam existimabant, quod excludi à primis subsellijs Burgundi essent, *Campanus tom. 2. scriptor. German. Freher.* cujus loci recitatione commonemur, Electores quoque in conventibus Imperialibus præferendos esse, quod præter textus nostri generalitatem decreto quodam Rudolphi II. clarescit, cui hæc inter alia verba inserta erant. Daß der Churfürsten Hoheit vnd Authoritet mit eines Römischen Keysers Gewalt vnd Hoheit / daher sie auch fleust / dermassen verbunden/daß eine ohne die ander nicht verschmelert werden/auch ohne die ander nicht bestehen kan/ ja daß die höchste Würde der Churfürsten/damit sie vor andern (NB) Königen vnd Potentaten gezieret / eben diese ist / daß sie einen Römischen Keyser/ dessen Hoheit/Authoritet/vnd Gewalt alle andere vbertrifft/von der auch alle andere herfleust / zu wehlen haben/ quod Regis Angliæ Legatus intelligens in coronatione Caroli V. sicut & nuntius Apostolicus pompæ adesse non sustinuerunt, ne ordinarentur, inquit Harm. Maur. post Principes Electores, rati per hoc Principum suorum dignitati derogari, quanquam si textum nostrum penitius perpendamus, de eo non improbabiliter dubitari posset. Eo signanter expresso, habet textus, quod nominatim Rex Bohemiæ in celebratione curiarum hujusmodi, in omnibus & singulis actibus quemcunque Regem alium, quacunque etiam singulari dignitatis prærogativa fulgentem, quem quovis casu venire, vel adesse fortè contigerit, immutabiliter antecedat, quo ex textu colligitur, si Rex Bohemiæ nomi-

nominatim Reges alios antecedere debet, cæteris utiq; Electoribus id inhibitum erit, qui quamvis Regibus comparentur, Reges tamen non sunt: Comparatum enim comparato simile quidem, sed non idem est, unde & nominibus & insigniis Regum carent, *Heig.quæst.4.num.51.lib.1.* Quapropter in *d.libro Ceremoniarum* Electores dignitate Regibus cedere dicitur. Sed hæc ex observantia decidi debent, nec novum est, etiã eum, qui in majori dignitate est, ratione temporis vel loci ei, qui in minori constitutus est, postponi, *c.collatione de Appell.in 6.* quod exemplo Regis Bohemiæ ex hoc textu demonstrari potest, qui etsi antiquitate & potentiâ Regibus Galliæ & Hispaniarum cedat, attamen quia & Rex, & ut Elector in actibus Imperialibus consideratur, eos antecedit, extra quos in aliis Principum conventibus tantum abest, ut Bohemo illi cedant, ut Gallus aliquando non erubuerit, cum Carolo V. electo Romanorum Rege in certamen de loco digniore venire. Nam cum An.1521. Caleti eorum Legati convenissent, Antonius de Præto celebris JCtus & Cancellarius Regis Galliæ Mercurio Caroli Cancellario hac de causa præcedentiæ quæstionem movit, quod licet Carolus in Romanorum Regem electus esset, tamen quia nondum à Pontifice unctus erat, Gallo, ut uncto Regi cum cedere debere contendebat, *Chassan.p.5.consid.29.in Catal.Glor.mund.Anton. Quetta cons.1.* Sanè Bohemiæ Regis majestatem propter Regni sui angustias nimium deprimunt nonnulli *Hostiens.in C.constitutus de testib.* Trium quippe dierum itinere diametrum expedito patet *Æneas Sylv.cap.1. hist.Bohemic.* qui tamen intelligere debebant, majestatis jura locorum spatiis aut regionum amplitudine non definiri: Nam Eumenes fractis opibus nihil præter arcem, in qua obsidebatur, suum dicere poterat, cùm tamen de pace ageretur cum Antigono Asiæ Rege, qui ut potentiâ, sic etiam dignitate superior videri vellet, Legatis Antigoni respondit, superiorem se neminem accepturum, quamdiu gladium exertum manu teneret, *Bodin.lib.1. de Republ.cap.9.* Et rectè, nam, ut Logici tradunt, majus & minus diversas species non constituunt: Quapropter licet Regis ditio unius scopuli terminis finiatur, sicut de Regno Ulyssis Horatius dicit, Si tamen nullum superiorem præter Deum & ensem agnoscat eam majestatem sibi, quam mundi domitor Alexander Magnus assumere

 potest,

poteſt,nec enim multitudo ſubjectorum, ſed libertas regnandi majeſtatem tribuit,unde rectè *Menocb. ait Conſil 36. numer. 51.* non eſt bona conſequentia,Eſt potentius. Ergo dignius,& *Knichen. cap. 2. verb. Ducum numer. 68. ac non provocand. jur.* dicit latior finium vel territorii amplitudo minimè efficit principatum digniorem, ut alium præcedat conſtituendo illuſtriorem, *arg. cap. legimus diſt. 93.* Antigoni quidem ad exemplum Rex Hiſpaniarum Philippus II. fretus tot Regnorum & Provinciarum latitudine non ſemel Regibus Galliarum de ſeſſione controverſiam movit: His enim quamvis poſt Imperatorem cæteri Principes cedere conſtituerunt, *Bodin. dict. lib. 1. cap. 9. de Republ.* Is tamen peracto Conſilio Tridendino hanc potentiæ ac fortunæ ſuæ fiducia prærogativam tanquam ſibi debitam jam ſpe devoraverat,ut ait *Thuan. lib 35. Hiſtoriar.* de primo loco importunis apud Pontificem efflagitationibus ſecundùm ſe pronunciari petebat,quod cum obtinere in Aula Romana non poterat,*Thuan. dict. loc.* præſentationibus variis apud Maximilianum Imperatorem gentilem ſuum effecit,ut Principis loco prærogativa in aula Cæſarea Legatis Gallicis denegaretur, *Thuan. lib. 49. Hiſtoriar.* quæ tam inſignis injuria viſa eſt Galliæ Amiralio Colimio in edito ſuo ſcripto ad Carolum IX. Regem Galliarum, ut inter cæteras bellum propter eam Philippo inferri poſſe exiſtimaverit.*Thuan. dict. lib. 49.* res certè periculi plena eſt, magnatibus veteris dignitatis terminos intervertere,ſicuti ejus rei exempla apud *Crantz. lib. 6. cap. 46. in Saxon.* de Archiepiſcopo Colonienſi & Abbate Fuldenſi, *Nauclerum vol. 2. Generat 36.* de Moguntino & eodem Abbate videre licet: Eſt enim illis quaſi innatum circa honores ſui prærogativas cautè verſari,nec ullius rei jacturam gravius, quàm ejuſdem imminutionem patiuntur, quod intelligens Frideric. I. Imperator ſuper controverſia Colonienſis & Fuldenſis interpellatus prudenter reſpondit, veteres approbamus, ut tenemur,imperii conſuetudines,quocirca major an minor æquo diſcrimine eſt, *Crantz. dict. cap. 46.* quare pro loco Imperatori debito retinendo rectè David Ungnadius Baro Legatus Conſtantinopoli diſceſſurus, Suldanoque valedicturus,cum à Perſico Legato ſibi primum locum præreptum cerneret, eo inſalutato diſcedere voluit&c

fuit & debuit, nisi Machemetes Bassa, qui eam rem animadverterat, Persam inferiore loco sedere jussisset, *Johan. Leunclavius in supplem. Annal. Ottomannic.* Honorabilior quippe est, qui primo loco sedet, *l. decernimus. ibid. Gloss. C. de SS. Eccles. Anton. Quetta consil. 1. num. 4.* Imperator verò noster Rege Persarum major est, Legatus ergo ejusdem locum honoratiorem domino suo interverti jure impedivit, cumque majestatis praeeminentiaeque intuitu Legato Caesaris hoc quoque in Aula Turcica dari soleat, ut sedendo, aliorum Regum & Principum Legati stando mandata sua exponere soleant: Rectè quoque Caroli V. Imperat. Legatus, cùm ad exponenda mandata accitus aliquandiu stetisset, neque considere jussus fuisset, pallio, quod habebat, substrato insedit, & mandata sui Principis intrepidè exposuit, mox consurgens pallium, quod substraverat, reliquit, interrogatus à Turcis, cur id faceret, Caesaris Legatum sellam sibi portare non solere salsè respondit, *Christoph. Varsevicius in Orat. de Legat. & legationib.* In Regum itaque & Principum sessionibus series publica turbanda non est, *l. ult. C. de primicer. Knich. d. c. 2. n. 73.* Fieri enim vix potest, quin nôn eâ turbatâ inter eos turbae excitentur periculosae: generosi Spiritus quidvis potius, quàm injurias perferre solent, quod Dux, nescio quis à Carolo VII. Galliarum Rege interrogatus, quanam ratione à fidelitate tot experimentis hactenus sibi perspecta abduci posset, ostendere hac responsione voluit, si vel semel contumeliosè aliquid in me dixeris vel feceris, & exemplo suo Andreas Doria, Maris Praefectus demonstravit, qui à Francisco I. Rege Galliae, quòd verbo parum honorifico ipsum exceperat, ad Carolum V. Imper. transivit, *Caspar. Ens lib. 1. Epidorp.* Carolus quoque Borbonius ob demandatam primae aciei curam Alemonio, quàm sibi dèberi dicebat, ad eundem Imperatorem defecit, *Jovius lib. 22. Historiar.* ut mitius quoque, quàm ab exteris fiat, de Principum Germaniae concertationibus sessionum intuitu sentiendum sit. Nam cùm nobilissimi illi sint, & non ambitu de praerogativa ordinis, sed ut cuique dignitas familiae suae salva sit, disputent, injurius utique in se fuerit, qui posthabitâ dignitatis ratione minori cedere vellet, quod nec consuetudine, quae omnium tamen rerum domina esse perhibetur, *Gell. lib. 12. Noct. Atticar. 13.* induci potest, *Knich. d. c. 2. num. 25.* Rectè & ad passum prae-

ſentem appoſitè. *Menoch.conſil.51.num.3.vol.1.* qui non ambitu & ſuperbia, ait, de ordinis obſervatione contendunt, laudem merentur. Nam ii nihil aliud mihi agere videntur, quàm ut à Deo ordinata, & rectè conſtabilita tueantur, ita pariter ii naturam defendunt humanam, quæ (ut autor eſt *Juſtin. in cap. ordinationem Novell. de Monach.*) neque omnes per ordinem inter ſummos, neq; rurſus omnes inter noviſſimos conſtituit. Jura quoque ii Pontificià atque Cæſarea obſervare juſtè ſtudent, ſiquidem jus Pontificium ſtatuit, ordinum dignitàtem & gradus fore obſervandos, *cap. ſolitæ de major. & obed.cap.ut debitus de appellat.ca.ex ore de privil.* ita etiam jus Cæſareum ſtatuiſſe videmus, *l.honor.§.gerendorum l.ut gradatim ff. de mun & honor.tot.tit.C.ut dignit.ord.ſervet. lib.12.* quanquam nihil ab ipſorum dignitate alienum faciant, ſi in Comitiis Imperialibus parcius quæſtionem ſeſſionis tractent, utilitas quippe imperii & bonum publicum privatis contentionibus, diſcordiaque locali impediri non debet, rectè Carolus noſter, decor & gloria Sacroſancti Romani Imperii, ait, & honor Cæſareus, & Reipub. grata compendia Illuſtrium Principum voluntate concordi foventur, *in princ. cap.3.* præcipiumque æſtimatur fundamentum & conſtantis principatus unum & inexpugnabile munimentum concordia civium & ſubjectorũ, & ut navis compactis & benè conjunctis tabulis infinita propemodum maris pericula, Syrtes, & cautes ſuperat, & evitat, ſic ubi tabulæ diſſolutæ ſunt, per rimas & fiſſuras paulatim aqua ingrediens in profundum & ipſas, & vectores, & nautas demergit: Et ſicuti modicæ commiſſuræ aquæ dant ad ſubmerſionem initium, & niſi jungantur, cauſam interitus præbent: ſic quoque leves ab initio cauſæ Reipub. niſi citò ſubveniatur, mutationem & factionibus & diſcordia ſolent afferre, *Petr.Gregor.Tholoſ.lib.23.cap.1. num.3.in f.de Repub.* Penſitandumque illis erit, quod Hieron. Avennatus ad illos & cæteros ordines in Comitiis Ratiſponenſibus An. 1594. congregatos ſcripſit:

O proceres, proceres, dum qua quis ſede ſedere
Debeat, inter vos rixæ miſcentur & iræ:
Ne veſtras ſedes, & ne chariſſima quæq;
Eripiat vobis crudelis Turca, cavete.

Illum

Illum etenim semper discordia vestra potentem
Fecit & illius victricia reddidit arma.
Ponite jam, quid cessatis? rogo ponite vanos
Invidiæ morsus, odia & mala jurgia, tempus
Inq; aliud magis appositum differte querelas:
Publica ne pereant privatos propter honores
Commoda.

Verùm disceptatio ordinis & sessionis singulis Comitiis recrudescere solet, sicut Legati Principum se in aliorum quandoque locum violenter intrudant, indeque rursum exturbenter, *Adamus Keller. lib. 2. cap. 8. de offic. juridico Politic.* & de ordine & sessione disceptantes Principes fundamenta deducunt, duplicant, triplicant, quandoque etiam concludunt, sententia tamen ad silenda loca se confert, ait *Knich. dict. cap. 2. num. 33.* Rationem, qua ad unitatem inter Principes inducendam perveniri posset, nonnulli inquirunt, putavitque Legatus quidam, taxillis sessionis controversiam terminari posse, Man solte mit Würffeln darumb spielen / Alii judicio sortis honestius finiri arbitrantur, *Ventur. de Valent. cap. 5. num. 9. lib. 2. in Parth. litigios.* Pro rostris imperii pendet lis, ejusque diremptio *Knich. dict. cap. 2. num. 123.*

Ad Titulum VII.

De

SUCCESSIONE PRINCIPUM.

Quis Electore mortuo ei in Electoratu succedere debet?

THESIS II.

Successio Jure civili duplex est, Testamentaria, quæ ex testamento, Et legitima, quæ ab intestato defertur, *§. f. Inst. per quas person. cuique acquir.* In Electoratu testamentariæ locus non est, *c. unic. de success. feud.* Lex enim publica certum designavit successorem,

rem,quem provisione sua Elector repudiare nequit,*Novell. 22.cap.2. l.nemo potest.ff.de legat.1.*adeoque potentius est,quod in albo , quàm quod in testamento loquitur,ut ait *Quintil. declamat.374.* Pertinetque Electoratus ut feudum Regale ad Imperium : De rebus autem ad alium pertinentibus dispositio testamentaria cessat,*l. verbis legis.ff.de V.S.*

III.

Legitima ergò sola obtinet,cujus etsi quidem jure Civili triplex ordo,nempe ascendentium,descendentium & collateralium reperiatur,*Novell.118.*In Electoratu tamen textus noster ascendentium rationem nullam habet , vel quia ad descendentes , non nisi mortuis illis successio devolvi solet?aut etiam , quia qui Electoratum acquirit,sibi & liberis,non etiam parentibus suis prospicere censetur? *c.1.ibid.Hotom.de natur.success.feudi.*Casus tamen ille excipi debet , quando filius respectu patris ob bene merita ejus de Electoratu investitus fuit,tunc quippe filio sinè herede masculo decedente pater in Electoratu succedere debet , per tradita *Alvarot.in c. unic.n.7.Matth.de Afflict.n. 2.de natur.success.feud.*Meritorum quippe ratione multa permittuntur,quæ aliàs juris dispositione non recipiuntur,*Tiraquell.in l.si unquam,verb.donatione elargitus , nu.11.& seqq.C.de revocand.donat.*Excipi itidem & casus ille potest, quo pater filii intuitu Electoratu cessit,exemplum *Crantz.lib.12.c. 4. in Saxonica* de Friderico Luneburgensi,qui filio Bernhardo Ducatum cessit,recitat,hoc quippe pater non ut filii successor , sed primi acquirentis,& post succedentium habetur,*Præposit.in c.unic. num. 2.de Vasall.decrep.ætat.*Et cum causa cessionis filius fuerit,æquum est eo sublato,cessionis effectum cessare,*l.jubemus ibid.Barthol.C.ad SCtũ Vellejan.l.pactum ibid.Bald. C. de collat.* Lugubre quippe foret,Electoratu simul & filio orbari,*argum.l.6.in pr.ff.de jur.dot. Mynf. cent. 3.observat.93.*

IV.

Descendentium autem appellatione in successione feudorum quidem non solùm filii,sed & nepotes veniunt , hique cum illis simul avo succedunt,*c.un.vers.& quia vidimus.de his qui feud.dar.poss. c.un.de feud.success.Henning.Gœd.Consil.6.n.11.Roland.à Vall.1. Consil. 68.n.22.* Per hanc Bullam tamen ab illo Jure receditur,siquidem

tantum

tantum abest,ut in Electoratu nepotum,cum filiis concurrentium ratio habeatur,ut nec ipsi filii si plures sint,simul patri Electori succedere possint. Decernimus, inquit Carolus noster,ut postquam iidem Principes Electores seculares,& eorum quilibet esse desierit, jus,vox,& potestas Electionis hujusmodi ad filium suum primogenitum legitimum Laicum devolvatur: Quod quidem primum juris de novo introducti circa successionem Electoralem est : ante hanc Bullam enim non solùm primogeniti , imò & alii etiam tertiogeniti,seu à latere descendentes,verba sunt Principum ad Urbanum Papam,se Comites Palatinos Rheni, Duces Saxoniæ vel Marchiones Brandeburgenses , & Electores Sacri Imperii vulgariter nominabant,*Freher.de legit.tutel.curaq; Electoral.rubr.occasio legis* , exemplum extat apud *Aventin.lib.7.Annal.Bojor.fol.777.* Benedicti XII. Pontificis Maximi anno quarto,ait,in Pomario vici Rhenosei, in ripa Rheni amnis,ubi ferè Septemviri Cæsariani Electores convenire,atque de summis imperii rebus colloqui solent , Heinricus Moguntinus, Valentinus Agrippinensis, Balduinus Trevirorum Archymista,Rudolphus,Ruperti duo,& Stephanus Præfecti Prætorio Rheni,cùm nondum decretum foret,quisnam eorum Comitiis Cæsaris suffragium ferret , Rudolphus Dux Saxoniæ, Ludovicus Brandeburgensis limitis præfectus in Electione discordi Friderici & Ludovici,Rudolphus & Ludovicus fratres Duces Bavariæ Palatinique Rheni ambo Electionis partes sustinuerunt, *Cuspinian. de divis.Imperii ob duos competit.facta.*Et cum Guntherus Schwarzenburgicus Carolo nostro opponeretur , illius Electioni Rudolphus Dux Bavariæ consentiente fratre Ruperto suum adsensum præbuit. *Cuspian.in vita Guntheri* Ericus quoque Dux Saxoniæ in Guntheri designatione adfuit,illi enim jus eligendi, inquit Cuspinian. competebat tanquam filio fratris senioris Rudolphi Ducis Saxoniæ,qui Carolum nostrum elegerat,*Crantz lib.9.cap.26.in Saxonia*, qui & alibi tradit,quod Carolus noster inter hosce dissidentes Principes eam fecerit concordiam,ut alternis vicibus ad electionem utrique vocarentur,*lib.12.cap.4.in Saxon.* sicuti & in divisione à Ludovico cum Rudolphi Electoris filiis adjectum fuit, quod primam electionem Romanorum Regis haberent Principes à Rudolpho descendentes,alteram verò Principes à Ludovico Imperatore manantes,

& hæc alternatio inter ipsos & eorum hæredes perpetuis temporibus duraret, *Aventin.lib.7.Annal.Bojorum fol.753.* atque hoc pactum, subjicit ille, quamobrem nunc sit antiquatum, atque pro obsoleto, irritoque habeatur, nisi nostram ignaviam accusare velim, haud scio: Verùm oculos in hanc bullam conjicienti causam sublatæ alternationis jus primogenituræ esse facilè constare poterit. Nam cum eâ primogenito jus, vox, & potestas Electionis tributa sit, consequens utique per eam reliquos, nec enim natura plures primogenitos profert, electionis jure exclusos esse: suasitq; juris novi constitutionem ratio illa, quam Principes Imperij in dicto suo scripto ad Urban. Papam tangunt, possent, inquit ex nominatione hujusmodi se postea ad vocem Romani Regis electione jus habere, prætendere, numerumque Principum Electorum, qui septenario concludi debet, multiplicare, *Freher. d. loco.* Uni ergo ad vitandam multiplicationem jus eligendi concedi debuit, qui non secundò, non tertio, aut ulteriori loco, sed primogenitus statuitur. Et rectè: Huic enim & Dei præscriptum, ipsa natura, & commune Gentium votum adsistunt, quod Perseus major Demetrij Regis filius, cùm fratrem suum apud patrem tanquam vitæ suæ insidiantem accusaret, ostendit. Regnare utique vis, ait, huic spei tuæ obstat ætas mea: obstat jus Gentium, obstat vetustus Macedoniæ mos, obstat etiam patris judicium: huc transcendere nisi per meum sanguinem non potes, Livius lib. 40.

V.

Verùm quid si primogenitus ille, antequam dignitatem Electoralem consequitur, filio relicto & superstite fratre decedat, utrum hic patri, an ille avo Electori succedere debeat? Vexatissima apud vetustiores fuit controversia, quam Otto I. Imperator gladio dirimendam esse judicavit; & vicit pars eorum, inquit *VVitichindus lib. 2. Gestor. Saxonic.* qui filios filiorum computabant inter filios, & firmatum est, ut æqualiter cum patruis hæreditatem dividerent pacto sempiterno, quæ constitutio Ottonis privatorum successiones concernere videtur, æqualemq; cum patruis inducit partitionem: Quæstio nostra est de Electoratu & unius exclusione: nepotis causam Carolus hic probat, illo, inquit, scilicet primogenito non extante, ad ejus primogeniti primogenitum simi-

ſimiliter Laicum liberè & ſinè contradictione cujuspiam devolvatur. Quod alterum juris noviter introducti in hac Electorali ſucceſſione eſt: Fuit enim ante Bullam hanc tempus, quo patruus nepotem Electoratu excluſerit, quod factum tempore Rudolphi Electoris Palatini, qui relictis tribus filiis Adolpho, Rudolpho & Ruperto, primogenitoq; Adolpho ſcilicet mortuo, non ejus filius, ſed eo neglecto & ſub tutela retento Rudolphus patruus Palatinatum & Electoratum tenuit, non, inquit, *Freher.d.loco* ſub ſpecie tutelæ, ut aliqui putarunt, ſed ſuo, proprioq; jure: ita volente & ordinante ipſo Ludovico Cæſare, ejusq; filio Ludovico Romano tunc Marchione Brandenburgenſi, & mortuo Rudolpho ſinè prole, Rupertus frater ejusdem neglecto itidem Adolphi filio Electoratum & ad eum ſpectantia, ſibi dum vixit, retinuit: quoniam non alia, quàm ætatis ratio tunc habita fuit, ut ex *Heinrico Rebdorffio* circa Annum D.1313. colligere eſt. Rudolphus Palatinus ait, Comes ſenior, Dux ſuperioris Bojariæ, Colonienſis Archiepiſcopus, & Dux Saxoniæ ſenior, &c. & apud *Cuſpin.in vita Gunth.* Senioris Rudolphi Ducis Saxoniæ mentio fit. Verùm contra illam ætatis prærogativam pro nepote Carolus concludit, quia ut Juſtinian. ait, æquum eſt nepotes in patris ſui locum ſuccedere, *§ cum filius filiave Inſt. de hæred. quæ ab inteſt: defer.* Patens autem nepotis patruum ſuumq; fratrem Electoratu excluſiſſet, ſimiliter nepos illum ſubmovebit, qualitas enim primogenij, quam habuit primogenitus, ſecundo genito tribui vivente nepote non poteſt, ſuccedi autem Electori patri nequit, niſi per illam qualitatem, quæ nepoti per patrem ſuum acquiſita eſt, filius quippe patris ſui perſonam repræſentat, & cum illo unus idemq; reputatur, *l.f.C. de impub. & aliis ſubſtitit. latiſſimè Tirequell. quæſt.40. de jure primogen. Petr.Gregor.Tholoſ.lib. 7. c. 10. de Republ. Hotoman. Illuſtr. quæſt. 3. Daniel. Moller. 1. ſemeſtr. c. 40.*

VI.

Quid verò ſi primogenitus abſque hæredibus maſculis & legitimis, naturalium quippe & ſpuriorum in hac Electoratus ſucceſſione ratio non habetur, *Petr.Gregor.Tholoſan.lib.7.c.8.de Repub.* moriatur? Virtute præſentis Imperialis edicti, ait Carolus, jus, vox & poteſtas electionis ad ſeniorem fratrem Laicum per veram paternalem lineam deſcendentem, & deinceps ad illius primo-

 genitum

in Comitijs quoque Ratiſponenſibus A. 1471. primum locum Electoribus per ſuos Legatos præripere conatus fuit: cùm enim poſt Legatos Electorum collocari, atque ideò deſpecti priore conſeſſu viderentur, redire in ſubſellia recuſarunt: Electores abſentibus collegis qui aderant, quanquam ſumma cum modeſtia dignitatem communem tuebantur, Burgundi potentiam ſui Principis & in Germanijs & in Gallijs maximam, Electores parem nobilitatem & vetuſtum morem objiciebant, ſeque è corpore Cæſaris cum eſſent, ne regibus quidem ſi adeſſent, cedere oportere contendebant. Quæ contentio cum tres propè horas conſumſiſſet, non antea eſt ſublata, quàm Burgundi alteris ſubſellijs ad frontem Cæſaris inter Oratores Regios locarentur, tunc demum & ipſi auxiſſe ſui Principis dignitatem, quod in ordine abſentium Regem ſederent, & Electores ſervaſſe exiſtimationem ſuam exiſtimabant, quod excludi à primis ſubſellijs Burgundi eſſent, *Campanus tom. 2. ſcriptor. German. Freber.* cujus loci recitatione commonemur, Electores quoque in conventibus Imperialibus præferendos eſſe, quod præter textus noſtri generalitatem decreto quodam Rudolphi II. clareſcit, cui hæc inter alia verba inſerta erant. Daß der Churfürſten Hoheit vnd Authoritet mit eines Römiſchen Keyſers Gewalt vnd Hoheit / daher ſie auch fleuſt / dermaſſen verbunden/daß eine ohne die ander nicht verſchmelert werden/auch ohne die ander nicht beſtehen kan/ ja daß die höchſte Würde der Churfürſten/damit ſie vor andern (NB) Königen vnd Potentaten gezieret / eben dieſe iſt / daß ſie einen Römiſchen Keyſer/ deſſen Hoheit/Authoritet/vnd Gewalt alle andere vbertrifft/von der auch alle andere herfleuſt / zu wehlen haben/ quod Regis Angliæ Legatus intelligens in coronatione Caroli V. ſicut & nuntius Apoſtolicus pompæ adeſſe non ſuſtinuerunt, ne ordinarentur, inquit Harm. Maur. poſt Principes Electores, rati per hoc Principum ſuorum dignitati derogari, quanquam ſi textum noſtrum penitius perpendamus, de eo non improbabiliter dubitari poſſet. Eo ſignanter expreſſo, habet textus, quod nominatim Rex Bohemiæ in celebratione curiarum hujuſmodi, in omnibus & ſingulis actibus quemcunque Regem alium, quacunque etiam ſingulari dignitatis prærogativa fulgentem, quem quovis caſu venire, vel adeſſe fortè contigerit, immutabiliter antecedat, quo ex textu colligitur, ſi Rex Bohemiæ nomi-

nominatim Reges alios antecedere debet, cæteris utiq; Electoribus id inhibitum erit, qui quamvis Regibus comparentur, Reges tamen non sunt: Comparatum enim comparato simile quidem, sed non idem est, unde & nominibus & insigniis Regum carent, *Heig.quæst.4.num.51.lib.1.* Quapropter in *d.libro Ceremoniarum* Electores dignitate Regibus cedere dicitur. Sed hæc ex observantia decidi debent, nec novum est, etiã eum, qui in majori dignitate est, ratione temporis vel loci ei, qui in minori constitutus est, postponi, *c.collatione de Appell.in 6.* quod exemplo Regis Bohemiæ ex hoc textu demonstrari potest, qui etsi antiquitate & potentiâ Regibus Galliæ & Hispaniarum cedat, attamen quia & Rex, & ut Elector in actibus Imperialibus consideratur, eos antecedit, extra quos in aliis Principum conventibus tantum abest, ut Bohemo illi cedant, ut Gallus aliquando non erubuerit, cum Carolo V. electo Romanorum Rege in certamen de loco digniore venire. Nam cum An.1521. Caleti eorum Legati convenissent, Antonius de Præto celebris JCtus & Cancellarius Regis Galliæ Mercurio Caroli Cancellario hac de causa præcedentiæ quæstionem movit, quod licet Carolus in Romanorum Regem electus esset, tamen quia nondum à Pontifice unctus erat, Gallo, ut uncto Regi eum cedere debere contendebat, *Chassan.p.5.consid.29.in Catal.Glor.mund.Anton.Quetta cons.1.* Sanè Bohemiæ Regis majestatem propter Regni sui angustias nimium depriment nonnulli *Hostiens.in C.constitutus de testib.* Trium quippe dierum itinere diametrum expedito patet *Æneas Sylv.cap.1. hist.Bohemic.* qui tamen intelligere debebant, majestatis jura locorum spatiis aut regionum amplitudine non definiri: Nam Eumenes fractis opibus nihil præter arcem, in qua obsidebatur, suum dicere poterat, cùm tamen de pace ageretur cum Antigono Asiæ Rege, qui ut potentiâ, sic etiam dignitate superior videri vellet, Legatis Antigoni respondit, superiorem se neminem accepturum, quamdiu gladium exertum manu teneret, *Bodin.lib.1. de Republ.cap.9* Et rectè, nam, ut Logici tradunt, majus & minus diversas species non constituunt: Quapropter licet Regis ditio unius scopuli terminis finiatur, sicut de Regno Ulyssis Horatius dicit, Si tamen nullum superiorem præter Deum & ensem agnoscat eam majestatem sibi, quam mundi domitor Alexander Magnus assumere

poteſt, nec enim multitudo ſubjectorum, ſed libertas regnandi majeſtatem tribuit, unde rectè *Menoch. ait Conſil 36. numer. 51.* non eſt bona conſequentia, Eſt potentius. Ergo dignius, & *Knichen. cap. 2. verb. Ducum numer. 68. ad non provocand jur.* dicit latior finium vel territorii amplitudo minimè efficit principatum digniorem, ut alium præcedat conſtituendo illuſtriorem, *arg. cap. legimus diſt. 93.* Antigoni quidem ad exemplum Rex Hiſpaniarum Philippus II. fretus tot Regnorum & Provinciarum latitudine non ſemel Regibus Galliarum de ſeſſione controverſiam movit: His enim quamvis poſt Imperatorem cæteri Principes cedere conſtituerunt, *Bodin. dict. lib. 1. cap. 9. de Republ.* Is tamen peracto Concilio Tridendino hanc potentiæ ac fortunæ ſuæ fiducia prærogativam tanquam ſibi debitam jam ſpe devoraverat, ut ait *Thuan. lib 35. Hiſtoriar.* de primo loco importunis apud Pontificem efflagitationibus ſecundùm ſe pronunciari petebat, quod cum obtinere in Aula Romana non poterat, *Thuan. dict. loc.* præſentationibus variis apud Maximilianum Imperatorem gentilem ſuum effecit, ut Principis loco prærogativa in aula Cæſarea Legatis Gallicis denegaretur, *Thuan. lib. 49. Hiſtoriar.* quæ tam inſignis injuria viſa eſt Galliæ Amiralio Colimio in edito ſuo ſcripto ad Carolum IX. Regem Galliarum, ut inter cæteras bellum propter eam Philippo inferri poſſe exiſtimaverit. *Thuan. dict. lib. 49.* res certè periculi plena eſt, magnatibus veteris dignitatis terminos intervertere, ſicuti ejus rei exempla apud *Crantz. lib. 6. cap. 46. in Saxon.* de Archiepiſcopo Colonienſi & Abbate Fuldenſi, *Nauclerum vol. 2. Generat. 36.* de Moguntino & eodem Abbate videre licet: Eſt enim illis quaſi innatum circa honores ſui prærogativas cautè verſari, nec ullius rei jacturam gravius, quàm ejuſdem imminutionem patiuntur, quod intelligens Frideric. I. Imperator ſuper controverſia Colonienſis & Fuldenſis interpellatus prudenter reſpondit, veteres approbamus, ut teneamur, imperii conſuetudines, quocirca major an minor æquo diſcrimine eſt, *Crantz. dict. cap. 46.* quare pro loco Imperatori debito retinendo rectè David Ungnadius Baro Legatus Conſtantinopoli diſceſſurus, Suldanoque valedicturus, cum à Perſico Legato ſibi primum locum præreptum cerneret, eo inſalutato diſcedere voluit &

luit & debuit, nisi Machemetes Bassa, qui eam rem animadverterat, Persam inferiore loco sedere jussisset, *Johan. Leunclavius in supplem. Annal. Ottomannic.* Honorabilior quippe est, qui primo loco sedet, *l. decernimus. ibid. Gloss. C. de SS. Eccles. Anton. Quetta conf. 1. num. 4.* Imperator verò noster Rege Persarum major est, Legatus ergo ejusdem locum honoratiorem domino suo interverti jure impedivit, cumque majestatis praeeminentiaeque intuitu Legato Caesaris hoc quoque in Aula Turcica dari soleat, ut sedendo, aliorum Regum & Principum Legati stando mandata sua exponere soleant: Rectè quoque Caroli V. Imperat. Legatus, cùm ad exponenda mandata accitus aliquandiu stetisset, neque considere jussus fuisset, pallio, quod habebat, substrato insedit, & mandata sui Principis intrepidè exposuit, mox consurgens pallium, quod substraverat, reliquit, interrogatus à Turcis, cur id faceret, Caesaris Legatum sellam sibi portare non solere falsè respondit, *Christoph. Varsevicius in Orat. de Legat. & legationib.* In Regum itaque & Principum sessionibus series publica turbanda non est, *l. ult. C. de primicer. Knich. d. c. 2. n. 73.* Fieri enim vix potest, quin non eâ turbatâ inter eos turbae excitentur periculosae: generosi Spiritus quidvis potius, quàm injurias perferre solent, quod Dux, nescio quis à Carolo VII. Galliarum Rege interrogatus, quanam ratione à fidelitate tot experimentis hactenus sibi perspecta abduci posset, ostendere hac responsione voluit, si vel semel contumeliosè aliquid in me dixeris vel feceris, & exemplo suo Andreas Doria, Maris Praefectus demonstravit, qui à Francisco I. Rege Galliae, quòd verbo parum honorifico ipsum exceperat, ad Carolum V. Imper. transivit, *Caspar. Ens lib. 1. Epidorp.* Carolus quoque Borbonius ob demandatam primae aciei curam Alemonio, quàm sibi deberi dicebat, ad eundem Imperatorem defecit, *Jovius lib. 22. Historiar:* ut mitius quoque, quàm ab exteris fiat, de Principum Germaniae concertationibus sessionum intuitu sentiendum sit. Nam cùm nobilissimi illi sint, & non ambitu de praerogativa ordinis, sed ut cuique dignitas familiae suae salva sit, disputent, injurius utique in se fuerit, qui posthabitâ dignitatis ratione minori cedere vellet, quod nec consuetudine, quae omnium tamen rerum domina esse perhibetur, *Gell. lib. 12. Noct. Atticar. 13.* induci potest, *Knich. d. c. 2. num. 25.* Rectè & ad passum prae-

sentem apposité. *Menoch.consil.51.num.3.vol.1.* qui non ambitu & superbia, ait, de ordinis observatione contendunt, laudem merentur. Nam ii nihil aliud mihi agere videntur, quàm ut à Deo ordinata, & rectè constabilita tueantur, ita pariter ii naturam defendunt humanam, quæ (ut autor est *Justin. in cap. ordinationem Novell. de Monach.*) neque omnes per ordinem inter summos, neq; rursus omnes inter novissimos constituit. Jura quoque ii Pontificia atque Cæsarea observare justè student, siquidem jus Pontificium statuit, ordinum dignitatem & gradus fore observandos, *cap. solitæ de major. & obed. cap. ut debitus de appellat. ca. ex ore de privil.* ita etiam jus Cæsareum statuisse videmus, *l. honor. §. gerendorum l. ut gradatim ff. de mun & honor. tot. tit. C. ut dignit. ord. servet. lib. 12.* quanquam nihil ab ipsorum dignitate alienum faciant, si in Comitiis Imperialibus parcius quæstionem sessionis tractent, utilitas quippe imperii & bonum publicum privatis contentionibus, discordiaque locali impediri non debet, rectè Carolus noster, decor & gloria Sacrosancti Romani Imperii, ait, & honor Cæsareus, & Reipub. grata compendia Illustrium Principum voluntate concordi foventur, *in princ. cap. 3.* præcipiumque æstimatur fundamentum & constantis principatus unum & inexpugnabile munimentum concordia civium & subjectorũ, & ut navis compactis & benè conjunctis tabulis infinita propemodum maris pericula, Syrtes, & cautes superat, & evitat, sic ubi tabulæ dissolutæ sunt, per rimas & fissuras paulatim aqua ingrediens in profundum & ipsas, & vectores, & nautas demergit: Et sicuti modicæ commissuræ aquæ dant ad submersionem initium, & nisi jungantur, causam interitus præbent: sic quoque leves ab initio causæ Reipub. nisi citò subveniatur, mutationem & factionibus & discordia solent afferre, *Petr. Gregor. Tholos. lib. 23. cap. 1. num. 3. in f. de Repub.* Pensitandumque illis erit, quod Hieron. Avennatus ad illos & cæteros ordines in Comitiis Ratisponensibus An. 1594. congregatos scripsit:

O proceres, proceres, dum qua quis sede sedere
Debeat, inter vos rixæ miscentur & iræ:
Ne vestras sedes, & ne charissima quæq;
Eripiat vobis crudelis Turca, cavete.

Illum

Illum etenim semper discordia vestra potentem
Fecit & illius victricia reddidit arma.
Ponite jam, quid cessatis? rogo ponite vanos
Invidiæ morsus, odia & mala jurgia, tempus
Inq; aliud magis appositum differte querelas:
Publica ne pereant privatos propter honores
Commoda.

Verùm disceptatio ordinis & sessionis singulis Comitiis recrudescere solet, sicut Legati Principum se in aliorum quandoque locum violenter intrudant, indeque rursum exturbenter, *Adamus Keller. lib.2.cap.8.de offic.juridico Politic.*& de ordine & sessione disceptantes Principes fundamenta deducunt, duplicant, triplicant, quandoque etiam concludunt, sententia tamen ad silenda loca se confert, ait *Knich.dict.cap.2.num.33.* Rationem, qua ad unitatem inter Principes inducendam perveniri posset, nonnulli inquirunt, putavitque Legatus quidam, taxillis sessionis controversiam terminari posse, Man solte mit Würffeln darumb spielen / Alii judicio sortis honestius finiri arbitrantur, *Ventur.de Valent.cap.5.num.9. lib.2. in Parth.litigios.*Pro rostris imperii pendet lis, ejusque diremptio *Knich.dict.cap.2.num. 123.*

AD TITULUM VII.

De

SUCCESSIONE PRINCIPUM.

Quis Electore mortuo ei in Electoratu succedere debet?

THESIS II.

Successio Jure civili duplex est, Testamentaria, quæ ex testamento, Et legitima, quæ ab intestato defertur, *§.f. Inst.per quas person. cuique acquir.* In Electoratu testamentariæ locus non est, *c.unic.de success.feud.*Lex enim publica certum designavit successorem,

rem, quem provisione sua Elector repudiare nequit, *Novell. 22. cap. 2. l. nemo potest. ff. de legat. 1.* adeoque potentius est, quod in albo, quàm quod in testamento loquitur, ut ait *Quintil. declamat. 374.* Pertinetque Electoratus ut feudum Regale ad Imperium: De rebus autem ad alium pertinentibus dispositio testamentaria cessat, *l. verbis legis. ff. de V. S.*

III.

Legitima ergò sola obtinet, cujus etsi quidem jure Civili triplex ordo, nempe ascendentium, descendentium & collateralium reperiatur, *Novell. 118.* In Electoratu tamen textus noster ascendentium rationem nullam habet, vel quia ad descendentes, non nisi mortuis illis successio devolvi solet? aut etiam, quia qui Electoratum acquirit, sibi & liberis, non etiam parentibus suis prospicere censetur? *c. 1. ibid. Hotom. de natur. success. feudi.* Casus tamen ille excipi debet, quando filius respectu patris ob bene merita ejus de Electoratu investitus fuit, tunc quippe filio sinè herede masculò decedente pater in Electoratu succedere debet, per tradita *Alvarot. in c. unic. n. 7. Matth. de Afflict. n. 2. de natur. success. feud.* Meritorum quippe ratione multa permittuntur, quæ aliàs juris dispositione non recipiuntur, *Tiraquell. in l. si unquam, verb. donatione elargitus, nu. 11. & seqq. C. de revocand. donat.* Excipi itidem & casus ille potest, quo pater filii intuitu Electoratu cessit, exemplum *Crantz. lib. 12. c. 4. in Saxonica* de Friderico Luneburgensi, qui filio Bernhardo Ducatum cessit, recitat, hoc quippe pater non ut filii successor, sed primi acquirentis, & post succedentium habetur, *Præposit. in c. unic. num. 2. de Vasall. decrep. ætat.* Et cum causa cessionis filius fuerit, æquum est eo sublato, cessionis effectum cessare, *l. jubemus ibid. Barthol. C. ad SCtū Vellejan. l. pactum ibid. Bald. C. de collat.* Lugubre quippe foret, Electoratu simul & filio orbari, *argum. l. 6. in pr. ff. de jur. dot. Mynſ. cent. 3. observat. 93.*

IV.

Descendentium autem appellatione in successione feudorum quidem non solùm filii, sed & nepotes veniunt, hique cum illis simul avo succedunt, *c. un. vers. & quia vidimus. de his qui feud. dar. poss. c. un. de feud. success. Henning. Gœd. Consil. 6. n. 11. Roland. à Vall. 1. Consil. 68. n. 22.* Per hanc Bullam tamen ab illo jure receditur, siquidem tantum

tantum abest,ut in Electoratu nepotum,cum filiis concurrentium ratio habeatur,ut nec ipsi filii si plures sint,simul patri Electori succedere possint. Decernimus, inquit Carolus noster,ut postquam iidem Principes Electores seculares,& eorum quilibet esse desierit, jus,vox,& potestas Electionis hujusmodi ad filium suum primogenitum legitimum Laicum devolvatur: Quod quidem primum juris de novo introducti circa successionem Electoralem est : ante hanc Bullam enim non solùm primogeniti , imò & alii etiam tertiogeniti,seu à latere descendentes,verba sunt Principum ad Urbanum Papam,se Comites Palatinos Rheni, Duces Saxoniæ vel Marchiones Brandeburgenses , & Electores Sacri Imperii vulgariter nominabant,*Freher.de legit.tutel curaq; Electoral.rubr.occasio legis* , exemplum extat apud *Aventin.lib.7.Annal.Bojor.fol.777.* Benedicti XII. Pontificis Maximi anno quarto,ait,in Pomario vici Rhenosei, in ripa Rheni amnis,ubi ferè Septemviri Cæsariani Electores convenire,atque de summis imperii rebus colloqui solent , Heinricus Moguntinus, Valentinus Agrippinensis, Balduinus Trevirorum Archymista,Rudolphus,Ruperti duo,& Stephanus Præfecti Prætorio Rheni,cùm nondum decretum foret,quisnam eorum Comitiis Cæsaris suffragium ferret , Rudolphus Dux Saxoniæ, Ludovicus Brandeburgensis limitis præfectus in Electione discordi Friderici & Ludovici,Rudolphus & Ludovicus fratres Duces Bavariæ Palatinique Rheni ambo Electionis partes sustinuerunt, *Cuspinian. de divis.Imperii ob duos competit.facta.* Et cum Guntherus Schwarzenburgicus Carolo nostro opponeretur , illius Electioni Rudolphus Dux Bavariæ consentiente fratre Ruperto suum adsensum præbuit. *Cuspian.in vita Guntheri* Ericus quoque Dux Saxoniæ in Guntheri designatione adfuit,illi enim jus eligendi, inquit Cuspinian. competebat tanquam filio fratris senioris Rudolphi Ducis Saxoniæ,qui Carolum nostrum elegerat,*Crantz lib.9.cap.26.in Saxonia*, qui & alibi tradit,quod Carolus noster inter hosce dissidentes Principes eam fecerit concordiam,ut alternis vicibus ad electionem utrique vocarentur,*lib.12.cap.4.in Saxon.* sicuti & in divisione à Ludovico cum Rudolphi Electoris filiis adjectum fuit, quod primam electionem Romanorum Regis haberent Principes à Rudolpho descendentes,alteram verò Principes à Ludovico Imperatore manantes,

Cc &hæc

ſimiliter Laicum liberè & ſinè contradictione cujuspiam devolvatur. Quod alterum juris noviter introducti in hac Electorali ſucceſſione eſt: Fuit enim ante Bullam hanc tempus, quo patruus nepotem Electoratu excluſerit, quod factum tempore Rudolphi Electoris Palatini, qui relictis tribus filiis Adolpho, Rudolpho & Ruperto, primogenitoq; Adolpho ſcilicet mortuo, non ejus filius, ſed eo neglecto & ſub tutela retento Rudolphus patruus Palatinatum & Electoratum tenuit, non, inquit, *Freher. d. loco* ſub ſpecie tutelæ, ut aliqui putarunt, ſed ſuo, proprioq; jure: ita volente & ordinante ipſo Ludovico Cæſare , ejusq; filio Ludovico Romano tunc Marchione Brandenburgenſi, & mortuo Rudolpho ſinè prole, Rupertus frater ejusdem neglecto itidem Adolphi filio Electoratum & ad eum ſpectantia, ſibi dum vixit, retinuit: quoniam non alia, quàm ætatis ratio tunc habita fuit, ut ex *Heinrico Rebdorffio* circa Annum D. 1313. colligere eſt. Rudolphus Palatinus ait, Comes ſenior, Dux ſuperioris Bojariæ, Colonienſis Archiepiſcopus, & Dux Saxoniæ ſenior, &c. & apud *Cuſpin. in vita Gunth.* Senioris Rudolphi Ducis Saxoniæ mentio fit. Verùm contra illam ætatis prærogativam pro nepote Carolus concludit, quia ut Juſtinian. ait, æquum eſt nepotes in patris ſui locum ſuccedere, *§ cum filius filiave Inſt. de hæred. quæ ab inteſt. defer.* Parens autem nepotis patruum ſuumq; fratrem Electoratu excluſiſſet, ſimiliter nepos illum ſubmovebit, qualitas enim primogenij, quam habuit primogenitus, ſecundo genito tribui vivente nepote non poteſt, ſuccedi autem Electori patri nequit, niſi per illam qualitatem, quæ nepoti per patrem ſuum acquiſita eſt, filius quippe patris ſui perſonam repræſentat, & cum illo unus idemq; reputatur, *l. f. C. de impub. & aliis ſubſtitit. latiſſimè Tirequell. quæſt. 40. de jure primogen. Petr. Gregor. Tholoſ. lib. 7. c. 10. de Republ. Hotoman. Illuſtr. quæſt. 3. Daniel. Moller. 1. ſemeſtr. c. 40.*

VI.

Quid verò ſi primogenitus abſque hæredibus maſculis & legitimis, naturalium quippe & ſpuriorum in hac Electoratus ſucceſſione ratio non habetur, *Petr. Gregor. Tholoſan. lib. 7. c. 8. de Repub.* moriatur? Virtute præſentis Imperialis edicti, ait Carolus, jus, vox & poteſtas electionis ad ſeniorem fratrem Laicum per veram paternalem lineam deſcendentem, & deinceps ad illius primo-

genitum Laicum devolvatur: quod non de alio fratre, quàm ipsius primogeniti defuncti accipi potest: Verùm quid si secundo genitus vivo patre decedat, & filium, fratremque tertiogenitum relinquat, utrum nepos avo, an filius Electori patri succedet? Casus sed varians circumstantiis accidit in progenie Rudolphi I. Electoris Saxoniæ, qui reliquit Rudolphum, Ottonem & Wenceslaum: Secundogenitus Otto relicto filio Alberto prius moritur, pòst Rudolphus superstite Ottonis filio, & fratre Wenceslao. Carolus noster pronunciavit, sic cum Philippus Elector Palatinus reliquisset Ludovicum, Rupertum, Fridericum & Wolffgangum, mortuo primogenito Ludovico, sinè liberis, quæsitum fuit, utrum Fridericus tertiogenitus, an Ruperti secundogeniti filius Otto Heinricus succedere deberet? & Fridericus admissus fuit, quæ exempla cum post nostram Bullam contigerunt, ejus intellectum per observantiam interpretativam inducunt, *Auct. discurs. exoter.* Atqui hoc in casu eadem ratio subesse videtur secundogeniti relicti filii ad patruum tertiogenitum, quæ primogeniti filii ad secundogenitum patruum est, repræsentatio nempe, & propter eam primogenii qualitas: Nam illa mortuo primo protinus secundogenito acquiritur, *Ludovic. Molina cap. 5. num. 50. lib. 1. de Hisp. primog. Tiraq. quæst. 41. de jur. primogen.* ita ut jus non aliud de illo quàm circa hunc constitui posse videatur, cumque Bulla nostra secundogenitum tertio prætulerit, & ejus liberos eidem prætulisse credimus, *arg. l. cùm avus. ff. de condit. & demonstrat. l. cùm acutissimi C. de fideicommiss.* Estque quæstio nostra de avi successione, quique ultimo decedens locum semper nepoti facit, *Tiraq. d. quæst. 41.*

VII.

Quid si verò primogenitus Clericus fuerit? Et quidem juxta literam expressam Electoratus ad secundogenitum, aut, si & is Clericus fuerit ad tertiogenitum deveniet, qua de causa Albertum Saxoniæ Ducem frater ejusdem, quod sacris initiatus esset, inhabilem electoratu putabat, *Cuspian. de divis. Imperat. ob duos competit. facta,* ne scilicet Ecclesiasticorum numerus, qui ternario concludi debet, multiplicetur.

Quod

VIII.

Quod an etiam ad administratores Episcopatuum vel Archiepiscopatuum conjugatos Augustanæ confessioni addictos transferri debeat, ita ut & illos in Electoratibus succedere vigore hujus Bullæ non posse dicendum sit? Quod negandum est, quia non Clerici, sed Laici sunt, *Gerard. Maynard. lib. 1. decis. 23.* sunt enim conjugati, neque officiis Ecclesiasticis præsunt, neque rebus Ecclesiæ se immiscent, nisi quatenus id politico magistratui permissum, & in hujusmodi prælaturis ea tantùm sibi vendicant, quæ olim contra jus & æquitatem Ecclesiastici secularibus magistratibus eripuerunt, neque ullis aliis servitiis abstrahuntur, quo minus personaliter Domino feudi tempore necessitatis adesse queant, *Nicol. Bets. cap. 7. de pact. illustr. famil.*

IX.

Quid verò si Elector Ecclesiasticus pontificia omissa religione ad Augustanam sese conferat, & matrimonium contrahat, privabiturne Electoratu? Quæstio hæc ancipitem passa fuit dubitationem, cum Gebhardus Truckses Elector Coloniensis sese Augustanæ confessioni adjungeret, nã cõtra ipsum inter alia allegabatur Bulla nostra, quæ tres Ecclesiasticos Electores saltẽ admittit, conjugatus autem Ecclesiastici nomen perdit, *Maynard. d. d. decis. 23.* & Recessus Imperii An. 1555. §. vnd nach dem / in verbis wo ein Ertz Bischoff / Bischoff / Prælat / oder ein anderer geistliches Standes / von vnser alten Religion abtretten würde / daß derselbe sein Ertzbisthumb / Bisthumb / Prælatur / vnd andere Beneficia, auch damit alle Frücht vnd Einkommen / so er davon gehabt / alsbald ohne einige Widerung vnnd Verzug / jedoch seinen Ehren vnnachtheilig / verlassen soll. Verùm hanc clausulam ab omnibus Imperii ordinibus minimè probatam, & Augustanæ confessionis socios illã minimè se obligari tunc protestatos fuisse, ostendit Johannes Casimirus Comes Palatinus in edito scripto A. 1583. cujus etiam *Thuan. lib. 58. fol. 167.* meminit, sed Pontificis excommunicatione tactus Cæsar eum Electoratu abire jussit, excusans quoque Pontificis sententiam, quasi non Septemviralem dignitatem, sed Ecclesiasticum munus spectaret, cujus rei cognitio secundùm concordata nationis Germanicæ ad eum pertineret: ad quod etsi Legati Principum replicarent, novum & inauditum in Imperio exemplum

plum esse, ut Pontifex ignari Cæsare, inconsultis tam Ecclesiasticis quàm cæteris Septemviris pro sua libidine Archiepiscopum ac Septemvirum inauditum loco ac dignitate summoveat, ipsiq; etiam Electores Saxo & Brandeburgicus ad illud de concordatis responderent, longè aliam rerum faciem extitisse, postquam Augustæ Vindelicorum pax religionis sancta est, nihil tamen apud Cæsarem effectum est, eique Ernestus Dux Bavariæ Episcopus Leodicensis suffectus fuit. *Thuan. d. lib. 78.* Sed quia de tota hac actione ipsius Gebhardi & Johannis Casamiri deductiones extant, ideò ad eas remisisse sufficiet.

X.

Quid si autem primogeniti demortui filius impubes & nec dum ejus ætatis sit, ut Electoratum administrare possit? Tunc frater senior ejusdem primogeniti, ait Carolus, tutor ejus & administrator existat, donec legitimam ætatem attigerit.

Quod tertium juris de novo introducti, & quidem circa tutelam & curam Electoralem est: Nec enim eorum mihi satisfaciunt rationes, qui textum nostrum juxta dispositionem juris communis eo in casu exaudiunt, quo de tutela curave Elector provisionem fecit nullam: Nam si scopum, quem Carolus noster collimare voluit, consideravimus, & verba textus nostri eam in rem satis aperta judicio non perturbato attenderimus, res claro patescet modo, Scopus ejusdem fuit circa successionem & tutelam Electoralem omnem obscuritatem tollere, ne inter Electorum filios futuris temporibus, ait, scandalorum & dissensionum materia possit suscitari, & sic bonum commune periculosis dilationibus impediri §. 1. hic. Atqui si de tutela disponere Electori concessum dixerimus, non scandalis, non dissensionibus futuris obviasset, quippe cùm fieri aliter non soleat, quàm nimioperè proximorem agnatum, cui tutela debetur, si alius testamento designetur, offendi. 2. Et quomodo *obscuritate succisa* jus cujuslibet

DILU-

DILUCIDè se declarasse Carolus in pr. hic testari posset, si non casum illum de substituendo alium per testamentum, si permissum credidisset, speciali nota exemisset? Scivit ille optimè, quàm parentum circa filios judicia emanare solent solicita, quorum votis si tutorem designari tutum, imperioq; commodum putasset, sanè contra illam deprædicatam obscuritatis succisionem casum vel maximè contingentem, & ad quem modis omnibus parentes festinare solent, pede dubio transivisset: Sed quia non excepit, utiq; verbis illis generalibus Bullæ nostræ inclusus erit, stat quippe à parte hac indefinitorum verborum, quæ generalibus assimilantur, prolatio, à qua qui casum alterum testamentarium exceptum dicere velit, manifestis & evidentibus Bullæ verbis id ut faciat, necessum est. 3. Nec potuit Carolus concordiam, ipsi usque adeo per varios titulos & in hoc nostro deprædicatam, inter Electorum filios aliter assequi, nam ante Bullam hanc non solùm primogenitus, verùm etiam fratres ejusdem Electores se prædicabant, eoque mortuo, non filius ejusdem, sed secundogenitus spreto nepote Electoratu potiebatur, quod supra ostendimus: Huic quidem juri derogatum, primoque nato, ejusdemq; filio exclusis fratribus & patruis successio delata est, quibus in vicem juris successorij illius, neve omninò sese neglectos conqueri possent, id tributum, vel ipse *Freber.* fatetur, ut defuncto Electore fratre ejus impuberis filij tutela curave ad fratrem seniorem pertineret, quod si ipsi testamento interverti posset, omnis factæ recompensationis effectus non à Carolo, sed Electore testante dependeret, quod admitti nequit, quippe jus omne successionis, tutelæque Electoralis, utpote de imperij feudo Regali agens, non à Vasallo Electore, sed concedentis domini nempe Imperatoris voluntate oritur, qui quo modo, quibusve conditionibus vult, illud concedere potest *c. unic. §. 1. de his qui feud. dar. poss.* sicuti exemplo est variatio successionis multimoda, fuit quippe tempus, quo omnes filij admissi, *Hotoman. in Francogall. c. 7.* fuit itidem quo ad primogenitum solum devolutum regimen, alio admissus senior non inspecta primogenij qualitate fuit; hæc ideò tàm variè, quia pro temporum ratione alius atque alius succedendi modus

dus Imperatoribus placuit, *dict. cap. unic. §. 1. de his qui feud. dar. poss.* Non itaque collectio hæc recipi potest, testari circa tutelam curamve privatus quilibet potest. Ergo & Electori idem permittendum erit, ne deterioris ille conditionis, quàm de plebe alius inveniatur. Recipi, inquam, non potest, nam & privatus ultimo elogio dominiũ rerum suarum facit, quem vult *l. 1. C. de S.S. Eccles.* Electori verò omnis circa Electoratum inhibita est dispositio *cap. unic. de success. feud.* Equidem ædes, agros, vineas & his similia testamento dari audivimus: Regnum autem præstare chartæ beneficio prodigij loco habitum, *inquit Crantz. lib. 2. c. 3. in Dania*, ita ut nec magis idoneum secundo aut tertio genitum primogenito præferre queat, nisi hic sponte sua consentiat, jureq; suo paterno judicio motus cedat, quod Johannes primogenitus Friderici Electoris Brandenburgici fecit, qui ad petitionem patris Friderico fratri Electoratum permisit *Chytræus lib. 1. Chronic.* Similiter non alia conditione Electoratus Electori conceditur, quàm ut post mortem cum filij tutela administratio ejusdem ad fratrem seniorem devolvatur. 4. Quod planissimè verbis Bullæ nostræ ulterius evincitur, quæ, dum modum succedendi in Electoratu præscribit, addit, *Et talis successio in primogenitis & hæredibus Principum perpetuò observetur, EA tamen CONDITIONE & MODO, germanica lectio habet*, doch mit der weiß vnd beding, *ut si Principem &c. tunc frater senior ejusdem primogeniti tutor eorum & administrator existat, donec senior ex ijs legitimam ætatem attigerit.* Nam si juxta ductum verborum non aliter quàm hac conditione, hoc modo impubes succedere suo patri possit, *si senior nempe patruus ejus tutor & Electoratus administrator existat*, sanè huic conditioni & modo si satisfactum non fuerit, ad successionem Electoratus impubes admitti nequit, conditio quippe omninò implenda est. *l. cùm avus ff. de condit. & demonstr. l. ex facto §. si quis autem ad SCtum Trebel. Tib. Decian. Resp. 1. n. 1. vol. 1.* Non satisfit autem, si testamento tutor alius designetur; 5. Et si mortuo Electore TUNC frater senior tutor & administrator erit, non poterit testamento arceri: Nam ut nostri tradunt, dictio TUNC facit conditionem adeò, ut necesse sit in forma specifica eam adimpleri, *Tib. Decian. Respons. 73. n. 26. vol. 2.* 6. Cumq; lex vel statutum qualitatem certam requirit, qualitas illa omninò attendi

attendi debet, *Decius Consil.434.n.3.Tib.Decian.resp.17.n.7.vol.1.* Et ideò cum lex hæc imperii in tutore qualitatem fratris vel agnati senioris exposcat, alium non seniorem respuit.7.Et verba illa, *si Principem Electorem seu ejus primogenitum &c. mori, & heredes masculos legitimos Laicos, defectum ætatis patientes relinquere contingeret*, indefinita sunt? non finiunt enim, an testatum vel intestatum Principem Electorem seu ejus primogenitū mori oporteat. Indefinita autem locutio etiā in dispositione legali æquipollet universali, universaliter ergo accipienda erit, *l.si quis ita §.1.de test.tut.l.f.C.de suis & legit. Dyn.in rubr.de R.I.in 6.* Et tàm ubi testatus quàm intestatus Elector moritur, senior agnatus tutor erit. 8. Nec patitur locutio indefinita aut universalis se ad unum constringi casum etiam in materia odiosa *Tib.Decian.Respon.17.n.16.vol.1.* Sed propter dilatationē fimbriarum præsertim in passu nostro, ubi duo saltem casus testati & intestati occurrunt, utrumque ambitu suo implicabit. 9. Idque vel hac etiam de causa, quod omnia illa, quæ præcedunt, quæque sequuntur designationem tutoris in tit. 7. de novo introducta sunt: Nam quod hodie primogenitus Electoris succedat, id novum est, quod ejus filius excluso patruo succedat, id novum est, quod in Principe Electore completiò octodecim annorum statuta sit, id novum est. An non ergo verisimile est, quod hoc quoque, quod de fratre seniore in tutorem & administratorem adsciscendo constitutum est, novum sit? Si novum, utique testamento alius tutor dari non potest. Hoc enim novum illud est, quod hac bulla introductum credimus, & vetus est, jureque antiquo constitutum, legitimam tutelam testamentario tutore non extante ad proximiorem agnatum pertinere *l. 1. ff. de legit. tutor.* Existimat quidem *Marq.Freher.d.loco Rub.singularia*, etiam nova plurima, licet testamentarius admittatur, subesse: quia matri & aviæ, dum agnatus eligitur, ad tutelam aditus inhibetur. Verum hoc novum non est, sed vetus est; Nec enim in Imperio unquam observatum, fœminis ad collegii Electoralis unionem jus fuisse, quod tamen eis, si tutelam filiorum vel nepotum sustinuissent, communicatum fuisset: Fœmina quoque per se eligendi partes non habet, successio quippe ejusdem in Electoratu non recipitur, nec itaque per alium consequi poterit, *Francisc.Hotom.cap.19. in Francogall.* Addit

insuper *Freber.* ex eo, quia solus senior frater exclusis suis fratribus tutor constituitur, novi aliquid introduci, jus enim commune plures ejusdem gradus admittit, *l.9. de legit. tutor.* Verùm nec hoc in Imperio novum, sed & ante bullam hanc observatum fuit. Rudolphus enim filius Rudolphi Electoris Palatini ejusdem sui fratris Adolphi relicti filii tutelam solus non attento fratre Ruperto gessit, ne scilicet per plurium tutorum administrationem numerus Electorum septenarius multiplicetur. Et novum quod nos urgemus, ex eo satis evincitur, quod dum textus noster successionem talem ea conditione & modo primogeniti hæredibus concedit, non ad alium, quàm ad ipsum impuberem respicit, opponitque successioni tutelam, illi tunc locum concedit, si frater senior tutelam gerat, adeòque respectum ad pupillum & tutorem habet, quorum intuitu novum nullum præter id quod volumus, considerari potest: Nam plures an unus tutor sit, ipsos inter fratres vel agnatos solos disceptari solet. 10. Constat insuper ex Bullâ nostrâ, & quidem titulo hoc 7. quod jus eligendi Regis Romanorum non nisi ad Regem Boëmiæ, Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, & Marchionem Brandenburgensem pertineat: quod si verò testamento dari tutor posset, & ad extraneum jus eligendi, si is designaretur, deveniret, quod ne fiat, neve secreta Illustrissimi Collegii in notitiam aliorum perveniant, ipsorum vel maximè Electorum interesse videtur. 11. Et cùm ad Electores virtute Regni & Principatuum suorum, ut ait textus noster, jus electionis spectet, argumento inde non obscuro colligitur, ad eum, qui virtute illa & spe Principatus omninò excluditur, ut extraneus, non posse tutelam transferri. Admitti ergo solus proximior debet, uti qui sperat habere successionem, idem tueatur Electoratum, quæ ratio est JCti *in l.1. de legit. tutor.* 12. Et cum exempla post hanc Bullam facta ingerant verum ejus intellectum per observantiam quandam interpretativam, nec facilè mutanda sint, quæ interpretationem usu receperunt, *l. minimè. ff. de legib.* quodque heri justum visum, hodiè iniquum reputari non debeat, constetque verò quod Ludovici IV. Electoris Palatini frater Fridericus contra testamenti dispositionem ejus filii Philippi tutelam A. 1449. administraverit, *Trithem. in Chronic. Sponheimens.* Item mortuo Ludovico V. Electore A. 1583. Johannes Ca-

nes Casamirus ejus frater non attenta dispositione testamentaria tutelam nuper defuncti Friderici Electoris susceperit, utique contra actus hosce & quidem judicio contradictorio confirmatos, pronunciare hodiè æquum haud videbitur.

XI.

Si quæramus quamdiu in potestate curatoris minor Electoris filius esse debeat? Respondebit Carolus, donec legitimam ætatem attigerit, si dixeris legitimæ ætatis non unam eandemque esse definitionem, quod plerumque ea 25. anno terminetur, *l. cum filiofam. §. si autem. ff. de legat. 3.* Nonnunquam ratione materiæ subjectæ decimo quarto absolvatur, *Cothman. Consil. 44. n. 3. vol. 1.* aliquando finem 20. anno sortiatur, *l. 2. C. de his qui ven. ætat. impetr.* Eam itaque sua finitione certam facit Carolus noster: In Principe Electore decem & octo annos completos censeri vult, & perpetuo haberi.

Quod quartum juris de novo introducti, & quidem circa tutelam Electoralem est: Nam jure veteri usque ad 25. annum adolescentes curatorum auxilio regebantur, *l. 1. ff. de minorib.* quod cur à Carolo nostro immutatum sit, scholasticam incurrere dubitationem potest; Cùm enim Ulpiano auctore inter omnes constet, fragile & infirmum hujusmodi ætatum consilium & multis captionibus suppositum, multorumq; insidiis expositum, *d. l. 1. ff. de minor.* ita ut rei familiaris cura quamvis rem benè gerenti homini priva-

 to ante

to ante 25. annum non permittatur *d. l. 1. in f.* multò certè minus Electoratus administratio, utpote in qua majus est periculum, minori concedi debuit, qui ut cursus hujus mundi fluit, non raro ad otium & illecebras instituitur, inde procax & superbus factus, verba sunt *Arnold. Ferronij lib. 3. de Reb. Gallor.* pro rectis blanda unoquoque suggerente, ita delitiis, languore, desidia inficitur & vanis assentationibus, opinionibusq; delinitur animus, ut ad gubernacula accedens, in puppi sedens clavum tenendo naufragium subvereri interdum contingat: Indignum nostris temporibus esse videtur, *ait Iustinian.* eum qui stabilem mentem nondum adeptus est, propter privilegia militum jura sapientum hominum pertractare, & in tam tenera ætate ex tali licentia aliis nocere, propriam substantiam extraneis relinquendo *l. f. C. de Testam. milit.* quâ ipsa de causa olim minores ante 25. annum ad Reipub. administrationem non admittebantur, *l. ad Rempubl. ff. de minor. & honorib.* quid tam est præter consuetudinem, *inquit Cicero pro L. Manilia*, quàm homini peradolescenti, cujus à senatorio gradu ætas longè abest, imperium atq; exercitium dari. Dij avertant, *ait Herodian. in Alexandro*, Principes pueros & patres patriæ dici impuberes, & quibus ad subscribendum magistri literarij manus teneant, quos ad consulatus dulcia & circuli & quæcunq; voluptas puerilis invitet, quæ, malum, ratio est? habere Imperatorem, qui famam curare non poterit, qui, quid sit Respublica, nesciat, nutritionem timeat, respiciat ad nutricem, magistralium ictibus terrorique subjaceat, faciat eos consules, Duces, judices, quorum vitas, merita, ætates, familias, gesta non norit, & ideò Mecœnas Octaviano suadebat, ne ad senatoriam dignitatem minores 25. annorum promoveret, addens, cùm n. hujusmodi suorum bonorum administratio non concedatur, concedetur Reipubl.? item ad Præturam 30. annorum, *Dion. Cass. lib. 53. hist.* quò respiciens *Plin. lib. 10 Epist.* cautum est, Pompeia lege, quæ Bithynijs data est, ne quis capiat magistratum, neve sit in senatu minor annorum triginta, *Plato* in sua Republica voluit legum custodem, non plus quàm annos viginti eum magistratum habere, nec pauciores natum, quàm quinquaginta, cum gerit, cujusmodi lex apud Calcidenses fuit; caverunt enim illi, ne quis annos natus infra quinquaginta magistratum gereret, vel legationem obiret,

obiret, *Plutarch. in Licurg.* Nam ut inquit Ovid. Lib. 9. Metamorph.

Jura senes norunt, & quid liceatq; nefasq;
Fasq; sit inquirunt, legumq; examina servant.

His similibusque de causis prudentes juris nostri moti volunt, invito etiam Regi dandum esse curatorem usque ad 25. ætatis annum *Tiraquell. quæst. 40. n. 207. de primogenit. Gomez ad l. 40. n. 9. Taur. & citati à Paulo Montano c. 37. n. 68. & seqq. de jure tutelar.* Est enim contra illum violenta juris præsumptio minus justæ administrationis *arg. c. ex eo de Elect. in 6. Francisc. de Cald. in l. si curatorem vers. hunc contractum n. 47. C. de rest. in integr.* ubi subjicit, quod quamvis privati inviti curatores non accipiant §. *item inviti Inst. de curat.* Aliud tamen in Regibus dicendum, quia illi tantùm de re sua disponunt, Reges verò non tàm sua propria, quàm Reipub. negotia tractant, ad quorum quidem administrationem non quale quale judicium sufficit, sed perfectissimum exigitur, quare in reipub. commodum, ait & utilitatem passim receptum est. Regibus invitis curatorem dandum esse, adversus quem, si malè rem gerat, possit experiri. Æquo igitur animo Reges puberes hujusmodi curatores ferre debent, palam cognoscentes Regnorum Imperium ob publicam magis utilitatem, quàm ob proprium commodum sibi à Deo fuisse indultum. Verum enimverò id quidem constat, quod postquam Principes Imperium ad se transtulêre, & ipsi magistratus mandare cœperunt *l. 1. ff. ad l. Iul. de ambit.* non ætatis sed voluntatis principalis rationem habitam fuisse *l. quidam 57. in f. ff. de re judicat.* Olim consulatui præstituti erant 43. anni *Cicero Philipp. 5. in f.* Sed postea Cæsarum temporibus etiam minor consul fieri potuit. Princeps enim inquit *Vlpian. in d. l. quidam in f.* ei, cui magistratum dedit, omnia agere decrevit, & ideò cum Carolus Imperator Electori 18. annũ habenti Electorale dignitatem, & ab ea dependentia dederit, omniaque agere decreverit, sufficere hæc nobis Principis voluntas sola posset, quanquam ea quoque rationum monumentis non destituatur, Mecœnas Augusto suadebat, ne ad Equestrem dignitatem minoris octodecim annorum deligeret: Hæc

enim potissimum, dicebat, ætate & corporum firma affectio conspicitur, *Dion.Cass.d.lib.53.Histor.* Quod si ille decem & octo annis majores equestri dignitati idoneos existimaverit, aptosque qui hosti sese opponerent, indignum fuerit, ut ad vitam suam disponendam Electores equitum nobilissimi dicantur infirmi, & putentur domum suam non regere, qui creduntur bella tractare posse, quam consequentiam Theodoricus Rex Gothor. nectit in suo rescripto, quod extat apud Cassiodorum *lib.1.Variar.c.38.* ubi subjicit: Gothis ætatem legitimam virtus facit, & qui valet hostem confodere, ab omni se jam debet vitio vindicare: Cumque quod Cicero dixit, ritè fieri putetur, quod exemplo fit; Ignotum non est Salomonem 12. annos natum in Regem electum fuisse, *lib.3.Reg. cap.3.* Alexander Magnus orbe terrarum subacto 23. anno mortem obiit, Cicer. Philipp. 5. in f. Alexander severus puer adhuc à senatu Cæsar designatus est, *Lamprid. in ejus vita.* Otto. III. Imperator annos undecim natus Imperator dictus, *Cuspin. in Otto.III.* Fridericus primus ætate puer sed mente senex electus fuit, *Gunth.lib.1.in Ligurin.* Carolus V. 17. anno regnis hæreditariis profectus fuit: Imperio verò anno ætatis *20. Sleid. lib.1. de stat. Relig.* appositè ad rem *Cicero in Philip.5.in fin.* ab excellenti eximiaque virtute, inquit, progressum ætatis expectari non oportere, itaque majores nostri, veteres illi, admodum antiqui, leges annales non habebant, quas multis annis post attulit ambitio, ut gradus essent petitionis inter æquales, ita sæpè magna indoles virtutis, priusquam Reipub. prodesse potuisset, extincta fuit. At verò apud antiquos Rulli Decii, Corvini, multique alii, recentiore autem memoria superior Affricanus, Tit. Flaminius admodum adolescentes consules facti tantas res gesserunt, ut populi Romani Imperium auxerint, nomen ornarint, ex quo judicari potest, subjicit paulò pòst, virtutis esse quàm ætatis cursum celeriorem, quod Virgil. quoque lib. 9. Æneid. sub persona Ascanii ostendere voluit:

——— Necnon & pulcher Iulus
Ante annos animumq; gerens curamq; virilem.

Soletq;

Soletque institutio solicita, quæ circa Electorum & Magnatum filios adhibetur, ætatis defectum non rarò supplere, conversantur quoque cum viris gravibus ac doctis, quorum proventum satis uberem Aulæ Electorales proferre solent, qui verò cùm sapientibus graditur, sapiens erit, inquit *Salomon. Proverb. 13.* Nulla res magis animos induit honestos, *ait Senec. ad Lucil. Epist. 6.* & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum virorum conversatio: Paulatim enim descendit in pectora & vim Præceptorum obtinet frequenter adspici, frequenter audiri, Electorque ad regimen Electoratus admissus prudentia Consiliariorum suum minus confirmatum judicium supplere poterit; & id ad tranquillitatem Electoratus videtur expedire: Nam ut inquit *Caspar. Bœtia cap. 9. num. 30. de decima tutori præstanda*, quid malorum non patitur regnum à tutoribus vel curatoribus administratum, latè & impunè regnat avaritia, quivis in alienum caput violenter grassatur, omnia prædonibus & peculatoribus plena sunt, fluctuat populus tanquam oves pastore destitutæ, ideò *Paulo Montano d. c. 37. num. 71.* utilius & consultius videtur, tutelam regis pubertate seu decimo quarto anno finiri, nec ei dandum esse Curatorem, non tamen ut solus & per se proprio motu & consilio administret, sed per se & nomine suo cum consilio & directione delectorum prudentum & fidelium virorum, ut scilicet cesset invidiosa illa tutorum vis potestasque, & adolescens Princeps potius nitatur communi suorum Principum consilio, & pro uno plures habeat tutores, sed moderatiores, nec eò potestatis evectos, ut quicquid iis lubeat liceat: Periculosum enim est uni alicui tantam tamque diuturnam esse potestatem in res alienas: Rectè ergò Carolus noster mediam quasi viam ingrediens curam Electoralem lapsu decimi octavi anni terminavit.

XII.

Quod si quæsieris, an annum decimum octavum completum esse oporteat.

Sic

Sic sanè juxta literam textùs nostri dicendum est. Sed *Freber. de Tutel.Elector.fol.37.* notat mox complendum sufficere: Exiguum enim tempus, ut bimestre, in considerationem non venit. Id enim juris utriusq; censura pro modico habet, *l. 2.C. de secund. nupt. l. 19. C.de legat.c.unic.Extrav.commun. de author.& usu pallij.* Et videtur in terminis non dissimilibus respondere *Alb.Gentil. in respons. quod extat in f. lib 2.Hispanicæ Advoc.* quorum tueri videtur sententiam *l. si ita fuerit libertas in pr. de manumiss. testam.* ubi libertas duodecimo anno relicta competit anno cœpto: Libertas ergo à potestate Curatoris etiam in passu nostro competere anno inchoato debet: Probanda enim est voluntas adspirantis ad honestam libertatem, quem longa premit custodia & invidiosa vis tutorum, inquit *Montan.d.c.37.n. 42.* præsertim cùm generalis sit definitio, quod in honoribus capessendis cœptus pro completo reputetur *l. ad Rempubl. ff. de muner.& hon. Gentil. d. respons vers. moveor.* Sed quia textus requirit decem & octo annos completos, durum fuerit ab eo recedere, in quo cum jure communi consentit, quod minorem eum esse statuit, qui non complevit 25.annum *l. 3. §. minorem ff. de minorib. in pr. Inst. de Curator.* Ratio est vigor naturalis rationis, qui minus est imperfectus, si completi sunt anni, quàm si inchoati tantùm sint *Surd. decis. 178.n.9.Lib.1.* Voluntque nostri quod ubi fit mentio anni, tunc perfectum intelligi debere, *l. si cui 49.ff.de legat. 1.Natta Consil.461.n.4.tom.2.* Annus quippe non est in rerum natura, si completus non est, *Decius in d.l.si cui 49.in pr.ff. de legat. 1.* multò magis ergo perfectus requiritur, ubi textus, ut in casu nostro completum esse disertè exposcit: Quod enim *Knich.verb.Electorum c.5. n.43. de non provocand.jur.* putat in constitutione nostra dici, si attigerit 18. annum, id utique ex inspectione textus satis superque refellitur.

XIII.

Quæritur an tempus hoc octodecim annorum parens in testamento coarctare vel prolongare possit?

Et

Et quamvis *Freher. de tutel. Elector fol. 4.* id affirmare videatur: Quid magis certam habet præfinitionem, inquit, ex lege, quàm tempus finiendæ tutelæ aut curæ, tamen & illud à patris potissimùm judicio pendere non tantùm leges ipsæ sinunt, §. *ad certum Inst. qui tutor. dari testam. poss. §. præterea Inst. quib. mod. tut. fin. Alciat. 3. Parerg. c. 4. & seqq.* sed & Gentium ille Doctor probat *ad Galat. 4. vers. 1. & 2.* tantum patriæ providentiæ simul & potestati (in qua nimirum Dei imago relucet) non solùm Politica sapientia, sed & ipse Spiritus Sanctus tribuit. Verùm negari id rectius erit, quia textus noster perpetuò octodecim annos completos requirit: paternum ergo judicium cesset necessum est. Verbum enim, *perpetuo*, idem quod semper denotat, *Tiber. Decian. Respons. 1. n. 262. vol. 1.* faciendaque hæc est interpretatio, ut bulla juri communi consentiat, *c. cum dilectus extr. de consuet. Surd. d. decis. 178. num. 15. lib. 1.* quod masculos puberes usq; ad annum 25. completũ curatores accipere jubet, quia licet puberes sint, adhuc tamen ejus ætatis sunt, ut sua negotia tueri non possint, ait *Justinian. in pr Inst. de Curator.* nec antè rei suæ administratio eis committi debet, inquit Ulpianus, quamvis rem suam benè gerentibus, *l. 1 ff. de minorib.* & Imperator saltem 20. annum completo veniam ætatis concedere potest, *l. 2. C. de his qui ven. ætat. impetr.* habuitque D. Severus Consulum vel Præsidum decreta quasi ambitiosa, quibus illi ante 25. annum minoribus rerum suarum adminstrationem concedebant, *l. 3. in pr. ff. de minorib.* Qui ergo privatus, nec enim Elector illius intuitu, inque actu testamentario alium respectum accipit, *l. 7. C. qui testam. fac. poss.* duodevigesimum annum lege hac publica præfinitum anticipare poterit? *l. nemo potest ff. de legat. 1.* Nec stringunt illa, quibus Freherus in contrarium movetur. Datum hoc quidem patriæ providentiæ, quòd possit parens tutorem ad certum tempus vel ex certo tempore, aut etiam sub conditione tutorem constituere, *d. §. certum §. præterea.* Verùm an non pupillus, quia datus ad certum tempus, puta ad duodecim annorum, desinit esse tutor, in tutelam recidat, hoc in quæstione est, & probari debuit. Extat autem ea de re Ulp. responsum *in l. si quis sub conditione ff. de testam. tutel.* si quis, inquit, sub conditione vel ex die tutorem dederit, medio tempore alius tutor dandus est, quare & si ad certum tempus datus tutor sit, tempore elapso

alius tutor dandus est, *l. si tutor Reipub. §. 3. ff. de tut. & rat. distrah.* quamvis legitimum tutorem pupillus habeat, quamdiu enim testamentaria speratur tutela, legitima cessat, quod insuper *Freher.* ex Pauli Epistola ad Galat. protulit, eandem recipit responsionem: Quod enim Apostolus parvulum usque ad definitum à patre tempus sub tutoribus esse dicit, id secundum juris intellectum accipi debet, puta si vel parens tempus legale expresserit, vel si decurtaverit sub datis quidem tutoribus esse desinat, recidere tamen in alterius à judice dati potestatem, *d. l. si quis sub condit.*

XIV.

Postquam verò Elector octodecim annos compleverit, tunc jus, vocem, & potestatem, & omnia ab ipsis dependentia, tutor ipse sibi totaliter cum officio tenetur protinus adsignare, inquit Carolus noster.

Quæ verba etsi satis perspicua sint, si enim tutor jus, vocem, & potestatem, & *omnia* ab ipsis dependentia *totaliter* cum officio Electori adsignare tenetur, nihil utique tutor sibi reservare poterit: Omne enim qui dicit, nihil excludit, *l. fin. de pecul. legat. l. Julianus ff. de legat. 3. cap. solita de major. & obed.* Quique totum restituere jubetur, partem nullam retinere poterit, siquidem totum nihil aliud est, nisi quod constat ex omnibus suis partibus absque aliquâ detractione aut diminutione, *l. 2. §. ad filiorum C. quand & quib. quart. pars debet. l. Mævio §. à me ff. de legat. 2. lib. Decian. Respons. 1. num. 270. vol. 1.* Attamen inventi sunt, qui principatuum, ad Electoratum pertinentium administrationem curatori usque ad annum 25. reservari debere putarunt, & ideò Richard. Comes Palatinus Rheni An. 1592. contra Frid. IV. Electorem post mortem Johannis Casimiri Tutoris & Administratoris Electoralis id seriò ursit, suæ hujus opinionis fundamentum ponens Sigismundi Imperatoris Bullam, cujus copiam exhibet *Freber. post. oration. secundam Adsert.*

propr.

propr. gubernat. Ætatem autem, habet Bulla, debitam in hoc casu eligendi videlicet Romanorum Regem in Imperatorem promovendum decem & octo annorum censeri volumus, & haberi, in principatibus autem Ducatibus & Dominiis aliis temporalibus gubernandis ætatem observandam decernimus, prout à Divis Romanorum Impp. & Regibus nostris prædecessoribus est sancitum &c. cujus ductu ejus causæ adsertores putabant, in Electoratu quidem sufficere 18. annorum lapsum, administrationem verò Principatuum, Ducatuum, aliorumque dominiorum dispositioni juris communis relinqui. Est enim hoc, quod circa annos Electorios constitutum est, privilegium, & ideò strictissimè interpretandum, *Laurent. Sylvan. Cons. 88. vol. 2. Cothman. Responsor. Academic. 14. nu. 92.* debetque bulla nostra sic intelligi, quàm minimum lædatur jus commune, *Knich. d. cap. 5. num. 41.* Et alia videtur subesse ratio in Electoratu, quàm est in Principatu. Elector plures habet in collegio Electorali collegas, quorum insigni & matura prudentia ætas ejusdem fulciri potest: In Principatibus & Ducatibus cum iis destituatur, lubricoque ætatis facilè labi possit, maturiore ætate ei rectè consultum opinari licet. Verùm hæc opinio bullæ nostræ verbis satis superque refellitur. 1. Vult enim quod frater senior tutor & administrator existat, donec legitimam minor ætatem attigerit: Ergò ubi is legitimam ætatem attigit, tutor & administrator esse desinit: Dictio enim DONEC, limitativa est, & restringit dispositionem ad tempus expressum, *Tib. Decian. Respons. 108. num. 19. vol. 3.* Deinde omnia ab ipsis dependentia restituere cogitur: Qui omne dicit, nihil excludit, Principatus autem ab illis quoque dependent, imò sic iis uniti sunt, ut jus, vox & potestas eligendi ab iis separari nequeant, *c. 20. infr.* 3. Totalis restitutio facienda est. 4. Et quidem cum officio, quod tutor gessit. Nihil ergo tutor retinet, vel si quid retinet, non totalis erit restitutio, nec officium resignatum integrum erit, quod tamen verba volunt. 5. Additque Bulla, quod senior primogeniti & suorum fratrum tutor erit, donec primogenitus vel senior ex iis legitimam ætatem attigerit: consequitur ergo primogenitus post legitimam ætatem suorum fratrum tutelam, ipse ergo in tutela vel cura alterius esse nequit: Nam ut inquit Ulpian. in sua po-

testate non videtur habere, qui non est suæ potestatis *l. sic eveniet ff. ad l. Jul. de Adult.* Et incivile est, ait *Justin.* qui alieno auxilio in rebus suis administrandis egere noscuntur, & sub aliis reguntur, aliorum tutelam vel curam subire, *§. item major. Inst. de excus. tutor.* 6. Quid? quod Bullæ verbis dicatur habere legitimam ætatem, si octodecim annos Elector compleverit, perinde igitur est, ac si illum 25. annum implevisse dixisset: Nam uti communis est nostrorum traditio, quando lex, aut pragmatica sanctio aliquem, qui 18. annos natus est, pro homine ætatis legitimæ habet, non secus de illo, ac si 25. annum implevisset, statuendum erit, *Cotman. d. consil. 44. num. 10.* ubi in terminis nostris n. 11. subjicit, Elector si ætatem eam attigerit, perinde habetur ac si 25. annos implevisset. 7. Et si idoneus est ad Electoratum, casuque contingente Imperii administrator aptus reputetur, *juxt. tit. 5. sup.* Utique suis Principatibus non inutilis reputari debet: Benè *Ambros. in lib. de offic.* An putabo, inquit, idoneum, qui mihi det consilium, qui non dat sibi, & mihi eum vacare credam, qui non vacat sibi? Quis utilem alienæ causæ judicet, quem videt inutilem esse suæ? 8. Atque hanc sententiam disertè comprobat constitutio alia Caroli IV. quæ itidem Nurembergæ & quidem post hanc Bullam anno 1356. die Johannis Evangelistæ in causa Rupertorum perlata est, Wenn aber derselbe elter Sohn achtzehen Jahr alt wird / (verba sunt Constitutionis) zuhand sol jhm derselbe Vormundt alle Landt / Herrschafft / Würdigkeit / Ehren / vnd ander Rechten / Nutzen vnd Zugehörigen / die er als ein Vormundt eingenommen hat / ohne alle Widerrede / Verzug oder Hindernisse abtretten / vnd jhme die einantworten ohne Geferde / &c. Atque ita in persona Christiani II. Electoris Saxoniæ Domini mei Clementissimi, pientissimæ recordationis, observatum scimus. Ei quippe Fridericus Wilhelmus Tutor & administrator, Dominus meus Clementissimus, beatissimæ memoriæ non solùm Electoratum, verùm etiam Principatus, dominia, & alia ab eo dependentia summâ voluntate resignavit, quod & anno superiore in moderno Electore Palatinatus observatum meminimus, quæ exempla cum non aliter ab Imperii proceribus Bullam nostram intellectam esse ostendant, utique per Sigismundi Bullam alius ei sensus affingi non debet, arg. *l. minimè*

nimè.ff.de legib. præsertim cùm posterior Sigismundi cùm hac nostra probabili interpretatione in concordiam reduci queat: Agit enim Sigismundus in sua Bulla non solùm de ipso Ludovico Comite Palatino Electore, eumque legitimum Electorem esse declarat, verùm etiam ipsius hæredibus & Successoribus, ne inter hæredes & successores ipsius ait Sigismundus, litium materia oriatur, &c. quare si plures in familiâ eâ extent fratres, primogenito quidem debetur Electura & si minor sit, ætatem debitam decem & octo annorum censeri vult: At quod si vel pactio familiæ, vel rata patris voluntas secundo aut tertiogenito Ducatum aut Principatum, ubi ad legitimam ætatem pervenerit, tribuat, hoc in passu Sigismundus in Principatibus autem ait, Ducatibus & dominiis aliis temporalibus gubernandis ætatem observandam decernimus, prout à Divis Romanorum Imperatoribus & Regibus nostris prædecessoribus est sancitum, atque ideò secundo aut tertiogenitus Electoris, cui vel ex pactione familiæ, aut ex rata patris voluntate debetur Ducatus, in cura erit usque ad 25. annum. Hæc enim ætas à prioribus Romanorum Imperatoribus est statuta, *l.1.ff. de minorib.* Quod quoque oppositum fuit, hoc, quod circa annos Electorios constitutum est, ut privilegium strictissimè interpretandum esse, respondemus, non extensione nostra, sed Bullæ clarissimis verbis spacium ætatis præfinitum ad Principatus & dominia Electoratui, annexa transferri, quo ipso resolvitur quoque alterum id, quo, bullam sic intelligi debere, ut quàm minimum jus commune lædatur, adserebatur. Ipsa enim Bulla cùm semet explicet, frustra de constringendo ejus intellectu quæritur. Quodque denique à ratione diversitatis inter Electoratum & principatum allatum fuit, nihil sententiæ nostræ officit: quia Electores ipsi in regimine sui Electoratus, de quo agitur, non magis, quàm in administratione suorum dominiorum adsistunt, ut à paritate rationis, quia illo casu idoneus, & hoc, quo scilicet Principatus suo regimini adseritur, talis haberi debet.

XV.

Quod si quæsieris, an vigore hujus Bullæ Principes & Duces reliqui, ubi octodecim annos com-

 plerint,

plerint, Ducatuum dominiorumque suorum administrationem suscipere possint?

Respondet quidem Cothmannus *d.consil.44.n.52.vol.1.* ex Bulla hac argumentum à contrario sensu legitimè duci, & Duces inferiores multò magis ab anno 18. ad ætatem legitimam pervenire, & Ducatuum suorum dominium & administrationem suscipere: Ejus tamen sententia mihi non placet, cùm propter Bullam Sigismundi, quæ ætatem 25. annorum requirit, tum quia textus noster loquitur saltem de Electoribus, qui cum privilegium contineat, traduci ad alios non potest: Nec stringit Cothmanni argumentum, quia si ideò Duces inferiores, quod ipsis Electores, sic enim ponendum est, superiores sunt, multò magis 18. anno. in suam tutelam pervenire debeant, sanè ea argumentatione minor privatæ conditionis, multò magis ea ætate bonorum suorum administrationem consequeretur, quia Electores illis longè superiores sunt. Verùm à majoritate vel paritate rationis in materia privilegiorum, utpote quæ à solius concedentis voluntate dependent, arguere non licet: Privilegia enim extensionem non admittunt, *Cothman. d. Respon. Acad.14.num.92.*

XVI.

Et quidem hæc hactenus dicta obtinent, ubi Electorum extant legitimi successores, quod si autem contingat, aliquem ex Electoribus sinè iis decedere, constituit Carolus, si aliquem ex hujusmodi Principatibus ipsorum, ait, imperio sacro vacare contingeret, tunc Imperator seu Rex Romanus, qui pro tempore fuerit, de ipso providere debebit, & poterit, tanquam de re ad se & imperium legitimè devoluta.

§.si verò hic.

Quod

Quod enim Justinianus de Usufructu civili dixit, ne in universum inutiles essent proprietates semper abscedente usufructu, placuit certis modis extingui eum, & ad proprietatem reverti, *§.1. Institut. de usufr.* Id ad usumfructum feudalem rectè transferri potest, constituumque, ne proprietas feudorum abscedente semper eorum usufructu inutilis esset, certis modis eum quoque extingui, & cum proprietate consolidari, *c. unic. quæ fuit prima ca. benef. amitt. c. unic. quib. mod feud. amitt. cum similib.* Inter quos & ille est, si vasallus sinè successore feudali moriatur, tunc quippe feudum pleno jure ad dominum revertitur, *cap. unic. quemad. feud. ad filiam pertineat.* Quare & si Elector sinè feudali successore decedat, Imperator tanquam de re ad se & ad Imperium devoluta disponere poterit, quod tamen non eum intellectum recipit, quasi in ipsius arbitrio sit Electoratum vel sibi retinere, aut etiam alii reinfeudare: Textus quippe noster consolidatione facta verbum hoc DEBEBIT de ipso providere, addit, ut intelligamus, necessitatem ipsi Electoratum alii vicissim in feudum tradere, imponi, idque ne numerus Electorum septenarius minuatur, & ideò verba textus nostri *de ipso providere debebit & poterit*, sic interpretor, debere Imperatorem devolutum ad se Electoratum reinfeudare, posse tamen pro arbitrio, cui velit, concedere, nec necesse habere illis, qui forsan ex sanguine defuncti Electoris supersunt, adsignare, quod præter hunc textum comprobatur quoque *cap. unic. vers. si autem dominus, quemad. feud. ad filiam pertineat. Gail. lib. 2. observ. 148. numer. 3.* quo fundamento inter cætera investitura Electoratus Saxoniæ à Sigismundo Imperatore Friderico primo Misnensi excluso Erico facta defendi potest, licet *Crantz lib. 9. cap. 19. in Saxon.* contra nitatur. Ducatus quippe Saxoniæ cum Electoria dignitate non toti familiæ Principum Anhaldinorum in feudum datus erat, sed quibusdam tantùm, puta sibi, filiis & nepotibus, vel iis sinè heredibus masculis descendentibus, ut ad hunc vel illum & ejus hæredes legitimos perveniret, & ideò cum Albertus Wenceslai filius Anno 1422. rebus humanis sinè masculo eximeretur, nec aliquis vocatorum amplius extaret, potuit utique Sigismundus vigore Bullæ paternæ de Ducatu illo Electorali tan-

quam de re ad se & imperium legitimè devoluta disponere, *Knich.cap.2.numer.15.vers. Electorum, de non prov.jur.* Quæ quidem ratio cum generalis sit, adaptarique queat ad Ducatus, Comitatus, aliaque feuda Imperii immediata, paritate rationis & de iis Imperatorem disponere posse dicendum videtur, inque eo ut *Bodin.lib.2.cap.6.de Repub.* ait, imperii majestas elucet, cum militias ex casu ac beneficia militaria sua unius sponte arbitrioque largitur, quod exempla, quæ ante hanc Bullam contigerunt, insinuant, cum Austria tempore Rudolphi I. Imperatoris viduata ad Imperium devolveretur, eam filio Alberto, qui primus ArchiDucum Austriæ plantator fuit, concessit, sic defuncto Woldemaro Marchione Brandeburgensi Ludovicus Bavarus Marchiam in filium transtulit, *Peucer.lib.5.Chronicor.* Verùm post hanc Bullam capitulationibus posteriorum Imperatorum cautum videtur, id cum Electorum adsensu fieri debere, quod inter alia formula privationis Wenceslai Imperat. ostendit. Nam cum Electores Imperatoria dignitate eum privarent, formulæ inseruerunt, als der den Herrn zu Meylaud zum Fürsten vnd zu Paphey zum Graffen gemacht auff des Reichs Städt/Schloß vnd Güter. Et Caroli V. Imperatoris capitulationi additum, Imperii bona quæ fortè vacabunt, nemini conferat, sed ad publicum patrimonium referat, *Sleidan.lib. 1. de statu Religion.* Hinc Regis Galliarum Legatus apud Imperatorem admonuit Heinricum Regem, non esse ferendum illud, quod Carolus V. Imperat. Philippum filium extra conventus, ac sine Principum Germanorum consensione vel autoritate Anno 1551. Bruxellis Mediolani Ducem designavisset. *Bodin.dict.cap. 6.* In capitulatione quoque Rudolphi II. quæ penes me est, hæc leguntur verba, Vnd nach dem das heilige Römische Reich fast vnd höchlich in Abnehmen vnd Ringerniß kommen / so sollen vnd wollen wir neben andern die ReichsStewer der Stände vnd andere Gefälle / so in sonderer Personen Hand gewachsen vnd verschrieben / wieder zum Reich ziehen / vnd nicht gestatten / daß solches dem Reich vnd gemeinen Nutz wieder Recht vnd alle Billigkeit entzogen werde. Es were denn / daß solches mit rechtmessiger Bewilligung der sechs Churfürsten geschehen were / was auch von Lehn dem Reich vnd vns bey Zeit vnserer Regierung eröffnet/vnd ledig heimfallen wird/so etwas mercklichs ertragen / als Fürstenthumben//

ffenthumben/Graffschafften/Herrschafften/Städte vnd dergleichen / die sollen vnd wollen wir ferner niemandes leihen/sondern zu Vnterhaltung des Reichs/vnser vnd vnser Nachkommen / der König oder Keyser behalten/einziehen vnd incorporiren / biß so lange dasselb Reich wieder zu Wesen vnd Auffnehmen kömpt/&c. Atque hujus suæ promissionis memor, cum A. 1598. Philippus II. Hispaniarum Rex per Franciscum Mendozam Tarraconensem Amirallum ab ipso peteret, ut Vicariatu Visentii ipsum donaret, urbs est in Sequanis, quam Jure feudi clientelari obsequio ab Imperiali Camera, verba sunt *Botorei*, Guilielmus Nassovius Arausiensis Dynasta possidebat, respondit Cæsar, inconsultis Principibus Imperii id ritè peragi non posse *Rudolph. Botoreus lib. 5. Comment. de reb. toto orb. gest.* Ex quibus hallucinari eos constat, qui capitulationem Imperatoriam aliò detorquere satagunt: Verba enim clara sunt, ratio itidem Rudolphina inserta, biß daßelbe Reich wider zu Wesen vnd Auffnehmen kömpt/ utique prægnans reinfeudationem insciis Electoribus aversatur, pristino quippe vigori & robori imperium restitui non alio modo potest, quàm ei incorporando, quæ aperiuntur feuda, & ea quæ ab injustis dominis detinentur manu forti repetendo; sanè regnum Galliæ per illam rationem in eam potentiam, quæ ante oculos est, pervenit, teste *Choppin. de doman. lib. 1. tit. ult.* & juris regulis hæc sententia congruit, quæ omnem Ducatuum ad Imperium pertinentium alienationem prohibent, *Vasq. lib. 1. cap. 3. n. 8 cap. 4. n. 4. & seqq. Illustr. controv. Pruckm. cap. 4. membr. 2. effect. 6. num. 11. §. solut. potestas*, quibus Capitulatio Imperatoria congruit facultates Imperii, ait, neque distrahat, neque oppignoret, nec alio quovis modo deteriores faciat, *Sleid. d. lib. 1. de stat. Relig.* cui verò alienatio non permittitur; nec is reinfeudandi potestatem habet, quia est species alienationis, *cap. unic. per quos fiat invest. Borch. cap. 5. num. 42. de feud.* Ob quam causam minor, rem à suis majoribus in feudum concessam, sibique ante legitimam ætatem apertam non poterit eam absque decreto magistratus de novo alii reinfeudare, *Heinric. Rosenth. cap. 3. conclus. 15. num. 2. de feud.* Nec hæc opinio per hunc textum nostrum labefactatur, siquidem alia ratio in Electoratibus, alia in Ducatibus, aut Comitatibus viget: Electoratus si aperitur ad alium transferri, ne numerus Electorum septenarius minuatur, debet, quæ inspectio

cùm in cæteris feudis Regalibus cesset, non mirum si jus aliud in illis per capitulationes Imperatorias receptum sit: Atqui dices, non satis per hoc explicari, cur non ut in Ducatus novâ concessione consensus Electorum requiritur, ita & in Electoratus infeudatione idem exposcatur, cum hoc casu vel maximè Electorum, ne ipsis invitis Collega adjungatur, interesse videatur. Verùm responsio ex primæva horum feudorum natura dependet, qua Imperatori, ad quem ut Electoratus, ita & Ducatus, & Comitatus vacantes revertebantur, permittebatur liberè sinè aliorum consensu eosdem, cui vellet, reinfeudare, *c.unic.vers.callidis de probib.feud.alienat.per Frideric.c.unic.quemad.feud. ad fil.pert.* in Ducatibus per Capitulationes Imperatorum sequentium id immutatum esse, jam ostensum est; in Electoratibus verò permansit jus vetus incorrectum, quod & hac Bulla repetitum est, qua quidem etsi sinè Electorum consensu potestas eos infeudandi Imperatori tribuatur, & hoc intuitu amplior, quàm in Ducatuum, aliorumque Regalium feudorum reinfeudatione effulgeat, attamen in eo vicissim à primæva eorundem naturâ recessum est, quod non ut olim pro arbitrio *c. unic. de his qui feud dar.poss.* sed per Bullam hanc nostram eosdem alii de novo in feudo concedere debet.

XVII.

An verò Imperator consanguineis suis Electoratum ad se reversum reinfeudare possit?

Et quidem arguendo ab Emphyteusi ad feudum, quod licet juxta *Everh.in Topic.in loc.ab Emphyt. ad Feud.* id negandum videbatur: Nam *in Novell.120.cap.5.* sic constitutum legimus, Oeconomis verò, inquit, ut reliquis venerabilium locorum ordinatoribus & parentibus, verùm & filiis, & aliis, qui per genus eis, vel nuptiarum jure conjuncti sunt, interdicimus Emphyteusin concedere. Verùm quia ordinata charitas à se & suis incipit, *argum. l.si præses. C.de servit.& aqua.c.non satis est, dist.86.* Et exempla Rudolphi I. qui Alberto filio Austriam, Ludovici Bavari, qui Electoratū Brandenburgensem filio concessit, *Peucer.lib.5.Chronic.* observantiam contrariam insinuant, rectius id adfirmabitur, præsertim cum & ratio textus no-

tus nostri id non abnuat: Si enim de vacante Electoratu tanquam de re ad se & imperium legitimè devoluta, profitere poterit, utique vi hujus juris & factæ ad ipsum devolutionis poterit eum & in sanguine junctos conferre: Nam non minus res ipsius hoc casu, quàm illo, quo in extraneum transfertur, esse perhibetur. Nec movere nos in contrarium Novell. opposita debet, siquidem argumentatio ab Emphyteusi ad Feudum cessat, ubi diversa ratio extat, quæ in casu nostro hæc est; Dandus enim pro Emphyteusi est Canon, quem verosimiliter vinculum sanguinis magis diminuet, quàm augebit, sicque in fraudem Ecclesiæ verget, unde *Alciat. reg. 1. præsumpt. 29. n. 1.* dicit, quod alienatio facta per prælatum in consanguineos præsumitur non in Ecclesiæ utilitatem facta, sed potius ipsorum consanguineorum, & *Bald. in l tutor peritus §. 1. ff. de Excusat. tut.* tradit per illum textum ibi colligi argumentum, quod Papa conferens beneficium consanguineis, præsumitur fecisse ex affectione carnis, non ex revelatione Spiritus, quoniam ut ait *Glossa in c. pervenit 1. quæst. 3.* Episcopi & Prælati sunt cœci circa nepotes & alios consanguineos: Pro feudo & quidem Electorali nullus datur Canon, sed gratis & benevolentiâ non pecuniâ concedi solet, *c. unic. in f. in quibus caus. feud. amitt.* Et per consequens præsumptio illa diminutionis cessat; Nec impedit servitia pro eo præstari, quorum diminutionem consanguinitas haud difficulter obtinebit, inquies, quoniam non potest concedens in præjudicium Imperii alia conditione illud dare, quàm qua antiquitus ex consuetudine tribui consuevit, *c. unic. in pr. de his qui feud. dar. poss. c. unic. verb. profectò de leg. Corradi.*

XIIX.

Regnum verò Bojemiæ si vacare contigerit, non illud ut reliqui seculares Electoratus ad Imperium redit, sed statibus Regni Bohemiæ juxta continentiam eorundem privilegiorum & observatam consuetudinem diuturnam à Romanis Imperatoribus obtentorum alium in Regem eligere conceditur.

Ex

Ex quo satis apparet, Regnum Bojemiæ Imperio subjectum esse: Exceptio enim quæ circa Electionem novi Regis versatur, ostendit id juri subjectionis in aliis relinqui, *l.quæsitum.§.idem respondit ff.de fund.instr.legat.Decius in l.1.ff.de R.J.* Unde *Dubrav. lib. 9. in princ. Histor.* Bojemos Germanis permixtos ipsam Germaniam inhabitare scribit, & *Æneas Sylvius cap 1.Histor. Bojemic.* Bohemiam Germaniæ portionem facit, Heinricus Auceps Imp. eam Imperio tributariam reddidit, *Peucer.in Chron.lib. 4. in Heinr. Aucup.* Et ideò Imperator Albertus à Wenceslao Rege Bojemorum decimas argenti, quod, in Bojemia ex montibus, puteisque argenteis eruebatur, petiit, rationem hanc addens, eodem jure, eademque conditione obligatam esse Imperio Bohemiam, qua cæteræ Principum in Germania Provinciæ, quæ à Cæsare jurisdictionem suam accipiunt, ut meritò Cæsar vicissim ab illis decimas metalli exigat, à quo etsi Wenceslaus peteret ut vectigalibus Cæsaribus debitis contentus esset, prætendens Reges, & ante illos Principes Bojemiæ sic à Germanis Cæsaribus in fidem & amicitiam receptos esse, ut præter honorem, quem Cæsareæ majestati deberent, cætera immunes essent & liberi, tantùm abfuit, ut Imperator acquieverit, ut bellum Regi intulerit, *Dubrav. lib. 18. Histor. Bojem.* Sed & subjectionis argumentum aliud textus noster suppeditat, dum privilegium hoc de eligendo novo Rege à Romanis Imperatoribus Bojemis indultum dicit: Qui enim privilegium concedit, ut superior sit, quique id accipit, ut subjectus sit, necesse est, *Rutger. Ruland. part.4.cap.3.numer.27.lib. 2. de Commissar.* Et dum Carolus id confirmat, subjectionem adstruit, confirmatio enim est actus superioris, ut nec paris, nec inferioris dici possit, *§.interim Novell.15.Natta Consil.636.num.81.* Quique insuper collectas imperio solvere coguntur facto eo se subjectos esse ostendunt, *Natta dict.Consil.636.numer.79.* Ex imperii autem matriculis Bohemos ante hæc tempora easdem contribuisse apparet, sicuti ex editis à Brunovicensibus Actor. tom. 2. matriculis videre est, & etiamnum hodiè Imperatorem in Italiam proficiscentem in persona Rex Bohemiæ sequi cogitur. *Hartman. Maur. de Coronat. Carol. V.* quæ reverentiæ exhibitio similiter

ſimiliter ſubjectionem arguit,*c.ſolitæ de major.& obedient. Cephalus Conſil 369.n.62.* Nec movet,ſi quis ex *Hartmanno Mauro d. loco* opponere velit,Bohemum ſubjectum Imperio propterea haberi non poſſe, quod non operas Imperio, voluntariasque collationes hodie præſtet, neque gratuita onera ferat,aut etiam Circulis illis,in quos Imperium digeſtum atque partitum eſt, comprehendatur: Nam præterquam, quod jam dictum eſt, eum ſubjectionis in ſignum Imperatorem ſubſequi, & ideò totaliter ſubjectioni exemptum non eſſe, etiam dici poteſt, aliud eſſe quærere,an ſubjectus ſit? & aliud,an à Collectis, oneribusque aliis immunis ſit? Hoc modo licet quis exemptus ſit,non propterea tamen ſubjectus eſſe deſinit, Archiduces Auſtriæ non minoribus ferè privilegiis donati ſunt,& tamen ſubjecti Imperio ſunt: Comes Hollandiæ quondam pro Imperii Principe habitus fuit,& tamen liberrimus fuit, unde cùm Wilhelmus in ordinem Equeſtrem ante coronationem Imperialem reciperetur,his verbis juramentum exorſus eſt: Ego Wilhelmus Comes Hollandiæ,militiæ Princeps, ſacrique Imperii Vaſallus liber &c. Exemptio itaque præjudicare in ſubjectione Imperio non poteſt, ſed in caſibus non exemptis manet jus ejuſdem ſalvum illibatumque.



DISCUR-

DISCURSUS QUARTUS AD AUREAM DISCURSUUM ACADEMICORUM

Ad Auream Bullam

CAROLI QVARTI ROMAN. IMPERATORIS

QUINTUS.


RESPONDENTE

JOHANNE DEIEN Osnabr. Westph.

AD CAPUT OCTAVUM.

THESIS PRIMA.

Quo tempore Dux Bohemiæ in Regem evectus sit, non una omnium est opinio.



Abbas enim Urspergensis ab Henrico V. Imperatore ex duce ad regnum adsumptum fuisse autumat. Qui verò res gestas & Bohemorum historias consignarunt, tradunt dignitatem quidem regiam ab Ottone Wenceslao Sancto delatam, sed non receptam, postmodum ab Henrico IV. Imperatore Uratislao redditam esse. *Æneas Sylv. cap. 22. de Bohem. Dubrav. in lib. 9. pr. histor. Bohem.* Sed post Uratislaum pluribus annis interregnum fuit; nam Conradum fratrem ejus, ac deinde Uratislai filios non Regis nomine, sed Ducis tantùm usos esse constat, tanquam Regni decus homini, non provinciæ datum esset, *Æneas Sylv. c. 24. in Bohem.* donec Uladislaus ex fratre

fratre nepos à Friderico I. ſuo hæredumque ſuorum nomine iterum regiam dignitatem conſecutus eſt. Quod præter Sylvium indicat quoque *Guntherus in Ligur. lib. 6.*

Hoc quoq; conventu procerum Dux ille Bohemus
Fama Labeslaum, quam nominat ob ſua geſta
Fortiter, & bello nuper ſpectata Polono,
Ex Duce Rex fieri meruit, geſſitq; potenti
Sceptra manu, cinxitq; novo diademate crines.

II.

An verò inter Electores referri debeat, hujus loci quæſtio eſt.

Et in duas opiniones video homines doctos abire. Autores primæ id negant: Sic enim *Abbas Stadenſis ad annum Domini 1240. ſcribit?* Bohemiæ Regem Pincernæ quidem munere fungi, verùm non eligere, quia non ſit Teutonicus. Et *Speculum Saxonicum lib. 3. artic. 57.* Bohemiæ Rex Pincerna eſt, qui non eligit, quia noſtræ non eſt nationis. Qua de cauſa factum opinari licet, ut Sigiſmundus Rex Poloniæ Ludovici Ungariæ & Bohemiæ Regis impuberis patruus, qui anno 1519. Legatos ſuos cum ingenti pompâ Francofurdiam ad conventum Electoralem miſerat, ut adminiſtratorio nomine vicem ſuam in electione Regis Romanorum gererent, tanquam extraneus & inhabilis à jure & poteſtate ſedendi, ſuffragandi & eligendi excluſus fuerit; ſicuti ex actis electionis Caroli V. apparet.

Autores verò ſecundæ opinionis largiuntur quidem Electoris eum partibus fungi, ſed tunc demum cum paria ſunt Electorum vota, ſicut videre eſt apud Canoniſtas *in cap. venerabilem. extr. de elect. Petr. de Andlo lib. 2. cap. 2. de Rom. Imperio. Pacianum lib. cap. 35 numer. 26. de probat.* Quorum ſententiam *Joann. Dubrav.* alioquin diligens regiæ Bohemicæ dignitatis adſertor ſequitur. Additus tamen ſex illis Principibus, ait *lib. 6. hiſtoriar. Bohem.* poſtea

postea Rex Bohemus fuit Elector septimus ad tollendam discordiam, quæ inter pares numero pari suffragio concurrente, nonnunquam intercedebat. Verùm uti prior, ita & posterior opinio ex Bullâ nostrâ satis superque refellli potest. Si enim Rex Bohemiæ votum tertium, & inter Electores seculares primum habet, Elector sit necessum est. Nec id dici potest, quod paribus existentibus suffragiis saltem interveniat. Atqui *in tit. 4. §. 3. hic dicitur*, quod Rex Bohemiæ ex regiæ dignitatis fastigio inter Electores seculares primatum obtinet, relinquitur itaque eum, quia primus est, & Electorem esse, & non, ubi dissentiunt, sed antequam reliqui seculares suas sententias dixerint, votum suum proferre. Quod insuper confirmatur *tit. 7. §. 1. hic.* Sanè generaliter longè lateque publicum, & quasi per totum orbem notoriè manifestum habet textus: Illustres Regem Bohemiæ &c. cum cæteris Principibus suis Ecclesiasticis Coëlectoribus jus, vocem & locum habere, & unà cum ipsis censeri & esse veros & legitimos S. Imperii Principes, Electores, &c. Cujus loci inductione refutatur *Cranzii* opinantis sententia, Carolum nostrum reliquis Electoribus Regem Bohemiæ adjecisse *lib. 4. cap. 25. in Saxoniâ*: Si enim, ut textus ait, longè lateque tempore Caroli publicum & quasi per totum orbem manifestum notoriè fuerit, Regem Bohemiæ cum cæteris Electoribus verum & legitimum Electorem fuisse, non utique Carolus eum de novo reliquis adjecit, quod enim notorium & manifestum, per totum orbem fuit, non recens, sed ab antiquo constitutum fuerit necesse est, quod & verè de Rege Bohemiæ Carolus adseruit. Nam ut Dubravium prætereamus, qui eum cæteris additum fuisse ait, *d. lib. 6. hist. Bohem.* Certior ejus rei probatio ex constitutione Rudolphi I. Imperatoris desumi potest. quæ extat apud *Goldast. constit. Imperial. tomo 2. Anno 1290.* Hæc verò jura, Pincernatus & Electoratus, ait, nedum dicto Regi & suis hæredibus didicimus competere, sed & suis progenitoribus, abavis, atavis & avis plenissimè, purè competebant. Meminit & *Dubrav. lib. 18. histor. Bohem.* Rudolphus Cæsar in acta publica referri jussit, ait, quòd Rex Bohemiæ Electorib. Imperii sinè ullâ ambiguitate perpetuò annumerari debeat.

Extat quoque apud *Baron. annal. Eccles. tom. 10. An. 996.* diploma Electorale, quo Germaniæ Principes electionem Philippi Imper. Erfordiæ peractam Pontifici Romano insinuant, in cujus subscriptione inter seculares Principes primo loco legitur Rex Bohemiæ. Et in electione Friderici II. Imper. primas partes tenuisse Regem Bohemiæ ex constitutione de privilegiis Regis Bohemiæ ab ipso promulgata, videre est apud *Goldast.* in Reichshandlung *de Anno 1212.* in electione itidem Wilhelmi Comitis Holandiæ non solùm Rex Bohemiæ, ut Elector adfuit, sed & ipsum Comitem in ordinem equestrem ictu gladii more recepto adscivit. In electione quoque Ludovici Bavari tertio loco enumeratur Joannes Rex Bohemiæ, *Henricus Rebdorfius Anno 1314.* Et ideò cum tempore electionis Maximiliani I. quod fortè non satis conveniebat inter Fridericum Cæsarem & Regem, præteritus fuisset Bohemus, adeò non dissimulanter tulit, ut pœnam aureæ Bullæ, in quam incidedunt Principes, acerrimè interpellando postulare non cessaret, armaque præter hoc se illaturum minaretur, ut refert *Hartman. Maur. in coronat.* Caroli V. Imperatoris. Nec hanc sententiam ratio Abbatis Stadensis quicquam afficit: si enim ideò, quia Bohemus Teutonicus non est, non eligit, utique à contrario si probetur, quod Teutonicus sit vel consentiente Stadensi eligere poterit. Atqui Bohemos Germanis permixtos ipsam Germaniam inhabitare *Dubrav. lib. 9. histor. Bohem.* fatetur. Et *Æneas Sylvius c. 1. histor. Bohem.* Bohemiam Germaniæ portionem facit, adeò ut in templis sermone Teutonico plebs doceatur, *Munster. lib. 3. in descript. regni Bohemici*, ut rectè *Freher. in notis ad Pet. de Andlo c. 2. lib. 2.* dixerit, quod Stadensis, sicuti & Speculi Saxonici ratio non usq; adeò liquida sit, cum sub Germaniâ magnâ, qualẽ quidẽ Geographi describunt, Bohemiam Germanis populis undiq; circumdatam & incinctã dubium esse non possit &c. Quod secundæ sententiæ autores attinet, cùm illi nullius constitutionis aut etiam idonei autoris testimonio fulciantur, eâdem confidentiâ, quâ illi eam adstruunt, nos destruere possumus eam. Præsertim cum à nobis tot constitutionum unanimis consensus, & acta fidei indubitatæ militent, quare & Rupertus Comes Palatinus Elector in diplomate suo, quo jura Electoris Bohemiæ in Comitiis Metensibus con-

firmavit, non obscurè tàm primæ quàm secundæ sententiæ autores perstringit; nonnulli filii tenebrarum, ait, oculis cœcutientibus à divina luce remoti in meridianâ palpitant claritate, sicut in noctibus & offendicula laqueosq; præparant iniquitatis & sceleris, diabolicâ invidiâ suggerente jugum veritatis deferre præ mole gravissimi ponderis coagulati mendacii nequentes super ipsis offendiculis corruunt, & suorum laqueis iniquorum conceptuum se involvunt, ut lucem tenebras judicent, & tenebras ipsam lucem. Igitur ad abundantioris cautelæ præsidium, ut præfato Serenissimo Principi Domino Regi Bohemiæ & successoribus & heredibus suis Regibus Bohemiæ in perpetuum securius caveatur &c. *apud Goldast. tom. 2. constit. imperialium fol. 91.* Gravissimè ergò cum Ruperti Imperatoris constitutione Canonistarum & Speculi Sax. commentum autoris redarguatur, nemo, opinor, in tantum pertinax erit, qui non omisśâ eorum sententiâ ad eam, quam firmavimus, accessum facere velit.

III.

Quando verò cæteris Electoribus additus sit, inter scriptores itidem non constat.

De Bohemiæ Rege seu Duce primorum temporum gesta non ferunt, ait *Heig. q. 3. n. 47. lib. 1. quæst.* illum statim aliis applicari, bella enim inter imperatores Romanos & Bohemiæ Duces toties renovata ostendunt, non adeò firmiter Bohemiam cum imperio superioribus seculis coaluisse; tantum abest, ait *Cysner. in oratione de Ottone III.* ut Bohemiæ Duces iis comitiis, quibus Henricus Claudus, Conradus Salicus, Henricus Niger Impp. renunciati sunt, interfuerint, ut etiam imperio Germanorum, cui tributum pendebant, infestissimi essent, etenim ex iis Spitigneus tantò odio in Germanos exarsit, ut non modò omnes alios Bohemiâ excedere jusserit, sed nec matri quidem suæ in eâdem commorandi potestatem fecerit, *Æneas Sylv. c. 20. in Bohemiâ* Et cum cæsô Ottocaro Marchio Brandenburgensis tutelam Wenceslai ejus filii suscepisset, & Bohemos, utrum putarent, utilius suis legibus & moribus vivere,

an imperio Germanico obtemperare rogaret, illi perire se malle, quàm Germanis subjici, exclamarunt, *Dubrav. lib. 18. histor. Bohem.* Verùm horum raciocinatio non efficit, quò minus statuamus etiam protinus aliis sex Bohemum additum fuisse. Nam & bellum inter conjunctissimos non rarò oritur, & odium gentis Bohemicæ in Germanos etiamnum viget, fuitque tempore Rudolphi I. Imper. efficacissimum, quod mortem Ottocaro Regi acceleravit, *Æneas Sylv. cap. 27. in Bohem.* Et bellum inter Albertum I. Imper. & Wenceslaum Regem redintegratum non efficit, quò minus Wenceslaus Elector permanserit, cum ut *Dubrav. d. l. 18.* autumat, huic à Rudolpho Alberti parente primitus dignitas Electoralis collata fuit, qui tamen in hoc apud me vix fidem inveniet, qui sciam, quòd tunc temporis, cum Bohemus Elector factus, Dux non Rex fuerit, *Schard. c. 8. de orig. Elect.* ac meo judicio, ait, si qui sunt autores, qui institutionis Electorum mentionem facientes Bohemum Regem appellant, ut *Naucler. gener. 34. Cuspin. in vitâ Ottonis III.* aliiq; nonnulli, hi non id sentiunt, quod Ottonis tempore Rex fuerit, sed quod tunc, cùm illi scripserint, Rex esset, utpote, qui ipsi tradiderint, Ducem Bohemiæ Uladislaum à Friderico I. regio diademate insignitum &c. Et si Wenceslao Ottocari filio primitùs dignitas Electoralis collata foret, falsus esset Rudolphus I. qui abavis & atavis Bohemiæ Regis jura Pincernatus & Electoratus competiisse adserit *apud Goldast. d. constit. tom. 2.* nec primas in electone Friderici II. non itidem Guilhelmi Comitis Holandiæ obtinuisset.

IV.

Bohemo verò ut Electori ejusque subditis duplex privilegium à Carolo nostro hic confirmatur. Primum est, ne quis ex iis, ad cujuscunq; judicis tribunal extra regnum Bohemiæ vocetur. Alterum est, nè appellationes à sententiis instituantur, aut etiam à quoquam recipiantur, quod & cæteris Electoribus indultum *c. 11.* legitur.

AD CAPUT IX.

V.

Cùm pecunia imperii & rerum gerendarum nervus sit; ea autem ex oppresſione & ſubditorum lachrymis corradi non debeat; Aurum enim adulterinum exiſtimari debet, inquit ille, quod cum ſubjectorum lachrymis collectum eſt, ideò ejus conficiendæ inter cætera honeſtiſſimum putatur genus, quod fodinarum proventu conſtat, qui revera Principum mercatura quædam, juxta *Scipionem Ammirathum lib. 3. diſcurſ. 8.* vocari poteſt, & ideò ut aliarum rerum negociatione Princeps abſtinet, ita & à ſubditis ei ad dignitatem ſuam tuendam proventum eum, qui ex iis haberi ſolet, quaſi negociationis quandam ſpeciem, concedi æquum fuerit. Quibus hoc, ſi ſumtus, qui ad metallorum productionem immenſi requiruntur, perpendantur, nocivum adeò videri non poteſt. Unde cum Friderici I. Imperatoris tempore

—————— regni de jure vetuſto
Quæſtio mota fuit, quod deſuetudine longâ
Priſcus inumbrârit neglecti temporis error,

ut *Gunther. ait in Ligurino lib. 8.* ab ipſo jus aurum, argentum aliudvè metallum fodiendi iterum ad regalia, hoc eſt, ea, quæ ſoli competunt, relatum fuit *c. un. quæ ſunt reg. in uſ. feudor.* Quod equidem non ſolùm intelligo cùm fodina metallica in loco publico, hæc enim Imperatoris jure proprietatis, non ullius præeminentiæ intuitu eſt, verùm etiam cùm in privato reperta eſt, obliterato hac in re jure antiquo, quo fodinas in privatorum uſu fuiſſe oſtenditur *l. 3. §. ult. l. ſeq. ff. de reb. eor. quæ ſunt ſub tut. l. item ſi fundi §. ſed ſi lapidicinas l. ſi cujus. §. inde quæſitum ff. de uſufr.* certâ portione fiſco ex earum proventu attributâ *l. 1. & 2. C. de metall.* quod præter *d. c. un. quæ ſunt regal.* Et *Gunther. d. lib. 8.* confirmat:

Hæc & ſi qua pari fuerant obnoxia juri,
Prælati, Proceres, miſſiſq́ potentibus urbes,
Libera Romano liquerunt omnia regno.

Pro-

Probatur quoque ex eo, quod Carolus Magnus Ludovico Comiti Glichensi facultatem aurum, argentum fodiendi aliaque metalla peculiariter in suo districtu concesserit, *Goldast. tom. 1. constit. imper. p.17.* Et Fridericus II. Ludovico Bavariæ Duci & Palatino Rheni omne genus metalli in terris patrimonii & feudi fodere specialiter indulserit, *Goldast. d. tom. 1. pag. 298.* clarescit, insuper ex constitutione Henrici VI. Imperatoris, cùm omnis argenti fodina, ait, ad jura pertineat imperii & inter regalia nostra sit computata, nulli venit in dubium, quin ea, quæ nuper in Episcopatu Mindensi dicitur inventa ad nostram totaliter spectet distributionem, *Goldast. in tom.3. constit. imper. fol.362.* Si totaliter distributio spectet, non certa portio saltem debita fuit. Quare & Henricus *in d. constit.* duas saltem tertias Episcopo, retento sibi reliquo libera voluntate, adsignat, quod & Carolus IV. in textu hoc nostro statuit, dum enim universis & singulis Electoribus tàm Ecclesiasticis, quàm secularibus omnes auri & argenti fodinas, cupri, item ferri, plumbi & alterius cujuscunq; generis metalli ac etiam salis tàm inventas, quàm etiam inveniendas in suis ditionibus justè tenere & possidere concedit, utique apertè demonstrat, hoc aliis Principibus & statibus citra specialem Principis concessionem permissum non esse. Quibus omnibus denique consuetudo omnium rerum domina, ut *à Gellio 12. noct. Attic. cap.13.* appellatur, adsistit. Nam attestantibus *Reinhardo diss. Sax. 8. p. 6. Colero decis. 98. num. 3. lib. 1.* qui in Germaniâ fodinas metallicas habere vult, eum oportet à Cæsareâ Majestate de iis investitum esse, ut videre licet, inquit *Reinhardus* **in der Chur und Fürsten zu Sachsen/ Mansfeldischen/ Hohnsteinischen/ Stollbergischen / Goßlarischen und andern Bergwercken.** Et haud dubiè his & aliis fundamentis motus Potentissimus quidam Elector fodinam salis nuper in privati agro in suis ditionibus inventam sibi adseruit jure, ut meritò ab illorum sententiâ cavendum sit, qui volunt fodinas in agris privatorum inventas ad dominos agrorum pertinere, dummodo decimam metallorum partem Electoribus solvant, *Andr. de Isern & communiter Feudistæ d. c. un. quæ sunt regal. Quetta cons. 5. num. 13. Wes. cons. 60. num. 4. Rosenth. cap. 5. concl. 88. nu. 7. de feudis.* Nam concessio facta est ab Imperatore Electoribus eo

Ff 3 modo,

modo, quo ipse proventum fodinarum habuit, ut ex textu nostro patet. Et aliàs ea cum omnibus suis qualitatibus facta censetur. *l. sed etsi manente. ff. de precar.* ejusdemq; naturæ & formæ intelligitur *c. hi qui de præbendis in 6.*

In territoriis tamen Electoris & Ducum Sax. inveteratâ consuetudine aliqualiter nostra opinio limitata reperitur. Si quis n. ab iis de feudo aliquo cum mero mixtoq; imperio investitus sit, inque eo fodinæ metallicæ reperiantur, atq; ex ipso metallo æs, stannum ac plumbum vincat aurum argentumvè, quod æri, stanno, plumbovè admixtum est, cedit lucrum totale vasallo. Quod si verò aurum argentumvè seu copiâ seu valore superet jam tacta viliora metalla, omnis utilitas Principibus cedit, *Reinhard. d.l. Heig. q. 13. n. 42. lib. 1. quæst.*

VI.

Conceditur insuper in textu nostro Electoribus Judæos habere. Hi enim veteri instituto Cameræ Imperialis servi habentur, uti constat ex Ruperti Imper. Constit. quæ extat apud *Freher. in not ad Petr. de Andlo c. 10. lib. 2.* Et ideò juxta mancipiorum conditionem Imperator eos in Electores alienare potuit, eorundemq; recipiendorum jus postmodum ad omnes illos, qui regalia ab Imperio, aut privilegium ejus nacti sunt, porrectum est, *Recess. imperii 1548. §. von Jüden/ & Anni 1577. tit. 20.* Quod tamen non eousque extendendum est, quasi illi cum omnibus suis fortunis more servorum in ejus potestatem, cujus in territorium migrant, transeant, uti malè *Ioannes de Ananias & Corcetus relati à Marquardo de Susannis part. 1. c. 7. nu. de Iudæis*, volunt. Quia præter solitam contributionem, quæ qualis in imperio Anno 1495. fuerit, videre in ejus Recessu est, ab iis exigere non licet, adeò ut ad rerum suarum venditionem etiam pretio constituto compelli nequeant. Justum enim est ajunt Impp. sua cuiq; committere *in l. nemo. C. de injuriis.* Et non secus ac liberi & Christiani jure communi & Romano in his causis, quæ tàm ad superstitionem eorum, quàm ad forum & ll. & jura pertinent, utuntur *l. 8. C. eod.* Hinc contrahere, mutuum dare ac recipere, emere & vendere, dummodò id bonâ fide faciant, possunt, *Recessu imperii 1577. tit. 20.* Quâ in re jure Saxonico melior est eorum quàm Christianorum conditio. Nam rem furtivam igno-

ignoranter ementes pretium à Dominó eam repetente recipiant, Landrecht *lib. 3. art. 7.* Verùm hoc ut & alia plurima ejus juris tanquam ſaxeum & durum reprobatum eſt, *juxta gl. ad d. art. 7. lit. d.* Et rectè; nam Chriſtianus nón recepto pretio reſtituit eam *l. incivilem C. de furt.* Multò magis ergò Judæis id imponendum erit, qui cautius negociari curabunt, ne tantùm in damna ejuſmodi, ſed etiam in criminis ſuſpicionem, quâ vel maximè laborant, incidant, ut ait *d. l. incivilem.* Et ideò *in d. Receſſu imperii Anni 1577. 120.* dominis citra diſpendium res ejuſmodi reſtituendas eſſe conſtituitur. Ubi etſi plurima alia ad fraudes Judæorum, quas in mutuo aliiſque contractibus committunt, avertendas ſalubriter ſtatuta reperiantur. Attamen gens inviſa Deo & in Chriſtianorum conſpirans interitum nihil aliud, quàm refractis legum repagulis ſanguinem & nummos eorum ſitit, & modis etiam quibus poteſt nefariis acquirit. Hoc vel maximè nomine ſibi blandiens, quod etſi nec agros nec vineas poſſideat, frumenti, vini & nummorum tamen copiâ mirificè abundat, ſudoribusque noſtris fruitur. Felices profectò urbes & ditiones quæ hac hominum lue carent, ne multis furti occaſionem & bonorum ſuorum diſtractionem præbeat, ait *Conradus Celt. in deſcr. urbis Norinbergæ c. 15.* Nobis quippe illam retributionem impendit, quam juxta proverbium: mus in perâ, ſerpens in gremio, & ignis in ſinu, ſuis exhibere conſueverunt hoſpitibus, ut ait *Pontifex in c. etſi Judæos. extr. de Judæis. Iacob. Cujac. 7. obſ. 29.* tamen in contrariã ſententiam propendet, motus ea ratione, quam Auguſtus apud Philonem in ſuis exprimit edictis, collegia & coitiones Judæorum ideò ſe promittere, quod non ſint crapulæ primò & vinolentiæ, ſecundò quod non ſeditionũ nutriculæ, ſed ſcholæ temperantiæ, & juſtitiæ, ſummo ardore animi hominũ omne genus virtutis amplectentium. Et quidẽ rationes hæ Auguſtum Deorum gentilium religione detentum moverunt. At nos qui Chriſto nomen dedimus, ſi blaſphemias & execrationes, quas in Salvatorem noſtrum ejusq; matrem virginẽ, omnes deniq; ſanctos & fœdiſſimo ſuo palato corructant, ut loquitur Lutherus in eo, quem contra Thalmutiſtas edidit libro, conſideraverimus, virtutis umbra exteriore illa nec quicquam nos ut feramus impia hæc, movere decet. *Addit, Cuj.* quod verus Chriſtianorum Eccleſia eos non rejecerit, quodq; Deus Opt. Max. præ cæ-

teris

teris diebus extremis ad gloriam eis elaturus est, nec enim donationes suas revocat, quo quidem illud obtinetur inter Christianos eos tolerari posse, quod nec nos impugnat, qui quæstionem eam an recipi debeant ab illâ, an possint, sejungimus. Nec enim facilè eos debere recipi, at ex jure posse credimus; Et si recepti fuerint, ejici non poterint. Recipere enim ut voluntatis liberæ esse volumus, ita ejicere non itidem. Par enim utrobiq; est vinculi obligatorii, quod ex receptione oritur ratio, *l. sicut. C. de O & A.* Quare cum Judæos in Imperio illis, qui regalia habent, recipere permittitur, non utiq; si receperint, quod tamen rationibus supra dictis non suaserim, eos pro arbitrio ejicere denuò poterint, quia exorbitantes aliâ quàm ejectionis pœnâ cõstringi possunt. Insecus facientes eosq; ejicientes in Camerâ Imperiali cum clausulâ decerni solent mandata, *Rutger. Rul. lib. 7. cap. 3. p. 3. de commissar.* Quod si verò recepti fuerint, studeat magistratus: Primò, ut juxta constitutiones imperii habitu à Christianis distinguantur, qui juxta Recess. imperii Anni 1530. soll seyn ein gelber Ring an dem Rock oder Kappen allenthalben unverborgen. Secundò nè immobilia quocunq; titulo acquirant. Tertiò ultra quincunces usuras exigant. *Recess. imperii Anni 1577. tit. 20.* Quartò obligationes omnes coram Magistratu loci aliâ quàm linguâ Germanicâ conscribantur *Recess. imperii Anni 1551.* Quinto blasphemias execrationesq; contra Salvatorem nostrum religionemq; nostram eructent; & hæc omnia juramento ipsis præscripto. *Recess. imperii Anni 1538. Rubr.* Form des Jüden Eyds. *Ordinat. Cameræ p. 1. tit. 86.* se sanctè inviolabiliterq; observaturos Magistratui promittere debent.

VII.

Tribuitur quoq; in textu nostro Electoribus telonia seu vectigalia de præterito statuta & indicta percipere, quæ anteà soli Imperatori competebant, *l. 10. ff. de vectigal. c. un. quæ sunt regalia, & Gunther. lib. 4. in Ligurino,*

Improba Romano poscunt à Rege tributa,
Hujus ad arbitrium disponitur omne tributum.

Si enim ut Cyrus apud Xenophon. dicebat: officium Regis & Pastoris maximam habeat cognationem, utiq; non iniquum fuerit, illum ad instar hujus ex lanâ ac lacte vivere suarum ovium; nec aliter inquit,

inquit *Justin. in Nov. 161. c. 2.* conservare licet Rempubl. nisi pientissimæ præstationes importentur in publicum, ex quibus & militares nutriuntur copiæ, ut hostibus resistatur, ac per urbes & agros agantur excubiæ, perfruuntur reliqui ordines attributis sibi salariis, reparentur muri & urbes, deniq; omnia alia inde proveniunt, quæ communem subditorum utilitatem concernunt, neq; quies gentium, ait *Tacitus lib. 4. histor.* sinè armis, nec arma sinè stipendiis, nec stipendia sinè tributis haberi queunt, ut non injuriâ Neronem initiô sui Principatus Senatores reprehenderent, quòd ille cuncta omitti vectigalium juberet, dissolutionem imperii docendo, ait *Tacitus lib. 13. annal.* Si fructus, quibus Respubl. sustinetur, diminuerentur. Quibus de causis hæc Caroli Constitutio, quâ vectigalium jus Electoribus cõmunicatur, multis improbari solet, quibus flagitium dominationis videtur, ubi res imperii alienantur, *Clapm. lib. 5. cap. 12. de arcan. Rerumpubl.* Et trita est nostrorum conclusio, ea, quæ supremæ dominationis vel subjectionis notam habent, neque alienari à Principe, neque contra illum præscribi posse *c. cum non liceat extr. de præscript. P. Gregor. Tholos. lib. 3. cap. 8. de Republ. Balth. Aiala lib. 1. c. 6. n. 9. de jure & officiis bellicis.* nulli Impp. inquit *Theodorus à Nyem. in nemore unionis labyrinto tr. 6. data est* potestas à jure vel ab homine dissipandi vel alienandi jura ipsius imperii, quæ sunt juris publici, sed si ea neq; adaugere tenetur, tamen ea diligentissimè conservare, & propterea se Augustum appellat &c. Ita ut de facto alienata ad jus pristinum revocari debeant, *Aiala d. n. 9 lib. 1.* Quod pluribus adstruit *P. Gregor. d. c. 8.* Et sanè quamvis diffitendum non sit, quod immodica hac Caroli liberalitate eviisceratum sit imperium, & ut loquitur *Crantz. lib. 10. c. 3. in Saxon.* deplumata aquila, ut in reliquum cæteris animantibus sit contemptui; nam ab eo tempore magis ac magis indies extenuata fuerunt jura atq; vectigalia nostrorum Impp. ait *Jul. Pflug. de Republ. Germ.* ut post Carolum IV. è publico nostro & vectigalibus imperii non modò non nervos bellorum, sed nec pacis quidem subsidia amplius Impp. nostri habuerint. Attamen cum non solius Caroli, verùm omnium subseqq. Impp. repetitis & juratis promissionibus Electorum jura confirmata fuerint, utiq; iniquum foret, eos tot Principum clementi favore & beneficio decipi, quare

& Tyberius constituit, ut beneficia à superioribus concessa Principibus successores rata haberent, si eadem iisdem ipsi dedissent *Clapm. lib. 5. c. 13. de arcan. rerumpubl.* Nec enim per illum eundem jus, quod facto ipsius quæsitum nobis est, auferri debet, *Thoming. cons. 9. n 41. l. 1.* ut taceam sinè turbis maximis & summa indignatione eos tàm inveteratâ jurium regalium possessione dejici non posse; præsertim cùm & assidui & multiplices labores, queis illi pro quiete imperii funguntur, recompensationem non vulgarē exposcant *c. Ecclesiasticis 12. q. 2.* Quæ si inter dantem & accipientes instituatur, immodica non usq; adeò censeri debet: Immò benè merita pars contractus censentur, ita ut quæ eorum intuitu dantur, protinus in contractum transeant *l. quod semel. ff. de decret ab ord fac. Capit. decis. 166. n. 2.* Ab illo igitur parte altera invitâ recedere non licet, *l. sicut C. de O. & A.* Et concessio ab Imperatore facta licet ei non respondeant merita, dummodo respondeat liberalitati Principis, valida est, *Tiraquell. in l. si unquam verb. donationem largitus n. 84. C. de revoc. donat.* Cumq; agitur de remuneratione, Principis latè facienda est interpretatio. *l. 3 ff. de constit. Princ. Schrad. cons. 39. n. 129. vol. 2.* tùm etiam quod Princeps magna multaq; largiens putat se parva & modica concedere, juxta *gl. in l. sed & si susceperit §. 2. ff. de judic.* Unde Innocentium IV. Pontificem, qui cum post obitū Friderici Imperatoris multis multa concesserat, postea ejusmodi concessiones revocavit, *Andr. de Isern. in c. 1. n. 13.* qui successores teneantur, damnat, subjiciens: multum mali esse in exemplo, cùm non sit proprium Imperialis vel Pontificalis majestatis semel concessa rursùm auferre, *in pr. Nov. de referend. palatii.* Valet deniq; alienatio jurium regaliū, si statuum consensu accedente ea fiat. *l. fin. C de vendend. reb. civit. l. 2. C. de prædiis Decur. P. Greg. Thols. d. c. 8. lib. 3. de Rep.* In jurium autem vectigalium imperialium concessionem consensum Statuum accessisse indicio est initiū Bullæ nostræ, ubi adsidentibus multis Principib. Comitib. & civitatū Legatis maturâ deliberatione præviâ, ea quæ subsequuntur, constituta esse dicuntur, & aliâs ex lapsu ejus temporis, cujus initium non recolimus, omnia solenniter acta fuisse præsumtio est, *Cravett. cons. 258. n. 13 Menoch. cons. 90. n. 30 & seq.* Posset tamen, ait *Nicol. Cusan. lib. 3. cap. 39. de concord. Cathol.* de Imperialibus teloniis & gabel-

gabellis Principib. pro Republ.concessis competens portio pro statu imperii annuè reservari,& ab omnibus teloniis in portione moderata abstrahi, & sic ea vectigalia & tributa ad publicum ærarium imperiale pro exercitu & statu imperiali Francofordiæ reponerentur, de quibus ita recollectis in annuo concilio & ratio & ordinatio fieret in Electorum ac aliorum præsentia,ut omnia justè ac prudenter disponerentur, & tunc cessarent magnæ expensæ, quas hodiè Principes coactè & inutiliter faciunt. Et provinciæ ditarentur & Respublica & imperium exaltaretur denuò.

VIII.

Cùm verò in textu nostro telonia in præterito statuta & indicta percipere Electorib. conceditur utiq; per intellectum à contrario monemur de futuro statuere alia iis non permitti; & rectè.

Si enim,ut modò diximus,officii Principum & pastorum cognatio quædam sit, ideò ut ad pastorem pertinet curare, ut pecora habeat læta & succulenta, ita æquum est Principes subditos facere opulentos, & non novis exactionib. ad inopiam redigere. Ramani triplici ex rerum genere vectigalia percipere soliti erant, ex agricultura, mercimoniis & privatorũ opibus; at nunc ne victus quidem tributo vacat, ut *Sebast. Foxius de regni Regisq; institutione lib. 2. n. 71.* Excitati sunt graves Romæ tumultus, novum aliquod Octavio Augusto exiguũ tamen vectigalis genus imponente, qui tamen eâ in re omniũ continentissimus visus est. Permultæ item seditiones & priscis temporib. & patrum memoriâ in Galliis, Hispaniâ, Belgio & aliis provinciis exortæ sunt eam ob causam; Cum Ludovicus Sfortia,teste Guicciardino,misso ad GenuensesLegato, qui magnam pecuniæ vim ab eis exigeret, eoq; prandio ab aliquo urbis optimate excepto, fors tulit, ut ab accubatione epulari in hortis ambulare, & animadversa herbâ illâ, quæ Basilicus dicitur: ad Legatum, inquit, domine, herbam hanc leviter tracta & olfac; cui morem gerens, suavè olentem herbam deprehendit, cui rursum convivator: herbam manu jam preme & odorare, cui etiam tunc adquiescens, odorem admodum injucundum &

insuavem eò adflari professus est. Hic rursum nobilis Legato, domine, inquit, si Dux Ludovicus molli suæ potentiæ manu urbem hanc tractet, lætam & obsequentem inveniet; sin illam fortiter premat, ingratum rebellionis & impatientiæ odorem non dubiè percipiet. Prudenter *Comin.* nemo est omnium Principum, ait, qui jus habet vel teruncium unum exigendi à suis præter constitutum annuum censum, nisi populus adsentiatur; Dicat aliquis fortasse, nonnunquam incidere potest tempus aliquod, ut non sit integrum agere conventus aut conscribere populum, eò, quod hujusmodi mora & conjuncta sit cum periculo, & belli rationes impediat: Nihil hoc certè ad rem facit, dicit & pluribus ostendit *Cominæus lib. 10. de reb. gest. Ludovic. XI.* Sed regerunt, Principes vix dignitatem suam tueri, nisi utantur ejusmodi novis exactionibus: ita certè, inquit *Clapmar. lib. 5. cap. 14. de arcan. Rerumpubl.* sed de re licitâ, sed modicè, sed cum fruendi parcimoniâ. Meminerint Principes vocis illius Augusti Imperatoris. Magnas opes non tàm quæri multa capiendo, quàm multa non perdendo. Quare apud plerosq; populos, qui mediocri potentiâ valent, id capitulationibus regibus suis præscriptum videmus, ne ultra constitutum quicquam nisi eorum consensu exigant. Sunt quidam Principes, verbis loquor *Cominæi d. l. 10.* quibus hoc frequens in sermone est, ut dicant, se habere privilegia, ut quantum velint, exigant à populo. Certè Galliarũ Rex minimè omniũ causam habet, ut istud de se jactet: Nec enim vel ipsi vel cuivis alii licet. Angliæ consuetudo fert, ait idem *Cominæus lib. 5. de reb. gest. Ludov. XI.* ut extra ordinem subsidium nullum dent regibus, nisi belli gerendi causa vel in Galliam trajiciunt, vel in Scotiam proficiscuntur. Hispaniarum Rex, etsi potentissimus sit, & maximæ apud suos autoritatis, tributum tamen non nisi ordinum consensu imperat. *Bodin. lib. 6. de Repub. c. 2.* Imperatori nostro absq; consensu Electorum vectigalia nova constituere non permittitur. *Sleid. lib. 1. de stat. relig.* Multò minus ergò id Electoribus aut etiam aliis statibus, qui ex summi Principis liberalitate vectigalia habent, indulgendum erit. Hinc in *Recessu imperii Anno 1576.* §. Weiter sind wir *& seqq.* constitutũ, quod cum novorũ vectigalium exactio, veterumvè auctio sinè Cæsaris & Electorum consensu flagellandæ annonæ, perturbandæq;
quieti

quieti publicè passim instituta, pertineat ad Cæsareæ eminentiæ dignitatisq; Electoriæ injuriam, Circuli in eam rem inquirere, & comperta ad Moguntinum deferre debent: Et quia res odiosa est, mandata etiam sinè clausulâ adversus eos, qui talia moliuntur, obtineri possunt, & sic quasi ab executione initium fieri, & ipse ait *Sixtinus c. 8. n.16. de Regal. in Cam.* Vidi hujusmodi mandata clausulam justificatoriam non habentia annexam decerni: Et quidem contra eos, qui nova vectigalia non instituere, sed vetera augere conati sunt.

AD CAPUT X.

IX.

Quod medium ipsum in Syllogismo, sinè quo ipse mancus & inutilis est, operatur: Idem nummus, medium scil. concludendi in commerciis & contractibus efficit, utpotè sinè quo illi consistere nequeunt, *l. 1. ff. de contrah. emt. Budel. lib. 1. c. 24. n. 29. de monet. & re nummariâ.* Quare summam rei monetariæ curam Impp. semper habuêre, & nè quid falsitatis circa eam committi posset, sibi solis percutiendi, probandi, reprobandi, mutandiq́ue ejus arbitrium reservarunt. *l. 2. C. de fals. monet. c. un. quæ sunt regal.* Unde jure Saxonico Landrecht *lib. 3. art. 60.* Regi Romanorum in quacunq; civitate, quam ipse ingressus est, moneta non minus, quàm vectigalia vacant: Pristinæ scil. originis intuitu, quâ jus cudendæ monetæ ipsius ossibus Principis cohærere putatur. *Wesemb. consil. 60. nu. 31.* Unde nec ullius, quàm Principis effigie moneta visebatur:

Rege figuratam regiis patet esse monetam,
Cæsaris & Domino sub Cæsare fulget imago.

ait *Gunther. in Ligur. lib. 3.* ô magna inventa prudentum, ô laudabilia instituta majorum, ut & imago Principum subjectos videretur pascere per commercium, quorum consilia invigilare non desinunt pro salute cunctorum, ait *Caßiodor. lib. 6. var. Epist. 7.* Cujus rei dignitas quanta fuerit, ex eo æstimare licebit, quod Persarum Imper. loquor verbis *Procopii lib. 3. de bello Goth.* etsi ad arbitrium argenteum numisma faciat, auro tamen illi non fas est suâ ut imponat imaginem. Nec Barbarorum Princeps alius quicquam

 id fa-

id facere ausit. Hinc est, quod illi, qui falsa fusione nummos formaverint, majestatis crimen committant, eorumque facultates fisco addicantur, flammisq; exurantur *l. 2. C. de fals. monet.* Si unum lædere, legibus putatur esse damnandum, quid ille mereri poterit, qui in tantam hominum numerositatem peccaverit, inquit *Cassiodor. lib. 7. var. Epist. 32.* & paulò antè, omninò monetæ integritas debet quæri ait, ubi & vultus noster imprimitur & generalis utilitas invenitur: Quidnam erit tutum, si in nostrâ peccetur effigiem, & quam subjectus corde venerari debet, manu sacrilega violare festinet. Ex quo intelligimus, quod etsi nummi essentia ab autoritate Principis dependeat, materiæ tamen bonitatem vel maximè eum exposcere, & ideò ut legitimus sit, requiritur. Ut nec materia nec forma sit adulterata & pondus. His enim ex tribus monetæ cujusvis perfectio censetur, justum sit *l. 1. C. de veter. numis. pot. Constit. crim. Caroli V. art. 3.* Verùm in hoc titulo non solùm Regi Bohemiæ monetas auri & argenti in regno suo cudi facere posse confirmatur, sed etiam Electoribus cæteris de novo indulgetur. Quo fine si liberalitas subsequentium Impp. perstitisset, utiq; intuitu solicitudinum & laborum, quos Electores pro quiete publicâ sustinent, id iniquum putari non posset. Sed quia ea eousq; tandem evagata fuit, ut etiam ad inferiores status jus monetandi non solùm derivatum sit, *Recessu imperii Anno 1551. §.* Und sollen derwegen. Verùm etiam privatis id concessum moribus & consuetudine receptum attestentur, *Budel. c. 4. n. 5. lib. 1. de monet. & re nummariâ. Reusner. cons. 7. n. 36. vol. 3.* Ideò in capitulatione novissima Imperator permisit se sine consensu Electorum in posterum nulli statui jus monetandi concessurum, ne scil. quod specialiter in usum publicum constat inventum, in privatorum transeat compendium, ut loquitur *Cassiodor. lib. 5. var. Epist. 39.*

X.

Permittitur insuper in hoc titulo Regi Bohemiæ cæterisque Electoribus, ut à quibuscunq; Principibus, magnatibus, Comitibus & personis aliis quascunque terras, castra, possessiones vel prædia emere, comparare seu in dominium ex quacunq; causa aut in obligationem recipere liceat, ita tamen quod libera, ut libera, feuda ve-

da verò ut feuda tenere, deq; iis consueta jura imperio exhibere adstringatur Quâ quidem in re consuetudinib. feudalibus derogatur: iis enim vasallus feudo cadit, si sine consensu domini feudum alienat, dominum quippe contemnere videtur *c. un. in fin qua fuit prim. causa benef amitt. c. un. de probib. feud. alien. per Lothar.* Quoniam verò nec Dominus vel vasallus agnatorum jus siquidem antiquum feudum fuerit, intervertere poterit *c. un. de alien. feud pater.* Ideò si alienatio sine eorum consensu processerit, mortuo alienante illi feudum revocare poterint. *Rosenth. c. 9. concl. 58. n. 35. de feud.*

AD CAPUT XI.

XI.

Duo Electoribus conceduntur privilegia, quorum primo ad exemplum Regis Bohemiæ *tit. 8. sup.* Subditos eorum ad quodcunque aliud tribunal præterquam ipsorum Electorum evocari vetatur. Quare nec ad summi Principis curiam citati comparere tenentur, qui aliàs cum quocunq; vasallo & inferiore in jurisdictione concurrit, *l. 1. §. cum urbem. ff. de offic. præf. urb.* De substantia enim & formâ imperii cujusq; est, ut penes quem imperiũ est, eundem individuè jurisdictio sequatur. *Paurm. c. 18. n. 9. lib. 1. de jurisd.* Et ideò Imperatori in omnes jurisdictio immediata est, *Ord. Cam. p. 2. tit. 27. & juxta Bl. in c. un. de pace juram. firm.* Apud Principẽ tanquam fontem omnes jurisdictiones resident, & ab eo fluunt & refluunt. Sicuti flumina ad mare, habetq; jurisdictionem in homines hominum suorum. *Mod. Pistor. cons. 28. n. 14. vol. 1.* Quare quando Princeps de causâ se intromittit, videtur eam ab ordinario avocare, ac manus ejusdem, nè quicquam ulterius attentet, ligare *c. ut nostrum de appell.* Vigoreq; suæ supereminentis jurisdictionis subditos statuum testimonii dicendi causâ absq; omni juris subsidio evocare potest, *l. sed etsi §. ult ff. ex quibus causis maj. l. non aliâs ff. de judic.* Sicut ei rei observantiam Cameræ praxis ostendit: Commissarius n. à Camerâ datus non solùm testes immediatè, sed etiam mediatè imperio subjectos examinat, quia hujusmodi commissiones sub nomine & sigillo Cæsaris decernuntur, licet à non-

nullis

nullis ſtatibus quandoq; contradictum ſit, ait *Gail. 1. obſ. 98. nu. 2.* Quod fortè de contradictione Auguſtæ 1548. factâ intelligendum, ubi ſtatus Imperii ratione evocationis & mandatorum graviſſimè conqueſti ſunt. *Rutg. Rul. lib 5. c. 2. 3 n. 26. part. 1. de commiſſar.* Sanè cum olim Auguſtus Elector Saxoniæ teſtib. mandaret, nè comparerent, commiſſarius hac de re conqueſtus, impetravit à Camerâ mandatum ſinè clauſulâ, quod & Electori inſinuatum, qui etſi prætenderet hujus Bullæ privilegium, cum tamen, inquit *Rutger. Ruland. d c. 3. n. 25.* extenſiones ſint ſtricti juris, an eouſq; ſe hæc de non appellando & non evocando privilegia extendant, dubito: Præſertim cùm favor probationum ſit maximus, & in morâ ſæpè periculum ratione examinationis teſtium verſetur. Ideoq; hæc non ita curioſè attendenda. Et certè *pr. h text.* non de evocatione eâ, quæ fit teſtimonii dicendi gratiâ, ſed eâ, quæ litis cauſa fit, loqui verba ſatis manifeſtè oſtendunt, & hanc, non illam inhiberi, Quod & obſervantia à cæteris ſtatibus tracta ſatis inſinuat. Cum enim ſubſeqq. Impp. indulgentia privilegium hoc ad alios quoq; ſtatus extenſum ſit, iiſq; juris hujus conſervandi cauſa Imperatores inter cætera tempore electionis promittere ſoleant, ſe eorum ſubditos ordinariis ſuis judiciis relicturos *Reiſn. conſ. 6. n. 6. vol. 2.* Atque adeò reliqui ſtatus Electoribus in uſurpatione juris evocatorii æquiparantur: Illorum verò ſubditos à Commiſſariis teſtimonii ferendi gratiâ evocari conſtet, nihil eſt, quod impediat, quò minus & Electorum ſubditi ejus rei cauſa evocari poſſint. Præſertim cùm non minus Electores, quàm cæteri ſtatus in Camera juriſdictionem conſenſerint, eiq; per viam contractus cum Cæſare initi ſe obligaverint. Et ideò cum curſus ejus judicii ſinè probationibus dirigi nequeat, vi conſequentiæ ad evocationem ſubditorum ſeſe obligaſſe dicendum videtur.

XII.

Quid verò ſi Electorum ſubditus in alterius Principis vel ſtatus territorio delinquat vel contrahat, poteritnè evocari?

Et quamvis de jure communi locus delicti & contractus forum tri-

tribuat, *auth. in provincia. C. ubi de crim. aga. l. omnem l. argentariam. ff. de jud. l. heres. §. 1. & 2. ff. eod.* Attamen cùm verba textus nostri nimis sint generalia ibi: pro quacunq; causa criminali, civili vel mixtâ seu quocunq; negocio: putarem id rectius negari præsertim cùm hodiè remissiones non admodum frequentari soleant, & nocentes ibi plerunq; puniri, ubi inveniuntur & morantur. *Wes. de jud. n. 16. in* =. in causa tamen fractæ pacis Electorũ subditos à Camerâ evocari posse ostendit *Ordinat. ejusd. t. 9. p. 2.* quæ ita generaliter fundat jurisdictionem Cameræ, ait *Pet. Frid. cap. 22. in pr. lib. 1. de proceß.* ut non modò immediatè, sed etiam mediatè imperio subjecti nullo obstante privilegio, nulla fori declinatoria, violatæ pacis nomine ad eam rectà evocentur: Lex autem generaliter scripta qualescunq; sive mediatos sive immediatos Dominos sive subditos obligat *l. 2. ibi neq; additur. ff. de vi bon. rapt.* & cum solus Cæsar bannum imperii irrogare potest, *Gail. lib. 1. cap. 6. de pace publ.* Ideò is solus per Cameram, quæ ejus vice judicat, in causa turbatæ pacis cognoscere debet, *argum. l. de quâ re. ff. de jud. Gail. d. lib. 1. cap. 11. num. 3. de pace publ.* Hinc est, quod licet Duces Austriæ & Lotharingiæ quoad processus tàm primæ, quàm secundæ instantiæ Cameræ jurisdictionem non adgnoscant: Tamen si vel ipsi vel subditi eorũ pacem publicam violârint, conveniri poterunt, *Frid. d. cap. 22 num. 1.* Sola Domus Burgundica etiam in hoc casu cum suis Ducatibus & dominiis libera est, idq; ex conventione inter Carolum V. Imper. & status Imperii Anno 1548. inita *Gail. d. c. 11. num. 6.* Quod satis dignum admiratione *Frid. d. loco* putat: Quid enim aliud à LL. pacis publicæ eximere inquit, quàm in communis reipubl. socios armare, & quasi fenestram aperire ad vis publicæ exercitium, quæ tamen consequentia ex concessione privilegii ejus duci non potest: Nam licet à Cameræ jurisdictione turbantes pacem publicam eximantur, non tamen jurisdictioni judicis ordinarii subducuntur, *Gail. d. c. 11. num. 6.* Transactio verò ista Burgundica non ad ipsum Ducem sed subditos ejusdem pertinet, sicuti Anno 1560. latius conclusum, & Duci ut imperii vasallo pacis publicæ observantia injuncta fuit: Et consequenter si eam violaverit, non secus ut quis imperio subjectus in Camerâ conveniri potest *d. t. 9. part. 2. Ordinatione Cameræ.*

XIII.

Secundo privilegio expresse constituitur, quod nulli Comiti, Baroni, nobili, vasallo, civi vel rustico Electorum tàm secularium, quàm Ecclesiasticorum à sententiis eorum aut etiam judicum suorum appellare liceat. Cujus concessione etsi ipsa Imperii majestas enervata, *Bodin. cap. 10. lib. 1. de Rep.* videatur. Tamen si inter formam ipsius majestatis, quæ in dignitate Imperatoriâ consistit, & ejusdem effecta, quæ nihil aliud, quàm tesseræ & signa supremæ potestatis sunt, distinxerimus, facilè sua Imperatori constabit majestas: Hæc enim ubicunq; ponitur & effecta ut ponantur consequens est: At non ubi effecta sunt & majestatem poni, illamq; ab Imperatore avelli sequitur. Exemplo appellationis & extremæ provocationis id constat, quæ etsi effectum sit majestatis, ita ut ubi majestas sit, ibi & extrema provocatio necessum constituatur: At non ubi extrema provocatio E. ibi & majestas erit, sed integra illa penes Cæsarem manet: Sic olim Caligula Magistratus omnes extra provocationem judicare jussit, quod cum in desuetudinem ierat: Hadrianus Augustus renovavit, & ne à Senatu provocaretur, vetuit. *ff. à quib. appell. non lic.* Et à Præfecto prætorio appellare Principem non licuit. *l. 1. ff. de offic. præf. prætor. Cassiod. c. 3. lib. 6. variar.* qui & causas appellatione suspensas judicabat. *Guido Panciroll. cap. 5. in not. orient. imper.* A Præfectis quoq; urbi inhibita appellatio fuit, *Cassiod. c. 4. lib. 6. variar. Guid. Panciroll. c. 25. in not. orient. Imp.* Justinianus à magnificis suis judicibus appellari prohibuit *l. in efferendis C. de appell.* Octo curiæ majores Francorum, quatuor Hispanorum, Rota Romanorũ, quadraginta Venetorum, curia Neapolitana, Mediolana, pleraq; judicia tùm publica tùm privata disceptant ac definiunt extra provocationẽ. *Bodin. d. c. 10. lib. 1. de Republ.* Nec tamen propterea vel prisci illi Romanorum Impp. aut etiam Reges Francorum, Hispanorum, aliiq; jure majestatis se abdicârunt: Interdum Imperator ita solet dare judicem, ait JCtus, nè liceat ab eo provocare, *l. 1. §. 4 ff. à quibus appell. non licet.* Cur ergò non id sapientissimis Electorib. concedere salvâ majestate posset? Eos quippe cum ob singularem industriam exploratâ ipsorum fide & gravitate ad hujusmodi officii magnitudinem adhibentur, non aliter credit judicaturos esse pro sapientiâ ac luce dignitatis

suæ,

suæ, quàm ipse foret judicaturus, ut de Præfectis Prætorio dicitur *in l.1. §.1. ff. de offic. praef. praet* Quibus Electores æquiparari solent. Ab Electorib. provocatio non conceditur, inquit *Peucer. lib. 5. Chron. tit. de stat. Imper. post Frider. 2.* quod æquales censentur autoritate & potestate præfectis prætorio. Cæteris tamen hoc eripuit consuetudine longi temporis. Contrarius usus introductus, uno excepto Electore Saxoniæ, qui quod in vestigia successit Præfecti Prætorii, antiquum muneris hujus jus & lege Carolinâ renovatum conservavit & præscriptione confirmavit, nè scil. liceret à judicio & sententia ipsius subditis discedere. Nè verò cuiquam deesset copia juris, data opera est ab Electoribus Saxoniæ, ut forma judiciorum publicorum in hisce terris congrueret cum veteribus legibus, & à sententia horum concederetur provocatio, cum ad necessarias atq; iteratas etiam si sit opus recognitiones declarationesq; negociorum, tùm ad Principis ipsius judicium ac definitionem: Quæ tertia & ultima est, ultra quam nè ll. quidem Impp. aliam permittunt. Quod ergò justissima esset & legibus maximè consentanea hæc judiciorum forma, non approbata tantùm ab Imperat. Ferdinando nuper, sed & stabilita fuit, atq; munita autoritate publicâ, nè tentare subditis provocationem ad aliena judicia liceat. Brandeburgicus tamen Elector non ita dudum per concessionem Imperialem hoc jus recuperavit, *Heig. q. 4. n. 32. lib. 1. qq.*

XIV.

Id ergò Ecclesiastici, cum neglexerint, quæritur: an appellationes ab iis ad Pontificem vel Cameram dirigendæ sint?

Et quidem si causa Spiritualis sit, receptum est, eam per appellationem devolvi ad Pontificem vel ejus Legatum. Si verò profana & summa appellabilis sit, ad Cameram dirigi. Periculum enim aliâs erit, nè Principes paulatim Romam evocentur & trahantur ad litigandum ibi de suis feudis, territoriis & dominiis, & populus sive plebs de suis hereditatibus, ut ex Paponio notat *Petr. Frid. cap. 11. n. 6. de process. lib. 1.* Verùm hæc distinctio in imperio protestantium intuitu cessat, quippe quo omnis jurisdictio Eccle-

siastica Pontificum & Episcoporum sublata est, *Recessu imperii Anno 1551. & 1566. Schonb. lib. 4. c. 6. in Polit.* Ita ut nulla ab Imper. vel Camera vel Curiis Statuum etiam Ecclesiasticorum ad Papam concedatur appellatio, quod jam tempore Concilii Milævitani, cui Augustinus interfuit, decretum extat: Sacerdos autem aut Episcopus ultra mare, id est, ad Papam appellans pro excommunicato declaratus fuit, *Joh. Wolff. cent. 5. Anno 420. lect. memorab.* Et Henricus III. Imperator sub attestatione divini nominis affirmabat, inquit *Schaffnburg.* se in eum, si quis id præsumsisset capitali sententia animadversurum, & omnia, quæ ejus essent usq; ad internecionem dissipaturum, cłademq; ejus diei multis postea seculis non abolendam. Fridericus I. sedem quoq; Pontificiam appellari vetuit *Joh. Wolff. cent. 12. Anno 1155. lect. memor.* Alimanniæ Principes privilegio communiti sunt, ait *Crantz. lib. 10. cap. 38. in Sax.* quod teneantur in locis extra limites imperii comparere, cujus privilegii conservator fertur esse Comes de Schvvartzburg. Et rectè censuræ Pontificiæ, quam Decanus & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Coloniensis contra Comitem Philippum von Virenberg Anno 1505. procurarunt, Imperatoris mandato ab omnibus ferè statibus contradictum fuit. *Benbell. de Godent. p. 2. c. 5. in suscit. Princip.* Noluitq; Princeps Juliacensis executoriales Romæ à Papâ decretos in causa Nobilium successionis exsequi: Et nescio quis in causa tutelari provocans ad Papam à fiscali accusatus Anno 1512. 20. Febr. in pœnam 100. marcarum auri cum refusione impensarum condemnatus fuit, *præjud. Camer. t. de appell. à quibus & ad quos.* Papam quippe appellantibus nihil accrescit, nisi labor corporis, amissio rerum, afflictio Spiritus & evisceratio mentis atq; evacuatio gratiæ, ut Henricus Archiepiscopus Moguntinensis dicebat. *Conrad. Episc. Mogunt. in Chron.*

XV.

Cum verò textus noster mentionem saltem faciat Electorũ, incidit dubitatio, an ad alios ejusdem familiæ Principes privilegium hoc de non appellando extendi possit?

Et quidem pro dubitandi ratione id allegari poteſt, quod privilegium de perſona in perſonam, multò minus de familiâ in familiam extendi ſoleat, *Tapia p.2.c.3.n.70. in l. fin.C.de conſtit.Princ.* Et quod ceſſante privilegii cauſâ, quæ eſt multiplex ſollicitudo, quam Electores pro imperii quiete ſuſtinent, ceſſare debeat privilegium *l. 2. in gl fin. C. de Epiſc. & Cler. l. Titio Seio §. uſurarum.ff.de leg..2.* Quodq; privilegiũ, quàm maximè poteſt, reſtringendum ſit, ne lædat jus commune. *Curt.conſil.5. in pr.* quæ quidem rationes obtinerent, ſi per modum privilegii extenſivum procederemus. Verùm, quia Impp. expreſſæ adſunt conſtitutiones, quibus id ad alios Principes Saxonicæ familiæ traductum eſt.Ferdinandi maximè Anno 1559. Rudolphi II. 1586. meritò Superiorum vis ceſſat omnis, fuitque cauſa extenſionis haud dubiè rationis idenditas. Cauſa enim privilegii inductiva nempe veroſimilis ignorantia juris Saxonici, quàm illi, qui in aulâ Impp. aut etiam in Camerâ Imperiali adſident, habere præſumuntur, cùm eadem ſit, vigeatq; tàm Ducum, quàm Electoris Saxoniæ intuitu, animis gratiſſimis agnoſcendum eſt, quod prudentiſſimorum Impp. conceſſione longiore proceſſus Cameræ mora ſubditi eorundem liberati ſint. Reipubl. enim tranquillitas in proceſſu juris ſuſtinendo ejusque maturâ expeditione conſiſtit *l.13.C.de judic.* Et quamvis judicium Camerale perfectiſsimum juſtitiæ lumen ſit, ut ait *Ventura de Valent. lib.1. c.16. n.4. in part ben. litig.* Columen & aſylum collitigantium, oppreſſorum, domeſticæ diſciplinæ, legum, morum, totius Reipubl. propugnaculum & incorruptiſſimum judicium, imperii dicaſterium, quod cum nobiliſſimis Galliæ, Hiſpaniæ, Neapoleos Parlamentis certare poſſit: Tamen hoc noſtro malitioſo ſeculo omnibus Germaniæ admodum litigioſæ litibus atq; malitiis cohercendis non eſt ſufficiens. Sæpè enim unus procurator mille lites agit, quas omnes ſi enumeraveris inter 24. procuratores, numerus litium multa millia excedit. *Petr.Frid. Mind. in epiſtola dedicat.1. de extrah. proceſſ.* quinq; litium Cameralium cauſas recenſet, primam adſcribit ipſis litigantibus, ſecundam Advocatis & Procuratoribus, tertiam proceſſui, quartam cauſarum multitudini, quintam ipſis judicibus atque adſeſſoribus, quas qui volet, videat. Nec tamen leviter credat, ait *Keller. c 29. lib.2. de off. jun. poſſ.*

quia sunt valde exosæ. Et quidem extensio privilegii Ducum Saxoniæ intuitu saltem facta est, Brandeburgicos enim quod attinet, communi illi utuntur jure, solusq; Elector hoc jus recuperavit, *Knich.cap.2. n.34. verb. jus tr. de jure non prov.*

XVI.

Cum verò privilegium hoc intuitu Saxonũ sit notorium, quid dicendum, si victus causam per appellationem ad Cameram devolvat, alterq; litigantium & subditus eorundem citetur, an comparere vel allegare sufficiat privilegium.

Et quidem in Camerâ Imperiali observatur, ait *Gail. 1. obs.31. in pr.* quod in extrahendis sive decernendis processibus ad fundandam jurisdictionem Cameræ, statur narratis supplicantis tantisper, donec in processu causæ contrarium probetur. Idq; obtinet tàm in causis simplicis querelæ, quàm in appellationum. Non ergò sufficit allegare, sed necessum appellatus compareat, foriq; privilegiũ proponat, ut judex summariè cognoscere possit, an sua sit jurisdictio *l. 2. §. sed si dubitetur l. si quis ex alienâ. ff. de judic. Mynß. cent. 2. obs. 9. n.2.* Verùm quia hoc privilegium notorium est, ideò in scriptis judici id allegare sufficit. *Mynß. cent. 6. obs.3.* quò pertinet id, quod *Gail.* tradit *d obs.31. n.4.* quando judici notorium est, narrata supplicationis falsa esse, jurisdictio Cameræ fundata non est, in casu autem nostro cum ex insinuatione privilegii Cameræ facta; *Recessu Imper. Anno 1570. §.* Wir setzen/ ordnen vnd wollen/ *Petr. Donayß. verb. appellationis privilegia, n.30. in comp jur. Cam.* tum ex allegatione ipsius allegati judici constat, narrata falsa taliaq; esse, quæ jurisdictionem fundari non patiuntur. Unde & Anno 1600. constitutum, quòd insinuationum Cameræ privilegiorum major in posterum, quàm hactenus factum videatur, ratio haberi debeat. *Petr. Donayß. d. verb. appellationis privilegia n.30.* Quod jam antea *in d. Recessu Anno 1570. §.* Wir ordnen. *verb.* vnd damit vnser Cammer-

merrichter vnd Beysitzer sich darnach in Ertheilung den Procefs vnnd sonsten darauff der Gebühr zu verhalten wissen. Constitutum fuit. Multò magis ergò si ad petitionem appellati judex, à quo per literas Judici Cameræ statum causæ foriq; privilegium exponat, appellanti processus denegari debet.

XVII.

Quid verò si adversus eorum sententias victus supplicaverit?

A præfecti prætorio sententiâ appellare non licet, *d. l. 1. de off. præf. prat.* Supplicare tamen licet *l. un. C. de sent. præf. prat. c. nostros a. Nov. 82.* Et quamvis Princeps appellationem non recipit, nihilominus ipsi supplicari potest, *l. ei cujus §. non recepta. ff. de appell. recip. Menoch. consf. 406. n. 25.* Diversa sunt quippe remedia: Appellatio iniquitatis vel imperitiæ judicē priorē arguit, *l. 1. de appell.* Supplicatio verò proprii erroris veniam aut adversarii circumventionem implicat, *l. 19. ff. de minor.* Attamen cum in effectu causa per eam ad alium, quàm Saxones, devolvatur, quibus prospectum hæc Bulla voluit, generaliter definirem, non attentâ summâ vel negocii qualitate, nec supplicationem, revisionem, reductionem, nullitatisq; querimoniam, nec quicquam aliud subsidium, per quod controversia ad superiorem devolvitur, admitti debere. *Knich. verb. jus cap. 2. n. 45. d. tr.* Non ignoro *Thom. Mich. th 26. lit. E. in fin. de jurisd.* nullitatis querimoniā sublatam non esse styloq; Cameræ eam comprobari adserere, & super nullitate agi posse & pariter mandata contra Duces Saxoniæ decerni, testatur *compilat. præjud. seu cur. Cam. tit. de pers. privil.* & conclusum fuisse in Camerâ dicit *Gail. 1. obs. 135. n. 4* non attento privilegio de non appellando, citationem super nullitate principaliter deducendâ, absq; inhibitione decerni posse, eò, quod appellatio & nullitas diversa & separata sint remedia, ita ut uno sublato aliud adhuc superesse videatur, *c. inter cæteras extr. de sent. & re jud.* Quæ quidem si in proposito militaret consequentia, nec supplicatio, nec revisio vel etiam reductio inhiberetur, quia diversa & separata sunt ab appellatione remedia. Et sanè in terminis nostris, non diversa sed cum respectu causæ inductivæ tùm finalis eadem esse liquidò apparet. Quæ enim ratio

tio ex ignorantia juris Saxonici resultans ad alios, quàm Saxones inhibuit appellationem, valet etiam in omni remedio suspensivo, præsertim verò nullitatis. Quippe cum in ordinatoriis, tùm in litis decisoriis alia & separata à communi jure juxta quod Camerales judicant, inducta sint, quæ non servata, nullitatem quidem inducere possunt, & tamen non nisi à Saxonibus determinandum. Finis quoq; idem est in cæteris, qui in appellatione, nè scil. litium tela in immensum extrahantur. Quid? quod nostri tradunt, executionem trium conformium sententiarum per exceptionem nullitatis impediri non posse. *Zas. in l. 4. §. condemnaturum nu. 3. ff. de re jud. Myns. 6. obs. 4. nu. 3.* Et ideò cùm tres conformes resultent sententiæ, priusquam victus Cameram adire queat; vel enim per viam simplicis querelæ negocium ad aulam devenit & post definitivam victo leuteratio & oberleuteratio suppetit: vel per viam appellationis devolutum est, & prior posteriorq; instantia ei quatuor cum sententiis exhibeat, frustra de nullitate conqueritur, cum & eam, si qua est, in tam diversis terminis & instantiis corrigi peti possit: Nec verosimile est, in tantorum Principum Consistoriis, quibus viri spectatæ doctrinæ vitæq; adsident, quiq; apta ad sapientum consilia mittere solent, tale aliquid vel intra curricula multorum annorum contingere, quod nullitatis verè insimulari possit, ut proptea si capitosior exoriatur, ubi tot termini & instantiæ non sufficiunt, aliæ ei minimè concedendæ sint, nè exemplo ejus alii invitati velamento nullitatis per annorum plurium spacia causæ justitiam obnubilent, & sententiarum executionem suspendant. Quare graviter in constit. hujus provinciæ *tit. 16.* constitutum est: Were es auch Sache/ daß sich jemands / wer der were / in vnsern Landen / Herrschafften vnd Gebieten gesessen/ an den ordentlichen Gerichten in vnsern Landen nicht würden begnügen lassen / sondern davon beruffen vnd appelliren / oder sonsten ausländische Gericht wider die vnsern / zu wider der löblichen vnd im Hause zu Sachsen wolhergebrachten Freyheit vnd Gewonheit sachen / der soll seiner Lehn vnd Erbgüter verlustig seyn / oder im Mangel derselben/ am Leibe gestrafft werden.

XVIII.

Restringitur hoc privilegium si querulantibus justitia denegata fuerit.

Ratio

Ratio est, quia cùm Reges & Principes constituti sunt, ut faciant judicium & justitiam, sicuti Regina Saba Regi Salomoni dicebat *lib. 1. Reg. 10. Sap. cap. 6. Psal. 82. & Phil. 5. pol. 10. scribit:* Reges custodiæ defensionisq; causa constitutos ut & locupletes prohibeant injuriâ & inopum multitudinem contra locupletum injurias tueantur, consequens est, si justitiam subditis denegaverint indignos se judicantium officio facere, *c. sit tibi. Nov. de mand. Princip. Gail. 1. obs. 28. num. 1.* Remotâ enim justitiâ quid aliud sunt regna, quàm magna latrocinia? *August. lib. 4. de civit. Dei.* Unde ab officio judex removeri, si magna sit ejus negligentia *l. si quos. C. de offic. praf. prat. orient. l. eum qui C. de procur. Gail. d. obs. 28. n. 8. Farin. lib. 1. t. 5. q. 37. n. 74. de jud. & tort.* & rex propter injustitiam deponi potest, *Land. q. 155. de princ.* Injustitia enim facit vacillare corda subditorum à suis dominis, *Andr. Knich. in verbo jus cap. 3. num 81.* Cujus intuitu judex Ecclesiasticus omisso laico adiri potest. *Mont. decis. 23. num. 10.* quemadmodum etiam laicus, si Ecclesiasticus justitiam clerico denegare præsumserit, compellari potest, *Farin. qq. crim. 8. num. 23.* Putantq; nonnulli privilegium hoc, si unicus contra illud resultaret actus amitti *l. vos. C. de aqua, d. Franc. Vivius decis. 208. num. 6.* Quod durum esset, pœna quippe culpam egredi non debet, quare illud in causa, in quâ justitia denegatur, & non in aliis admitterem. Liquido autem superiori justitiam denegatam esse constare debet, quàm ideò ut instrumento publico supplicans doceat, necesse habet, nec enim juramento suo ejus denegationem probare potest, *Gail. d. obs. 28. num. 3. Mynsing. cent. 3. obs. 57.* ad avertendas verò hujusmodi querelas Principes nostri imitari solent Carolum Burgundiæ Ducem, qui diebus tribus & Carolum Magnum, qui die uno in hebdomada auditorio interesse volebant; & hic quidem exemplo laudabili se præsente illas agitari causas satagebat, in quibus ejus ministri jus dicere noluissent, & qui litigabant injuriam sibi factam, quererentur, ut hoc freno coërcitis judicibus integra & inviolata justitia staret, quod ipsum Justinianum quoq; constituisse videbimus, si dicat te adiisse, inquit, & quod justum est, non impetrasse, & hoc verum inveniamus, in te indignationem convertemus *c. 3. in Nov. de Mand. Princ.* Parvi refert, ut *Cic. in Epistola ad Q. Fr.* scribit:

Abs teipso jus dici æquabiliter & diligenter, nisi idem ab iis fiet, quibus tu ejus muneris aliquam partem concesseris.

XIX.

Cum verò Bulla nostra disertis verbis saltem mentionem faciat subditorum Electoralium, non obscurè eò innuitur, ipsos Electores & Duces Saxoniæ privilegio ejusdem non frui, quare si vel ipsi à suis subditis conveniantur vigore ordinationum curiarum provincialium Saxonicarum coram iis de bonis, seu reditibus Cameræ stare seu respondere coguntur. Si verò à non subdito conveniantur in causis in prima instantiâ ad Cameram pertinentibus jurisdictioni Camerali subjacent, *Thom. Mich. th. 26. lit. E. de jurisdictione.*

AD CAPUT XII.

XX.

Cùm teste Catone Censorino ab nullo genere non summum periculum sit, si cœtus & concilia & secretas consultationes esse sinas, ideò Romanis ll. absq; summi Principis concessione etiam prætextu salutis publicæ convenire non licuit *l. 1. ff. de colleg. illic. l. conventicula. C. de Episc. & Cler.* Principis quippe proprium est de rebus ad Rempubl. pertinentibus consilio Procerum conventus agere *l. humanam. C. de ll.* nec hi non nisi vocati ejus curam suscipere debent, nè aliàs, ut *Tac. notat.* in rebellione Galliarum per conventicula & cœtus differant seditiosa. Etenim insidiosa adversus Principes conjuratio, ut *Polybius lib. 6.* scribit, non est ex infimi subsellii hominibus, sed ex generosissimis & iis, qui animi magnitudine & confidentiâ valent, propterea quod tales imperantium sibi contumelias & insolentiam minimè ferre possunt. Hinc est, quod consultorum opinatione jus indicendi conventus publicos summi imperii signum esse videtur. *Bodin. c. 7. lib. 3. de Republ. Chass. p. 5. consider. 169. in catal. glor. mundi.* Quod Romuli exemplo clarescit, qui etsi plurima populo ad majestatem pertinentia concessisset, jus tamen populum convocandi Senatumq; cogendi sibi reservavit, *Halicarnass. lib. 2.* Cujus imitatione Reges Galliarum, Hispaniarū, Bohemiæ ut peculiare dominationis signum sibi hanc potestatem adse-

adſerunt, *Heig. lib. 1. Quæſt. 4. n. 44.* Exiſtimant quippe Reip. fundamentum eâ contineri, utpote cujus medio vel conſervari per deliberationes rerũm neceſſariarũ, vel etiam everti per conſilia pravorum poteſt. Sed ut alia, ita & Imperator congregationẽ collegialem ipſo inſcio ſingulis annis inſtituere hac Bullâ permittit Electoribus, eò quod multiplices Reip. curæ non patiantur eum omnib. intentum eſſe, ipſiq; Electores ſolidæ baſes imperii, & columnæ immobiles ſint, cujus ideò ſalutem magis quàm ruinam quærent. Quodq; per longinquas terrarum diſtantias conſiſtant, & ideò de emergentibus defectibus referre ſimul & conferre, ſanisq; conſiliis iis providere poterunt, *in pr. hic.* Quod inſtitutum à temporibus Conſtantini Magni derivat *Nicol. Cuſan. c. 35 lib. 3. de concord. cathol.* qui paulò antè nempe *c. 33.* ſubjicit: Poſtquam imperialia judicia & conventus ceſſavêre, penè omnes deformitates ſunt introductæ. Ordinentur itaq; inquit *d. c. 35.* conventus annui circa feſtum Pentecoſtes in Francofurdiâ, quæ videtur locus ex ſitu & aliis circumſtantiis aptiſſimus, ad quem concurrant judices omnes & Electores in propriâ perſonâ abſque pompâ & gravibus expenſis &c. Quod cum ex Bullâ hauſiſſe apparet, quæ tamen locum certum non niſi primæ congregationi Metin Civitatem imperialem adſignat. Quo loco ſubit mirari Thuani Galli judicium, qui *lib. 10. hiſt.* contendit, non deeſſe rationes, cur Henricus II. Rex Galliarum inito fœdere cum Mauritio Electore & aliis Principibus Metin urbem imperialem occupârit, *Sleidan. lib. 24. de ſtat. relig.* Nam ut ex ſcripto Regis publico conſtat, profitetur ſe boni publici cauſa fœdus cum Principibus iniiſſe nec privatum ullum compendium aut fructum in eo ſpectare. *Sleid. d. lib. 24.* Fac ergò omnia illa Thuani argumenta, quibus antiquo jure, nempe ante tempora Ottonis I. Imperatoris Metin urbem ad Galliæ regnum pertinuiſſe verum eſſe contendit; Attamen cum Rex fide regiâ ſe nullum ex bello illo ſpectare commodum, compendiumvè promiſerit, quid aliud quàm perfidiæ velamentum argumentis illis quæri dicemus? Innuere illud voluit *Johan. Bocer. de illuſtr. ſtat. & pol. lib. 8. c. 6.* Hęc ars alienarum urbium ac imperiorum defenſionem ſuſcipiendi Principibus ſeculi noſtri non eſt incognita, ait, notiſsima certè fuit Henrico II. Regi Galliæ, quippe qui ſub prætextu defenſio-

nis imperii Civitatum adversus Carolum V. Imperatorem miro astu tres urbes munitissimas sibi adjunxit; id quod etiam Argentorati sed frustraneo & irrito conatu attentavit &c. Fac itidem nec Regem Galliarum ullam promissi superioris spem confœderatis fecisse, an ideò, quia olim Metis ad Galliam pertinuit, bello tàm astuto repeti potuit? Gallia pertinuit ad Imperium nostrum, bello ergò repeti potuit. Non admittent id Galli, quia ab eo, quod olim fuit, ad præsens arguere non licet. Sed astutis ingeniis prætextus speciosi, quibus id, quod moliuntur, palliare solent, deesse non consueverunt. Cum Achab Rex Samariæ vineam Nabathi peteret eam specioso hoc prætextu, quia propè & juxta domum ejus erat, velletq; ex eo hortum olerum facere, sibi cedi flagitabat *lib. 1. Reg. cap. 21. Cn. Piso* militem occidi jussit, quod ex commeatu sinè commilitone quasi eum interfecisset, rediisset. Verùm misero cervicem jam porrigenti apparet commilito, centurio supplicio præpositus, reducit damnatum ad Pisonem, qui excandescens damnatum & commilitonem ipsumq; Centurionem occidi mandavit prætextu eo usus: Te duci inquit, jubeo, quia damnatus es, te, quia causa damnationis commilitoni fuisti, te quia jussus occidere Imperatori non paruisti, *Seneca lib. 1. cap. 16. de Ir.* Sed cordati & prudentes rerum æstimatores prætextus eos execrantur, existimantes ejusmodi velamentis tanquam malitiosis dolis scelus perfidiamq; deteriorem reddi.

XXI.

Vult verò textus noster, ut Electores personaliter conventui annuo intersint, quod tamen observantia subsequens, à qua Bullæ hujus interpretatio desumi debet, non ita strictè observatum esse ingerit, sicuti vel ultimo nuperi conventus Neribergici exemplo constat, cui nomine Brandeburgici Electoris Legatus ejus Baro à Putliz interfuit. Sic etsi regimenti conventui, qui in locum congregationis Electoralis suffectus dici potest. *Paurmeist. lib. 2. cap. 2. n. 48. de jurisd.* Carolus V. Imper. Electores in personâ per quadrimestre spacium adesse voluerit, *Recess. imperii Anni 1521. §.* In Beständigkeit des fürnehmens/ attamen si impedirentur, per Legatos ea opera defungi potuisse textus innuit. Hinc verbis expres-

fis

sis in pr. §. c.3. §.9. in Goldast. polit. Reichshand *dicitur*: Und die andern von ehehafftiger Sachen wegen / die sie auff jhre rechte Warheit mit jhren offnen versiegelten Brieffen bekennen sollen / mit jhrem selbst Leib nicht kommen können / Rähte die sie auch alsdenn mit Macht zu solchen Tagen schicken. Et hic quidem conventus collegialis omniũ optimum remedium in magnis Germaniæ tempestatibus, litibus ac tumultibus reputatur. *Ventur. de Valent. in parth. litig. lib. 2. cap. 3. num. 18.* Hujus enim solius medio & remedio sacri Romani imperii possessio adversus Pontificis Romani molitiones & alias ejusmodi lites & malitias publicas semper fuit conservata & adhuc conservatur.

XXII.

Quæri hic debet; An Rex Bohemiæ huic collegiali conventui interesse soleat?

Et quidam sunt, qui distingvunt inter Electoralem & collegialem conventum, Wahl vnd Collegialtag / ut illi interesse, huic verò non itidem soleat. Quam distinctionem videtur hausisse ex *Hartm. Mauro de coron. Caroli V. rubr. quo apparatu &c.* Quanquã, ait Rex Bohemiæ perrarò adsit conventibus & tractatibus Electorum: nec fœdera pro manu tenenda communi dignitati cum iisdem proximis seculis percusserit, non operas imperio, voluntariasq; collationes præstet, neque gratuita onera ferat, non deniq; in circulis illis, in quos imperium digestum atq; partitum, comprehendatur: Tamen Elector imperii est, & tertium in consilio Electorum tempore electionis Regis suffragium habet &c. Quæ quidem si vera sunt, ut verissima esse puto, distinctio illa æquissimo fundata erit fulcro: Siquidem immota est æquitatis regula, eum, qui incommodis aliorum non premitur, nec commodis eorum sublevari debere, & unio Electorum seu societas jus quoddam fraternitatis continet. *Heig. d q 4 n. 49. lib. 1* quæ omnem inæqualitatem respuit, *l. verùm §. si cum tres l. si non fuerint §. fin. ff. pro soc.* & quemadmodum is, qui in matriculam non descriptus reperitur, aliorum in eã descriptorum privilegiis non fruitur *gl. in l. eos. C. de offic. magist. mil. l. fin. ibiq; Br. C. de reb. cred. Gail. 1. obs. 21. nu 5.*

Ubiq; cum Rex Bohemiæ matriculæ unionis insertus non sit, sicuti apparet ex primâ illâ, quam sex reliqui Electores Anno 1438. & altera, quam itidem sex nullâ factâ mentione Bohemi An. 1521. inierunt. *Goldast. pol.* Reichshand *p.8.* bonâ conscientiâ colligitur cũ privilegiis in formulâ unionis expressis non gaudere, quorum hoc non minimum est, de quo jam agitur: Imò verbis claris *in c.3. d pr. 8. in fin. §.* Wenn es aber. quando collegialis conventus & quo loco instituendus sit, quiq; ad illum convocandi exprimitur, inter quos altum silentium est de Bohemo, cui si aditus ad eum pateret, non utique negligi aut præteriri potuisset, cum contemtus unius plus quàm contradictio multorum obsistat; *c. venerab. extr. de Elect. & Elect. potest.* Quin quod alibi JCtus monet, si de interpretatione legis quæratur inspiciendum, quo jure civitas retrò in hujusmodi casibus usa est. *l 37. de ll.* Id in rei præsentis decisionem derivando, cùm posterior Electoralis congregatio Anni 1611. Nürnberga celebrata Bohemi nullam rationem in eâ habitam fuisse ostendat. Contingentium de futuro casuum ratio ad eam dirigenda erit. Atqui dices, textus Bullæ nostræ distinctionem superiorem non agnoscit, sed Principibus, Electoribus tàm Ecclesiasticis quàm secularibus annuatim convenire permittit. Inter seculares verò Bohemus numeratur, ut latius *c. 8.* demonstratum est, convenire ergò cũ Coëlectoribus suis poterit. Et quidem non dubito, si ad tempus promulgatæ Bullæ nostræ respexerimus, Bohemũ congregationi Electorum collegiali interfuisse. Verùm cùm per observantiam contrariam vel quod interesse noluerit, aut aliâ de causa à Bulla nostra recessum sit, sicuti non solùm instrumentis unionum Electoralium, nuperæq; congregationis Nürnbergicæ conventu, verùm etiam Hartmanni Mauri Electoris Coloniensis Consiliarii testimonio clarescit, ab illo quod olim fuit, ad præsens arguere non licet. Minus aptè adfertur, quod Anno 1106. cognitio causæ vertentis inter Henricum IV. Imperatorem & ejus filium Henricum V. Regem Romanorum non potuerit absente Duce Bohemiæ decerni; sicuti probant ex rescripto, quod extat *Constitut. Imp. tom. 1. Goldasti fol. 53.* Oportet, inquit, nos habere saltem tales inducias, inter quas possemus convocare & precib. invitare ad hanc eandem causam, ut sint vobiscum Moguntinum, Trevirensem &

Bre-

Bremensem Archiepiscopos, Frisingensem, Augustinensem, Curiensem, Basiliensem Episcopos, Ducem Magnum Saxoniæ cum Duce Theodorico, Ducem Bohemicum, Comitem Flandriæ cum Comite Burgundiæ & alios, qui ad præfatum negocium, ut benè scitis, sunt valdè necessarii. Minus aptè, inquam, adfertur, quia ex illo rescripto non solùm Bohemus, verùm & alii nominati jus conventus Electoralis sibi pari jure adsererent, nec de conventu Electorum annuo, sed comitiali, utpote in quo de depositione Imperatoris agendum erat, agit. Cui pro more illius temporis tàm Ecclesiastici quàm seculares Principes, imò & Comites interesse consueverunt, nec dum si talis instituendus esset, Bohemus illo excludi posset per ea, quæ diximus *ad c. 8. hic.* Non nobis quoq; adversatur *c. 4.* hujus Bullæ, ubi Regi Bohemiæ, cùm sit Princeps coronatus & unctus, in qualibet curiâ primus adsignatur locus. Loquitur enim textus ille de curiâ, hoc est, comitiis Imperialibus, non verò conventu Electorum solo. Sic enim verba principii habent: Statuimus insuper, ut quotiescunq; Imperialem curiam ex nunc in antea contigerit celebrare &c. Cui etiam tempore illo, non nisi locis nominatis Bohemus interesse compellebatur. Sicuti Friderici II. Imperatoris constitutione apparet: Wir befreyen sie auch / ait Imperator, damit der vorgenante Durchläuchtige König in Bohem vnd alle seine Nachkommen zu vnserm Keyserlichen Hofe nirgend hinzuziehen verbunden seyn sollen / es were denn Sache / daß wir vnsere Hoffhaltung oder Zusammenkünffte gen Bamberg / Nürnberg oder Merseburg anstellen würden / daselbst hin sollen sie zu erscheinen verpflichtet seyn. *Goldasti* Reichssatzungen *fol. 30.* Non etiam movet, quod Rex Bohemiæ controversiæ Rudolphi, item Ruperti senioris & Ruperti junioris comitum Palatini adfuerit, de observantiâ quippe contrariâ jam dictum est, à quâ Bullæ interpretatio desumi debet *d. l. 37. ff. de ll.* Olim Bohemus suo & limitato modo comitiis imperialibus adfuit, hodiè nulla solet visitare, nisi ea, in quibus de Electione Regis Romanorum agitur, Elector tamen nihilominus est, sed ad Electionis actum saltem deputatus juxta notata *c. 8.*

XXIII.

Porrò in textu nostro Carolus constituit, nè tractatus communis

munis, salutis & pacis per tractum & moram solatii seu excessivam convivii retardetur frequentationem, generales omnium Principum celebrare alicui non licere invitationes vel convivia, particularia utique, quâ in re Platonis consilium *lib.2. de ll.* secutus videtur, qui gubernatores atq; judices munus suum subituros à vino penitus prohibet, deliberaturos quoq; de rebus omninò non negligendis de abstinentiâ quippe castæ prodeunt cogitationes, ait *Leo Magnus in sermone de jejunio*, rationabiles voluntates & saluбriora consilia. Hinc interrogante quodam, quam ob causam Spartiatæ parum biberent, respondit Leotychidas nè pro nobis alii consultent, sed nos pro aliis, *Plutarch. in Lacon.* Persæ tamen & pleræq; nationes Græciæ inter pocula de rebus gravissimis deliberabant. Et Græcus fuit qui ait: Rectior à Saturo est prudentia consiliumq; *Plut. quæst. conviv. lib.7 c. 9.* Germani Prisci quoq; de reconciliandis invicem inimicis & jungendis affinitatibus, & adsciscendis Principibus, de pace & bello deniq; plerunq; in conviviis consultabant, tanquam nullo magis tempore aut ad simplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incalescat, ait *Tacitus de morib. Germ.* Rectè nè an secus id factum Plutarchus prolixè disputat *d. l. 7. quæst. conv. cap.10.* Cui equidem in potatione modicâ facilè adsentior, hæc enim profert liberam linguam, & per eam etiam veritatem, nec judicium obfuscat, timoremque, qui si quid aliud deliberantibus est obstaculo, expellit multosque motus alios ignavos & inertes opprimit, quarum consimiliumq; considerationum intuitu particularia convivia, quæ agendorum expeditionem non impediunt, utpotè in quibus ad sitim & lætitiam inter paucos non ebrietatem bibi debet, permittuntur. Rectè verò generalia omnium Principum in quibus Cæsaris, Regum Principumq; sanitates summos infimosq; insanos faciunt, inhibentur, quippe quod *Seneca lib. 1. de benefic.* scribit, habebitur aliquando ebrietati honor & plurimum meri cœpisse virtus erit, id apud nos usque adeò præpotentium nisu invaluit, ut non rarò saluti potator, plusquàm suasor magnorum demereatur gratiam laudemq; ex crimine consequatur.

Obviam quidem huic malo Constitutionibus imperii itum est Maximiliani I. *Recessu Anni 1500.* § Von dem zutrincken/ & *Anni 1512.*

ni 1512. §. Von dem Gotteslestern/ Caroli V. *Recessu Anni 1530.* §. Von zutrincken/ & *Anni 1548.* §. Von uzutrincken/ Rudolphi II. *Recessu Anni 1577.* §. Von vbermässigem trincken. Sed in observantiam non venerunt, idq; pessimo exemplo & quadam turpitudinis infamiâ, ait *Gail.lib.2.obs. 110.nu. 24.* rogant quippe ad jucunditatem, verba sunt *Ambrosii de Eliâ & jejunio cap. 14.* Sed cogunt ad mortẽ, invitant ad prandium, efferre volunt ad sepulchrum, cibos promittunt, tormenta irrogant, vina prætendunt, venena suffundunt &c. Quid obtestationes Potentium loquar, ait idem *Ambros. d. tr. c. 17.* quid referam sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur, bibamus pro salute Imperatoris, inquiunt, & qui non biberit, sit reus in devotione, videtur enim non amare Imperatorem, qui pro salute ejus non biberit, ô piæ devotionis obsequium! Et paulò pòst: quid retexam audita, mihi non poculi sed profluvii genus esse videtur, quod in ora hominum tanquam per fistulas aut canales vina funduntur. hos homines an uteres verius existimaverim? Elephantes ferunt promuscide haurire aquæ plurimum eosdem tamen ad sedandam sitim moderato potu contentos esse. Sentiant qui velint dicantq; saluti potatorem civilum esse, *Ventur. de Valent. lib.1. cap. 13. num. 20. in parth. litigioso:* Nos cum Poeta concludimus:

Una salus sanis nullam potare salutem,
Non est in potâ vera salute salus.

AD CAPUT XIII.

XXIV.

Cum capitibus præcedentibus Carolus plurima privilegia indulsit Electoribus, hoc tàm sua, quàm prædecessorum suorum, quæ juribus & honoribus præfatis Electorum officiunt, revocat & annihilat, etiamsi in illis insertum sit, quod revocabilia esse non debeant, nisi specialis & de verbo ad verbum in iis seriatim mentio fiat. Nam cum sibi ipsi legem dicere nemo possit, à quâ cum voluerit, ei recedere fas non sit *l. 13. §. 4. ff. ad SC. Trebell. l. 22. ff. de leg. 3. l. 40. §. ult. ff. de fideicom. libert.* & receptum sit, non modò

 privi-

privilegia, sed nè ll. quidem aut edicta mortuo Principe vim tenore suam, quia par in parem imperium non habet *l. 3. in fin. de recept. arbitr. d. l. 13. §. 4.* Rectè id à Carolo constitutum videtur. Quâ de causa Michael Hospitalis Galliæ Cancellarius privilegia Vico S. Mauri à Carolo IX. Rege concessa sigillo regio munire obstinato animo petente etiam Reginâ recusavit, propterea quòd perpetuam tributorum immunitatem continerent contra naturam privilegiórum, quæ personis conceduntur, & consequentium Principum potestati præjudicare viderentur. *Bodin. lib. 1. cap. 8. de Republ.* Neque si Hospitalis morem gessisset Regi, propterea privilegium id vitâ Regis diuturnius esse potuisset, cùm privilegium à Principe concessum subdito à successore auferri possit. *Fr. Vivius decis. 207. num. 1. lib 2.* resoluto enim jure dantis, resolvitur jus accipientis, *l. lex vectigali ff. de pignorib.* Et quia Rex est ad instar usufructuarii, nec enim Regni proprietatem habet, ejus quoque jure uti debet, & ideò nec successor ejus uti usufructuarii privilegium ratum habere cogitur, *l. si quis domum. §. 1. ff. locati. Molin. cap. 8. num. 30. lib. 1. de Hispan primog. Tapia part. 2. cap. 9. num. 56. ad l. fin. ff. de constit. Principum.* Quare cùm de Imperatoris enixâ voluntate derogatoriâ per verba illa maximè generalia Bullæ nostræ constet. Quibuscunque personis, cujuscunque status, præeminentiæ vel dignitatis, super quibuscunque juribus, gratiis, immunitatibus, consuetudinibus &c. Quorumvis etiam causam privilegiatam, quæ aliàs sub regulâ generali non continetur implicat, *Gravetta cons. 249. Menoch. consil. 112. num. 57.* additaque insuper sit specialis derogatio specialium quorumcunque privilegiorum, & quidem ex certâ scientiâ de plenitudine potestatis, utiq; revocatio jure facta censeri debet, *Menoch. d. cons. 112. num. 49. Tapia cap. 2. in Rubr. de constit. Princip. Florent. de Ven. cons. 16. num. 250. inter consilia Cantiunculæ.* Verùm si quis pressius hæc consideravit, inveniet hujus textus, ut & Dd. illam decisionem non sinè difficultate transire. Vel enim privilegium cæteris statibus ex causa onerosa concessum fuit, puta, quia precio compararunt. Raro enim hodie conceduntur immunitates liberaliter, sed habent in se præmium seu meritum, ait *Ruland. à Valle cons. 13. nu. 62. vol. 3.* Et revocari illud nec ex certa scientia, vel etiam

ex plenitudine potestatis potuit, concessio enim hujusmodi vim contractus obtinet, quo non secus Princeps ac privatus ligatur. *Ruland. à Valle d. cons. 13. num. 32. Tapia part. 2. cap. 9. num. 2. ad l. fin. de constit. Princip.* Vel ex causâ remunerationis concessum fuit, & quia contractui æquiparatur, similiter nec illud cassari potuit *argum. l. Aquilius Reg. ff. de donat. Tiraq. in l. si unquam vers. donatione largitus n. 14. C. de revocand. donat. Ruland. d. cons. 13. n. 21. & seqq. Tapia d. c. 9. n. 6.* Vel ex merâ liberalitate fuit indultum, & nec hoc tolli potuit, quia nihil magis, *inquit* in terminis nostris *Molin. c. 3. n. 18. lib. 3. de Hispan primogen.* Regiâ majestate indignũ dici valet, quàm quòd Princeps absq; causa possit propria privilegia revocare, cùm inconstantia & variatio in Principe reprobetur &c. Et memorabilis est Agesilai Regis sententia apud Xenophontem dicentis: Regiæ dignitati non astutiam sed bonitatis excellentiam convenire. Fraus cùm omnibus fœda est, inquit *Thucydides lib. 4. histor.* tum verò iis, qui majori dignitate præditi sunt, imò fœdior, quàm aperta violentia, quia vis jure potentiæ, quam fortuna dedit, infertur fraus verò ab insidiis injusti propositi grassatur; Et heroicè Franciscus I. Galliarum Rex suadentibus nonnullis, ut Carolum V. Imper. in Flandriam properantem & apud ipsum divertentem detineret, respondit: Etiamsi fides toto orbe exulet, Regibus tamen tenendam esse, qui nullo metu, nullâ pœnâ, nisi virtutis & fidei reverentiâ ut eam præstent, cogi obstringiq; possint, quo nomine Theodosium Imperat. *Pacat. in Panegyr.* laudat, cujus tàm certa beneficia fuisse scribit, ut tàm accepta viderentur quum sponderet, nec vota hominum falleret, secus verò Pertinax, qui *teste Capitulino*, omnia liberaliter quidem promittebat, nihil verò præstabat. Sed legibus nostris neminem facto suo contravenire posse, cavetur *l. post mortem ff. de adopt. l. si creditorib. C. de serv. pign. dato.* Et si Carolus liberalis in Electores esse voluit, id eum citra dispendium aliorum statuum facere decuit, munificentiam nostram nulli volumus esse damnosam, ait Theodoricus Rex apud *Cassiodorum lib. 2. variar. Epist. 17.* nè quod alteri tribuitur, dispendiis alterius applicetur. *Et paulò post*, nec inferri à quoquam volumus, quod alteri nostrâ humanitate remisimus, nè, quod dictu nefas est, bene meriti munus

 inno-

innocentis contingat esse dispendium; statui quippe imperii nostri illud *Güntheri lib. 8. in Ligurino* non respondet:

——————— Pro lege voluntas
Principis esse solet; quicquid decreverit ille
Esse ratum, mos est & juris habere vigorem.

Quare nec Carolus privilegia prædecessorum suorum tollere debuit. Duo enim sunt, quæ in Principe considerari solent: Persona & Dignitas. Persona quidem moritur, Dignitas verò semper & ubique, quamdiu imperium durat, manet; Cujus intuitu, cùm omnia, quæ cum Imperatore tractantur, peragi soleant, relinquitur dignitate manente, & etiã illa, quæ ab illa promissa sunt, præstanda esse; *Pruckman. §. soluta potestas secundo membro, cap. 4. effect. 2. num. 10. Decian. v. 3. Res. 117. num 19.* Et si cupit Princeps mandata sua à successoribus observari, ait *Ruland. a Valle cons 13. num 38. vol. 3.* Conveniens est, ut suorum Prædecessorum mandatis venerationem præstet *c. justitiæ. 35. q. 1.* Et non observando dat materiam dissolvendi ejus gesta per successores &c. Dicitq; *Bl. in cons. 326. vol. 1.* quod successor Principis contraveniens factis antecessoris dicatur sibiipsi contravenire; quia semper est unum imperium &c. Unde Fridericus I. ejusq; filius Henricus VI. Imperatores, quæ ab antecessoribus data Episcopis, Ecclesiis, civitatibus, vel quibuscunq; aliis personis erant, confirmârunt, *vers. hoc quod nos tit. de pace Constantiæ.* Nec his adversatur id, quòd nemo sibiipsi legem dicere possit, quia concedendo privilegium, non tàm ipse, quàm alter ille, cui id conceditur, hanc ipsi legem dicit, ut quod semel placuit, amplius sibi in posterum displicere non posse sciat *l. 1. ff. de pactis.* Similiter & si par in parem imperium non habeat, attamen par paris, hoc est, antecessoris promissionem præstare cogitur, quia imperium cujus intuitu promissio facta est, successor tenet. Corruit & hinc, quod tertiò objectum, resolutum esse jus dantis, quia imperii jus salvum integrumque in personâ successoris manet, quia propter imperium unum idemque cum prædecessore unus idemque reputatur, à quo quod ab æquiparatione usufructuarii oppositum fuit,

fuit, similiter resolvitur, quia heres usufructuarii non est ususfructus heres, utpote qui cum usufructuaria extinguitur, imperii autem successor, non jure hæreditario, sed eo, quod imperium habet, cujus intuitu promissio facta est, tenetur implere id, quod nomine imperii prædecessor promisit, *Pruckm. d. c. 4. n. 18. §. soluta potestas.*

XXV.

Hinc quæstio decidi potest, quæ nobis nuper oblata fuit: Rudolphus II. Imperator (pientissimæ recordationis) cuidam imperii Principi expectantiam super caducitate Comitatus cujusdam promiserat, cujus casus, cùm nondum tempore mortis concedentis contigerat, an concessionis renovatio ab invictissimo Imperatore successore peti debeat? si enim successor factum antecessoris præstare cogitur, quod jam diximus, supervacua videtur renovationis petitio, vel eo quoque maximè attento, quod capitulationibus Imperatorum expresse continetur: jura, privilegia, dignitatem Principum & ordinum imperii minimè minui aut tolli per successorem posse, *Sleidan. lib. 1. de statu relig.* Et in terminis tradit *Vivius decis. 206. lib. 2.* privilegiorum confirmationem non esse necessariam.



DISCUR-

DISCURSUUM ACADEMICORUM Ad Auream Bullam CAROLI QVARTI ROMAN. IMPERATORIS. SEXTUS.

RESPONDENTE
ANDREA JACOBI ROCHLICIO-MISN.

AD CAPUT XIV.

THESIS PRIMA.



T hactenus quidem Carolus ſeſe beneficum erga Electores exhibuit, in præſenti verò capite ad communem Dominorum ſortem reſpicit. Cum enim illo tempore Vaſalli in id temeritatis provecti, ut non ſolùm Dominos ſuos contemnerent, ſed quibuſdam etiam in rebus contumeliis non abſtinerent, *Alb. Crantz. lib. 8. c. 21 in Saxon.* & fiduciâ munitionum & clientum non rarò ipſis bellum facere auderent, ut ait *Fabric. lib. 7. orig. Saxon.* quod ut rectiùs & colore quodam, nè Dominos ſuos oppugnare viderentur, efficerent, feuda, quæ tenebant, Dominis refutabant, & poſt reſignationem eos diffidare atq; prætextu inimicitiæ feuda recuperare ſolebant, id verò hic prohibet, conſtituitque, ut quidem Vaſallis juxta conſtitutionem Lotharii Imper. Dominis ſuis verè & realiter feuda refutare & reſignare, ſed nullo unquam tempore eoſdem per ſe aut alios moleſtare aut feuda occupare liceat, vel; ut loquitur Feudiſta, offendere debeat *in c. un. de Vaſall. qui contra conſtit. Loth. 2 fol. 38.* Idque

Idque propter beneficii priſtini recolitionem, quam venerandam eſſe oportet, ait *Schenck Baro ad d. c. un.* Unde in memoriam prioris dignitatis placuit eum, qui Decurio fuit, non eſſe torquendum, ait *Paulus in l. fin ff. de Decur.* Et qui ſuâ voluntate Conſiliarii & Senatores Principis eſſe deſierint, in memoriam priſtini ſtatus à collectis immunes ſunt *l. eam legem 14. C. de excuſ. mun. l. un. C. de Comitib. qui provinc. reg. Guido Papa deciſ. 377.* quiq; ſemel legatus fuit, ei propter priſtinam dignitatem ſemper debetur reverentia, *Specul. in tit de Legatis §. finitur.* Quod ſi verò reſignans feudum refutatum occupaverit, non ſolùm infamis erit, & banno imperiali ſubjacebit, verùm etiam feudi poſſeſſione jure ipſo privabitur, nec unquam ei, ne quidem volente & ſciente Domino id denuò concedi poterit. Quod enim *Roſenth. c. 3. concl. 24. de feudis. Vult. c. 5. n. 18. lib. 1. de feud.* diſtingvant putentq; ſi res occupata ſit Principis concedentis & ſciat invaſionem eum poſſe rem occupatam iterum concedere in feudum, non itidem ſi ignoret, id utique noſtram incurrit Bullam, quæ verbis prægnantibus & generalibus utitur: *Gail. 2. obſ. 54. num. 8. Nullus quocunq; tempore regreſſus &c. Et ullo modo concedi valeant &c.* Imò invadens infamis efficitur, & banno imperiali feritur. Qui & ideò feudi ulterius capax non eſt, nec de novo inveſtiri poteſt, *Roſenth. d. c. 3. concl. 19.* Et ſuperiores pœnæ etiam contra illos, qui nulla facta reſignatione Dominos quacunq; prævia diffidatione vel omiſſa offendunt, conſtituuntur, ſicque hac in parte pœnam ſeveriorem Bulla noſtra, quàm jus Feudale dictat commune, quod amiſſione feudi contentum eſt, *c. un. quib. mod. feud. amitt. 1 Feud. 5. & 17.* Sed hanc ſeveritatem haud dubiè furentium Vaſallorum graſſans licentia tùm extorſit.

AD CAPUT XV.

II.

Radices ſeditionum & contentionum civilium exſtirpare priùs oportet, quàm malum ipſum exoriatur. Difficilius enim tunc, quàm initio illi ſuccurritur. Seditionum autem, ut Ariſtoteli placet, variæ ſunt cauſæ, quibus permoti homines ipſam quoque Rempubl. ſæpè perturbant. Nam aut honoris cauſa alter alteri invi-

invidens tumultuatur, quæ res civili bello inter Pompejum & Cæsarem causa fuit, aut contumelia & contemtu quorundam reliqui permoventur, ut olim Romanus populus à Patriciis diffidens gravissimas seditiones concitavit, aut timore, cùm gravius quid veritus quisquam res novas molitur, aut excellentiâ opibusq; paucorum, quibus cum reliqua pars Reipubl. inferiorem se esse videt, æquari iis vult, ac proinde modis omnibus refragatur, aut negligentiâ Principum & Magistratuum, cùm vulgus injusta fieri multa cernit, cùm leges negliguntur, civitatis jura & privilegia vilescunt, studio, ambitu & largitione, aut demum civium ipsorum dissimilitudine, ut cùm alii ditissimi opulentissimique, alii egeni maximè & inopes sint, alii probi & justi, reliqui injusti, *Sebast. Fox. lib. 2. num. 19. de regni regisq; instit.* Hæc enim conditionis ac morum inæqualitas magnas contentiones atq; odia parit. Cum ergò ejusmodi causæ in Republ. existunt, tollendæ sunt contrariis remediis, id est, distributis unicuiq; pro dignitate ac meritis honoribus, vindicata omni cujusque ignominiâ & contemtu, sublato metu & ejus causa, severitate & curâ in servandis religiosè legibus æquatis inter se jure civibus, nè vel odio invidiæ, contentioni, æmulationi, simultativè occasio relinquatur, inprimis verò severa fiat conventiculorum prohibitio. Ut maximè enim prædictarum causarum aliqua sit, quæ morbidam Rempubl. nec omni ex parte beatam esse ostendat, si tamen convenire subditis fas non erit, non facilè ad seditiones devenire poterunt, quod nostris LL. prospectum est, quibus nullo prætextu conventicula & congregationes agere permittitur, *l. 1. ff. de colleg. illic l. 1. ff. quodq; univers. nomine l. conventicula 15. C. de Episc. & cler. l. denunciamus 5. C. de his qui ad Ecclesias confug.* Et Fridericus I. Imper. *Conventicula quoq; ait, & omnes conjurationes in civitatibus & extra, etiam occasione Parentelæ inter civitatem & civitatem, & inter personam & personã, sive inter civitatem & personam modis omnibus prohibemus fieri Radewic. lib. 2. cap. 7. de rebus gestis Friderici, c. un. §. conventicula de pace tenendâ inter subd. 2. F. 53.* Quem locum etsi *Fr. Hottoman. ibidem in comm.* non tàm de coitionibus, quàm commessationibus & compotationibus, quæ in publicis istis conventiculis flagitiorum multorum præbebant materiam, agere existimet: attamen

men textus clarior est, quàm ut eam interpretationem recipere possit; loquitur quippe de conventiculis & conjurationibus, quem & ideò *Günther. in Ligur. lib. 8.* sic reddidit:

Nec conventiculum vel conspiratio fiat
Sive Sodalitii seu juncti sanguinis astu.
Urbibus in nostris tali sub lege vetamus &c.

Et verba ejusdem *in h. tit.* Carolus noster derivando, quo explicari debeat modo, satis ostendit, *detestandas & sacris legibus reprobatas conspirationes* ait, *& conventicula seu conventiones illicitas in civitatibus & extra &c. damnamus.* Deniq; *Andr. de Isern.* Feudistarum auriga dictus *ad d. §. conventicula*, ait: Et videtur intelligendum, quando conveniunt & conjurant ad malum, vel ad aliquid, per quod status communis fidelium & Imperii perturbetur &c. Cujus autoritate & ductu textus nostri, conventiculum tunc illicitum censebitur, cùm plures in unum conveniunt animo deliberato ad perpetrandum malum, quod in dubio præsumi volunt. *Natt. cons. 665. n. 2. Mascard. concl. 450. de probat.* vel licet etiam ad finem bonum conveniant, Domini consensum non requisierint, *l. 2. C. de Decurion. Guido Papa decis. 106. Boër. decis. 60. n. 12.* Quod tamen non sic intelligendum est, quasi necesse sit Dominos ipsos interesse congregationi. Nam ut *Menoch. cons. 28. n. 11.* dicit, universitatum congregationes & consilia jure non prohibentur, nec juris necessitate requirunt superiorum præsentiam vel licentiam, cùm licentia solùm requiratur, ut actus gesti eorum autoritate confirmati valeant. Quod omninò textus noster requirit, ut nesciam, an traditio, *Bl. cons. 319. vol. 2. Menoch. d. l.* & sequacium congrua sit, dum volunt, non obstante superioris decreto expresso, congregationes ad bonum finem fieri posse. Si enim id quod conclusum est, autoritate superioris, vel ipso teste Menochio, confirmari debeat, non utique ipso vetante congregatio, utpote cujusvis & efficacia ab autoritate Domini dependet, licita censeri poterit, idq; exemplo tutoris, cujus quidem autoritas negotium contractum subsequi potest, *l. 25. §. jussum. ff. de adquir. hered.* Verùm si is expressè, nè alter cum pupillo contrahat, prohibeat, & suum dissensum interponat, actus totus vitiabitur, *§. tutor. 2. Inst. de*

autor. tut. A tutore autem & pupillo ad Dominum & subditos rectè arguitur. Utrobique enim protectio & subjectio requiritur, quare si vel inter cives in civitatibus vel paganos, vel duas aut etiam plures civitates, vel inter civitatem & alium, puta Principem vel Comitem prætextu parentelæ sive protectionis colligatio vel congregatio inita sit, Domini consensus ut interveniat, isque etiam nominatim ut excipiatur, necesse est. Non ignoro *Hieron. Schurff. cons. 23. cent. 3.* contrarium consuluisse, & Erphordienses se perpetuæ protectioni illustrissimorũ Principp. & Ducum Saxoniæ invito Archiepiscopo Moguntino justè commisisse defendere, quod factum primitùs est Anno 1483. Ratione eâ præcipuè motus, quod per receptionem factam sub protectione nihil detrahatur juri ordinarii & superioris. Unde *Gail. lib. 2. obs. 54. num. 1.* dicit: Schutz und Schirm gibt keine Obrigkeit. Et ideò Clientes, Schirms Verwandten/ non efficiuntur subditi, licet se alterius protectioni committant, *c. recepimus & c. ex parte juxt. de privil. Henr. Rosenth. c. 4. conclus. 14. n. 4. de feud.* Et civitas à rege sub protectionem ejus recepta non efficitur de jurisdictione Regis, *Menoch. quæst. 100. nu. 20. de arbitr. jud. quæst.* E castra vel villæ civitati recommendatæ, quæ in signum majoritatis quid dant, dicuntur populi liberi, nec hujus civitatis cives esse, *Br. in l. non dubito. 7. ff. de capt. & postl. Roland. à Valle cons. 1. nu. 46. vol. 2.* Attamen textus noster disertè vult, *quod absq; autoritate Dominorum, quorum subditi sunt seu in quorum districtu consistunt,* colligationes parentelæ & protectionis nomine iniri non possint. Abesse enim ab omni confœderatione & colligatione injuriâ debet. *Simon. Pistor. cons. 19. n. 33. vol. 1. inter consilia Modestini.* Qua utiq; per obliquum Dominus afficitur, quasi is non ejus potentiæ sit, quod se suosq; subditos tueri queat. Et quamvis jus protectionis nullam tribuat jurisdictionem, attamen innatâ Magnatibus regnandi seu dominandi cupiditate, hâc in re quandoq; ait *Gail. d. loc. n. 6.* perniciosè peccatur, & jus advocatiæ plus æquo extenditur, & ad quæstum & privatam utilitatem transfertur &c. Habentq; hæ insuper colligationes speciem unionis, unio autem non ab inferioribus, sed à Dominis & superioribus fieri debet, *c. sicut unire, extr. de excess. prælat. c. illud. nov. ut judices suffragio sine quoquo fiant N. 8. Cravett. consil. 258. n. 10.* Imò civitatũ inco-

incolæ per has colligationes audaciores adversus suum Dominum, cùm protectoris se niti auxilio sciant, reddi videntur. Id quod repugnat publicæ quieti, cui vel maximè studendum *l. congruit. 13. ff. de offic. præs.* Nec paciscentes exculpare protestatio videtur, quâ in colligationis instrumento uti solent, quod scil. prætextu initæ colligationis juri superioris derogare nolint, siquidem contraria facto videtur, quæ protestanti prodesse non solet, *c. gratum extr. de off. delegati. c. sollicitudinem extr. de appell.* Quod exemplo vasalli feudum inscio Domino alienantis patet, qui etsi protestetur, quòd per alienationem jus Domini lædere nolit, non tamen per hoc sublevatur *Jas. in l. non solùm §. morte. nu. 27. ff. de novi op. nunc. Dec. cons. 160.* Nec quicquam pro contrariæ opinionis fulcimento faciunt textus allegati. Quod enim *c. recepimus. extr. de privil.* attinet, nihil id aliud innuit, quàm persolutionem census annui, quæ fieri Rom. Ecclesiæ solet, non probari exemtionem à jurisdictione Episcopi, quod sanè nostram non afficit sententiam, quæ an inscio imò invito Domino census honorarii annui loco persolvi id alii possit, collimat. Quâ de re oppositum *cap.* non agit, siquidem an census ille pro patrocinio, vel quâ aliâ de causa, & an invito Episcopo Eccles. Romanæ persolutus sit, non insinuat. Similiter non obstat *c. ex parte eod.* Loquitur enim de iis, qui recepti sunt sub protectione Papæ, dicitq; eos per hoc ab Episcoporum suorum potestate minimè trahi. Nam etiam sinè speciali receptione universalis potestatis intuitu eidem subjecti sunt, sicut in Imperio protectionis privilegia, quæ ab Imperatore privatis etiam personis dari consueverunt, daß sie/ihre Kinder vnd Güter in der Keyserlichen Majestet/ vnd des H. Reichs Schutz vnd Schirm seyn sollen ꝛc. Non id operantur, ut jurisdictioni ordinariæ quid derogent, *Gail. lib. 2. obs. 54. nu. 7.* vel etiam absq; speciali ista susceptione Cæsaream protectionem excludant. Est enim Cæsar Imperii & in eodem Gentium protector, *l. in orbe 17. ff. de statu hom. l. deprecatio 9. ff. ad L. Rhod. de jactu.* Nos verò in iis terminis versamur, ubi absq; speciali receptione civitas protectoris defensioni subjecta non foret. Addit insuper *Schurff. d. cons. nu. 6.* quod ex communi usu & observantiâ per totum imperium civitates se alterius protectoris patrocinio subjicere soleant, quod si ita sit, vigor Bullæ nostræ per con-

trarium usum enervatus erit. Atqui Doctori de consuetudine attestanti non creditur, propterea quòd in facto consistat, facta etiam prudentissimorum sæpè notitiam fugere soleant, *l. 2. ff. de jur. & fact. ignor.* Nec dicto unius etiam præcellentis viri dignitatis creditur, *l. jurisjurandi 9. inf. C. de testib.* Rectiùs ex eo Erphordienses Saxones protectores elegisse dicemus, quod Archiepiscopus limitatam & restrictam in civitate eorum habeat jurisdictionem, extraque civitatem circumfusum sit Saxonum territorium, in quo bona eorundem sita sunt, & adsit præscriptio, cujus initium memoriam hominum fugit, *Schurff. d. cons. num. 6. & seqq.*

III.

Quid si verò duo Principes consangvinei & confœderati civitatem in protectionem suam suscipientes, eam contra omnes defendere promiserint, & deinde alter eorum opprimere civitatem hanc conetur, an alter requisitus eam contra consanguineum & confœderatum defendere teneatur?

Quam quæstionem quidem utramq; in partem discutit, *Simon. Pistor. d. consil. 19.* Sed concludit requisitum contra offendentem obligatum esse. Obligatio enim protectionis facti est, & proinde individua insolidumq; tenebitur uterq; Princeps, ut duo rei debendi, *l. nemo 5. ff. de duob. reis.*

IV.

Quod si verò quisieris, an confœderationes & ligæ, quas Principes inter se vel alii aut civitates pro tuendâ in suis ditionibus pace ineunt, valeant?

Ex

Ex hac Bullâ eas valere respondebimus, atq; ideò in Camerâ Imperiali Anno 1553. Fœdus inter Episcopos Würtzburgensem & Bambergensem ac civitatem Noricam adversus Marchionem Albertum initum pro licito fuit judicatum, cùm illud non solùm ad sui suorumq; defensionem inierant, sed id quoq; hortatu ac jussu Imperatoris Caroli V. fecerant, qui mandârat Statibus Francici Circuli, ut fœdus inter se sancirent de obviando omnibus, qui inposterum ipsos invadere violenter conarentur, tametsi Marchio hoc ipsum fœdus tanquam illicitam conspirationem contra se factam graviter impugnâsset, *Mynsing. obs. 2. cent. 6. num. 10.* Suevi quoq; pro tuendâ pace mutua electis potentissimis Germaniæ Principibus fœdus inter se decennale Anno 1380. inierunt. Norlingensibus receptis Anno 1384. renovatum verò Anno 1488. Quod solutum fuit providentia Caroli V. Imperat. & Regis Galliæ Anno 1533. magno cum Germanorum dispendio, *Warem. ab Erenberg. lib. 1. c. 2. de fœderib. num. 33.* Et Suevicum illud fœdus, si Sleidano *lib. 4. de stat. relig.* credimus, initio in annos octo, deindè tres, post duodecim deniq; decem initum, & Anno 1522. in annos decem renovatum fuit.

V.

Quare & confœderationes Saxoniæ, Brandeburgensium & Hassiæ Principum, quia pro pace tuendâ præcipuè initæ sunt, licitæ censeri debent.

VI.

De confraternitatibus earundem familiarum major est dubitatio?

Quod enim nonnulli vocabula: Erbeinung vnnd Erbverbrüderung promiscuè usurpent, in eo falluntur. Rectiùs enim ex formulis conventionũ diversis, quæ rem esse diversam arguit, *l. si idem. 7. C. de Codicill.* distingvuntur, *ut* Erbeinung confœderatio, Erbverbrüderung verò vocetur confraternitas. Erbeinung seu confœderatio certum modum belli pacisque tempore observandum. Erbverbrüderung autem seu confraternitas mutuam confratrum successionem continet, & licitam esse obtinuit, cùm

quia confratres sunt milites, Ergò &c. *l. licet 19. C. de pactis* tùm quia ipsi, de quorum successione agitur, consentiunt omnes, Ergò &c. *l. ult. C. de pact.* tùm etiam, quia consuetudine fulciuntur immemoriali, *Gail. obs. 127. n. 1. lib. 2.* Cui plurimùm tribuendum, *l. 1. C. quæ sit long. consuet. Thessaur. decis. 225. n. 12.* tùm quia in personis tàm illustribus votum captandæ mortis cessat, *Gail. d. obs. n. 2.* tùm quia fit reservatio certæ summæ, de quâ testari possunt, tùm quia Cæsaris consensu muniuntur, tùm quia juramento confratrum corroborantur, uti pluribus docent, *Rubin. cons. 40. & 99. vol. 1. Dec. cons. 516. & 655. Socin. jun. cons. 65. lib. 5. Zas. lib. 1. Cons. 1. Menoch. cons. 815. n. 1. & seqq. Reusn. consil. 3. fol. 1. Fabius de Anna consil. 52.* Ex quorum Scriptis hac de re laboriosè conscriptis plura in hunc locum derivari possunt. Et quidem confraternitas hæc inter Saxones & Hessos Anno 1262 quo Misnenses & Brabantini de Thuringiâ contendebant, incœpit *Fabric. lib. 6. Orig. Saxon.* renovata verò inter eos fuit Anno 1372. *Fabric. d. l. 6.* Item Anno 1431. *Fabr. l. 7.* renovatur fœdus hæreditarium, ait, exceptâ Ditione Saxonicâ, quæ nec in fœderibus majorum fuit comprehensa, quia ad Imperium pertinet, nec generi tribuitur sed honori &c. Verùm cum Anno 1587. Naumburgi Christianus I. Elector, Fridericus Wilhelmus, Johannes, Johannes Casimirus, Johannes Ernestus Duces Saxoniæ &c. Wilhelmus Ludovicus, Georgius, Mauritius, Landgravius Hassiæ &c. confraternitatis pactū renovârunt, nullâ Saxonicæ aut alterius ditionis exceptio facta fuit, verneweren die Verbrüderung, habet formula, in vnd mit Krafft dieses Brieffs / in der allerbestendigsten Form / Weis vnd Mas / als solches jure publico, militari v sonsten zu Recht geschehen kan oder mag mit vnsern beyden Partheyen / Fürstenthumen / Graffschafft / Herrschafften / Lehn- vnd Pfandschafften / mit allen vnsern Land vnd Leuten / die wir jetzo haben / oder darnach gewinnen mögen ꝛc. Saxonia ergò quoq; casu emergente, quem Deus in perpetuum clementer avertat, confratribus Landgraviis cedet. inter Marchiones verò Brandenburgenses & præfatos Saxoniæ Electorem & Duces, Hassiæq; Landgravios, illo ipso anno videlicet 1587. Naumburgi renovatio confœderationis facta fuit. Et quamvis sint qui arbitrentur, tùm demum ad eum Brandenburgenses salvâ conventione cum Pomeraniæ Ducibus inita, accessisse; attamen

ex formula ejusdem Anni apparet: Daß die Chur: und Fürsten der Häuser Sachsen/Brandenburg und Hessen (hæc enim sunt verba:) vor langen Jahren eine freundliche und brüderliche Erbeinigung unnd Verstendniß/ wie und welcher Gestalt Sie / ihre Erben und Nachkommen ewiglich beyeinander in freundlicher Einigkeit / guten Frieden und ewiger Ruhe sitzen und leben / auch in derselben Widerwertigkeit unnd Nöhten einander Hülffe/ Rath und Beystand thun sollen / gelobt und geschworen haben ꝛc. Facta enim fuit hujus confœderationis inter eosdem Principes renovatio Anno 1487. & 1537. item 1555. Ut ergo Brandenburgenses ad eum accessum antè fecerint, necesse est. Quod itidem alii, *Waremund. ab Ehrenb. cap. 2. num. 38. de fœderib.* de Anno 1587. Brandenburgenses ad fœdus der Erbverbrüderung seu confraternitatis accessisse autument, ejus rei vestigium nullum extat in formula confraternitatis Naumburgi dicto Anno 1587. 8. Julii renovatæ, sed Saxoniæ Hassiæque Principes saltem exprimuntur. Anno verò 1614. renovatum est Naumburgi confœderationis pactum. Quod cùm ex promissione hujus Bullæ licitè colitur, speciali Cæsaris confirmatione non eget, sicuti nec consensum Cæsareæ Majestatis requisitum fuisse superior conventionis formula ostendit. Ex quo apparet, confusè quosdam, quod de confœderationibus in textu nostro constituitur, ad confraternitatem trahere. Illa enim non, nisi ad salutem & pacem publicam tuendam, citra ullam de ditionibus dispositionem tendit: Firmitatem ergò suam ex hoc textu habent. Confraternitas verò de ditionibus adeoque Imperii feudis Regalibus certam continent provisionem. Meritò ergò illa Cæsaris tanquam feudorum Domini consensum exposcit. *Gail. d. obs. 127. n. 5.* Unde in formula confraternitatis additur: Und wollen wir beyde Partheyen/ bey jetziger Röm. Keys. Majest. unserer aller gnedigsten Herrn getrewlich ansuchen und bearbeiten/ daß diese unsere Brüderschafft. Auff: und Vbergebung/ wie vor geschrieben stehet/ bestetiget/ bewilliget/ unnd gevollwortet werde/ mit wissentlicher Auffhebung aller Recht/ so dawider seyn oder angezogen/ auch wie die im Rechten namhafftig oder deutlich genennet möchten werden ꝛc. In confœderationib. tamen Imperator semper excipi debet *in pr. h. t. Quetta cons. 6. n. 15.* Wo Fürsten und Herren mit Eyden zusamen schweren/ sie scheiden denn den Keyser

und

vnd das Reich drauß / so haben sie wider das Reich gemißhandelt / ait *text. in art. 1.* Landrecht *lib. 2. ubi gl. addit:* Vnd darumb meldet er hie des Reichs / denn ein Keyser oder König mag sterben / aber nicht das Reich: Unde & in confœderatione superiore, doch nehmen wir / additur, in dieser Erbeinung aus die Röm Keyserl. Majest. vnserer aller gnedigsten Herrn / seine Keyserliche Person vnd Würd rc. Dignitas enim Cæsareæ Majestatis etiam mortua persona in successorem transmittitur. *Pruckm. in §. soluta potestas 2. memb c. 4. eff. 2. n. 10.* ut necesse non sit Cæsare mortuo ad renovationem devenire. Ex quibus Bodino non assentiendum apparet, qui Majestatem imperii, non verò Imperatoris personam excipiendam esse putat, *1. de Rep. cap. 7.* Nec solus Imperator, sed & confœderati ipsi, si unus vel plures ex iis cum aliis non fœderatis Ligam vel conventionem ineant, excepti censeri debent, sicuti disertè formula innuit. Quare Smalcaldici fœderis socii Albertum & Johannem Brandeburgicos, quod suam operam Cæsari addixerant contra eos, monebant, ut diligenter secum expenderent, quid agerent, memoresq; juramenti, quo tenerentur, essent &c. *Sleid. 17. de statu relig.*

VII.

Et quamvis textus noster generaliter & indistinctè confœderationes Principum permittere videatur: Attamen cùm Maximilianus I. societatem cum exteris nationibus contrahere inhibuerit, *Jul. Pflug. in orat de Rep. Germ.* prior hæc nostra constitutio secundùm posteriorem exaudiri debet, *l. 26. 27 de LL.* sed quid *gl. in §. conventicula de pac. ten. inter subd. 2. fol. 53.* de illa Friderici I. constitutione dicit: *Malè hodiè observatur, imò totum contrarium faciunt Civitates maximè Lombardiæ &c.* id de Maximiliani illa sanctione meritò usurpare licet. Nam ut Ligas cum exteris aliis initas silentio involvamus, Principes Germaniæ cum Regibus Galliæ quadraginta septem fœdera contraxisse perhibentur *Bodin. 1. de Rep. cap. 9. Warem. Ehrenberg. 2. de fæder. cap. 2.* Smalcaldici fœderis socii Galliæ & Angliæ Reges de auxilio sollicitarunt *Sleidan. 17. de statu relig.* In fœdere Chambortico primas Galliæ Rex tenebat, de quo illud quæri potest:

An

An verum, Mauritium Electorem inscio Heinrico II, Galliarum Rege, ab illo recessisse?

Johan. Bodin. de Republ. lib.5. c.6. homo doctior quàm veracior, Memorabile exemplum mihi in mentem venit, ejus fœderis (ait) quod Chamborti cum Rege Francorum Heinrico II. Mauricio Duce Saxoniæ, Alberto Marchione Brandenburgensi, & Philippo Hassorum Landgravio, cæterisque fœderatis Principibus contractum est Anno 1552. capite 22. fœdus ita cavetur, Ne quis fœderatorum cum Carolo V. Imperatore ejusq; sociis paciscatur, nisi fœderati omnes consentiant, quod si quis fœderatorum gratiam aut pacem cum Imperatore inierit, hunc veluti perfidiæ scelere execrabilem exercitu spectante nudari ac verberibus cæsum necari placet, nihilominus tamen sexto post mense fœdere Passaviaco Mauritius in Caroli gratiam & amicitiam rediit sociorum conscio nemine, ac ne Heinrico quidem Rege fœderis conditionibus excepto, quæ si rei gestæ veritatem contineat narratio, nemo vestrûm est, qui non intelligat, permultum laudatissimi Herois celebratissimæ famæ officii, consensu quippe omnium ætatum hominum prudentum fœdus non ineundum facilè, sed initum servandum pertinacissimè receptum est; ipsa siquidem ratio omnium hoc animis insinuat, si fœdus inire licitum sit, licitum esse in confesso est, sanè id frangere turpe perfidumq; erit, nihil gravius & calamitosius est, inquit apud Dionem *Marcus Antoninus Imperator*, quàm fidem nullam in hominibus esse eamque violari ab amico: sine qua nulla amicitia, nulla virtus tuta esse potest. Turpe est, inquit *Bellizarius* apud Procopium, cum aliis omnibus, quibus vel minima virtus cordi est, tum inprimis Principi viro mentiri ac fidem fallere, Jusjurandum autem & pacta etiam scripto sancita violare, ne abjectissimo homini decorum esse arbitror, cujus rei cum nationes aliæ, tum præcipuè Romani laudem apud posteros consecuti sunt, etsi enim illi omnibus virtutum generibus colendis exercendisq; è parva origine ad tantam amplitudinē pervenerint, fidei tamen pertinax observantia eidem non minimum adjumenti attulit, adeò namque fidei religio a-

 nimos

nimos ipsorum occuparat, ut non solùm reipsa eam violari, sed nec perfidiæ suspicione aspergi passi sint, quemadmodum id exemplo suo comprobant *Fabius Maximus*, Annibal, ut cumularet invidiam apud cives, dictatoris, inquit Plutarchus, cum ad agrum ejus venisset, omnibus circa exustis soloque æquatis ab uno eo vim omnem abstineri jussit, atque apposuit custodes, qui inviolatum & integrum servarent, ut scilicet occulti alicujus pacti ea merces videri posset, Fabius verò Pœni dolum sentiens, quum tunc quoque argentum pro captivis debitum, quoniam patres non consuluisset, tardius erogaretur, ne sua cuique fides suspecta esset, inviolatum ab hoste agrum misso Romam filio vendidit, fidemq; publicam privato impendio exolvit. *Scipio Africanus Major*, cum multis & illustribus Carthaginensium viris navem in suam potestatem redegisset, inviolatam dimisit, quia se Legatos ad eum missos dicebat: tametsi manifestum erat, illos vitandi præsentis periculi gratiâ falsum legationis nomen amplecti, ut Romani Imperatoris potiùs decepta fides quàm frustrà implorata judicaretur, ait *Valer. Maximus lib. c. 6.* quos gentis nostræ æmulata fides cunctis nationibus ejusdem observantiam summa constantia probavit, sicuti id, Frisiorum testimonii prolatione recognoscere licet, illorum namque Legati dum Romæ aliis curis intentum Neronem operiuntur (inquit Tacitus) interea quæ Barbaris ostenduntur, intravêre Pompeii theatrum, quo magnitudinem populi viderent, illic per otium (neque enim ludicris ignari oblectabantur) dum consessum caveæ discrimina ordinum quis eques, ubi Senatus percontantur, advertêre quosdam cultu externo in Sedibus Senatorum & quinam forent, rogitantes, postquam audiverant eorum gentium Legatis id honoris statum, quæ virtute & amicitiâ Romanâ præcellerent. Nullos mortalium armis aut fide antè Germanos esse, exclamant, digrediunturque, & inter Patres consident, quod comiter à visentibus exceptum quasi impetus antiqui & boni æmulatio, ut non perfunctoriè tanti objecti criminis origo veritasq; investiganda sit, sed nisu, quo licet summo omnes Domus Saxoniæ subjectos magnâ mediocrique sapientiâ in ejus amolitionem, proq; asserenda Germanæ Saxonicæ fidei observantia, quæ quisque optima veraque potest, uti dicat,

cat, provocat. Bodinus suæ sententiæ authorem laudat Albertum Marchionem Brandenburgensem, qui coram exercitu, inquit ille, in Mauritium acerbissimâ & contumeliosissimâ oratione invectus detestabilem & patriæ & Regis & Imperatoris proditionem Passaviensem transactionem appellavit; quod ipsum confirmari videtur ejusdem Marchionis scripto, quod editum est Anno 1557. cui titulus est: Des Durchläuchtigen ꝛc. Herrn Albrechts des Jüngern / Marggraffen zu Brandenburg / ferner rechtmeßige Erklerung vnd Bericht / daß aber (inquit Marchio) diese vnsere expedition (contra Cæsarem scilicet) den Außgang nicht allerdings dem Reich zum besten gewonnen / dieweil sonderlich die Stadt Metz / darüber vom Reich an Franckreich kommen / dessen wissen wir kein ander Vrsach / denn daß die Lintzische vnd Passawische Vertragshandlung etwas zu eilends / vnd sonderlich ohne Vorwissen vnd Willen der Königlichen Majestet in Franckreich mehrestheils noch vnverrichter Dinge eingegangen / bewilliget / vnnd mit der expedition, sonderlich von der Zeit an des Passawischen Vertragshandlung still gestanden worden / wie wir denn Hertzog Moritzen seligen / desselben zuvorn vertrawlich verwarnet / sich wol zu bedencken / was gemeinem Reich vnd vns allen / die wir im Handel stunden / daran gelegen were / quod si verum, incassùm labor præsens à nobis susceptus erit, siquidem ut jam ex Bodino retulimus, fœderis inter capita hoc 22. fuit, ne quis fœderatorum cum Carolo V. ejusque sociis inscio, aut invito Rege Galliæ, pacisceretur, quod ut conditionem non obscurè, quæque in voluntate Regis Galliæ fundata fuit, continet, ita debuit quoque, ut natura conditionum est, strictissimè prout concepta fuit, adimpleri, vel maximè quod fœderum naturæ id omninò congruum fuit, Nam ut *Menoch. consil. 99. num. 39. vol. 1.* tradit, confœderatorum unum est corpus, qui enim alteri adhæret, unus est cum eo spiritus, eleganter *Chrysostomus homil. 101.* Quamvis (ait) minimus sit, qui unus est, tamen si unanimes sint duo vel decem, jam eum qui unus erat, decuplum effectum, uno offenso decem offendi, horum quemq; viginti manus habere, oculos viginti, totidem pedes, & ita non suis solùm sed alienis vel oculis tueri vel operari manibus, si verò

ſint & centum & mille, vel eo amplius, idem eſſe, ſemper produci potentiam, atque adeò, quod naturâ non poſſet confici amicitiæ nexu. Quapropter ut in humano corpore, ſiquidem illud valere debet, diſſenſus abſit, neceſſum eſt, ſimiliter & in Confœderatorum corpore ut & ſociorum adſit in iis, quæ ſocietatem cocernunt, unanimis conſenſus conſequens eſt, fides par, inquit *Thucid.* mutuusque metus utrinq; fidelis fœderum cuſtos eſt, & ne committamus, quod abſurdum eſt, & in fœderibus naturæ rationem haberi oportet, quâ monemur, eadem eſſe principia deſtructionis, quæ & conſtitutionis, cumq; autem fœderum conſtituendorum ratio, mutuo ſociorum conſenſui innitatur, ut & eorundem diſſolvendorum modus ex eodem profluat, conſectarium eſt; Atque hæc pro Bodino afferri & in eam partem diſputari poſſunt. Quæ quidem tanti momenti non ſunt, aut verò etiam Bodinus talis (ejus enim malitia in Germanos nota eſt, *Waremund. ab Erenb. cap. 1. num. 178. medit.*) ut operoſæ refutationis indigeant, ſi non rerum & hiſtoriarum negligentior iis ſeduci poſſe, tritum illud: Calumniare audacter, ſemper aliquid hæret, in eorum animadverſionem me compelleret, præſertim cum non ſolùm à *Bodino* illud in ſuos Gallos, ſed & à *Natali Comite* in Italos & orbem univerſum ſparſum ſit, ſic enim ille ait: Atqui Germanorum fides viſa eſt per illud tempus non prorſus carere graviſsimâ levitatis & inconſtantiæ notâ, quando qui modò conjurarunt, qui magnis & incredibilibus propè ſumptibus ingentes exercitus comparaverant, qui Cæſarem è Germania ejecerant, qui ſe in libertatem vendicarant, Gallum Regem ad Germaniæ defenſionem cum magnis viribus è Gallia exciverant, qui protectorem Imperii & propè Germaniæ Parentem cum magno applauſu exceperant, continuò mutatis animis nulla injuria à Gallo accepta, nullo affecti à Cæſare beneficio hûc illuc deliris voluntatibus lubrici feruntur. Hæc cum recito, memoriam meam cordati cujuſdam Politici ſententia ſubit, fit cottidiè (ait ille) & factum ab initio hiſtoriæ teſtantur, ut optimos Principes omnis virtutis genere & pietatis radiis côruſcantes injuria ac invidia temporis, leviſsimi homines gratia & nummis conducti, tot & tantis coacervatis nugis, menda-

ciis

ciis & criminibus inprimis post mortem exagitarint, ut vehendis non sufficiat navis, neque tantum impii ac leves, verùm etiam religiosi & opinione graves, & quidem facilius cum multa vana ex observatione *Taciti lib. 5. Annal.* sub nomine celebri vulgentur. Quod ipsum quoque accidisse Electori Mauritio, series rei gestæ cuivis non malevolo ostendere potest. Constat enim ex rerum Germanicarum Scriptoribus, postquam alia atque alia frustra tentata essent, preces intercedentium pro captivis Principibus Electore Saxoniæ Johanne Friderico, vestrarum Celsitudinum proavo, & Landgravio Philippo fastu plusquam Hispanico rejicerentur, Mauritium fidei promissæ obligatio eas inire rationes, quibus captivi libertati restitui possent, compulit, quod ut ex voto melius succederet, cum Heinrico II. Galliarum Rege fœdus inivit, quomodo autem bellum gestum, aut quæ alia id sequuta sunt, explicare ad quæstionis nostræ statum haud pertinet. Nobis quippe de ejus fœderis dissolutione, & an invito inscioque Rege Galliæ facta sit, si dixerimus, instituto nostro fecisse satis videbimur. Quod autem volente & consentiente Rege Galliæ fœdus id dissolutum sit, *Fraxinei* Regis Legati verbis quàm meis comprobare velim. Is autem inter cætera apud Sleidanum in Principum consessu sic locutus est. Non ergo debere cuiquam videri mirum, si tandem extiterint viri Principes, & in his quidem Saxoniæ Dux Elector Mauritius, qui vel sui capitis periculo recuperandam esse communis patriæ libertatem existimarint: eos verò, cum viribus essent inferiores, neque tantam soli provinciam sustinere possent, Galliæ Regis implorasse fidem & auxilium: & hunc quidem superiorum annorum offensione depositâ, non modò fortunas omnes cum iis communicasse, verùm se quoque tantæ rei totum impendisse, facto cum illis fœdere, quo sit inter alia cautum, ne cum hoste pacisci, nisi de Regis voluntate liceat: porrò Mauritium, quanquam eo vinculo teneatur, tamen ut patriæ consulat, & Ferdinando Regi petenti morem gerat, à Christianissimo Rege petiisse nuper, ut quomodo pacem ferre possit, ostendat: id quidem ei præter expectationem nonnihil accidisse, quod cum ejusmodi sit ipsius tanquam

magnum beneficium de rebus ad ipsum pertinentibus, non ex longinguo, sed coram esse putaret agendum: sed tamen quia suis commodis publica longè præferat, non voluisse fœderato Principi quicquam denegare: proinde, si Reipublicæ vulnera sanentur, ut oportet, & in posterum idoneè caveatur, ne recrudescant, si Principes captivi dimittantur iis, quæ sunt in fœdere perscriptæ, conditionibus, adhæc si vetusta Galliæ cum Imperio, Sed & istud nuper cum Principibus initum fœdus ita confirmetur, ut in sempiternum valeat, hæc, inquit, si procurentur, illum erga Rempublicam sic animatum esse, non modò libenter ut sit assensurus actioni pacis, verùm etiam Deo permagnas acturus gratias, quod ipsius in eo consilium intervenerit & adjumentum &c. Si ergò Mauritius & Regem Galliæ pacis tractationis, & quibus conditionibus, ea obtineri posset, certiorem fecerit? Si Rex Galliæ confœderato Principi Mauritio nihil denegaverit? quâ fronte pacem Rege Galliæ inscio invitoque sancitam fuisse Bodinus, Natalisquè Comes nugantur? & ne Legato, quæ à Regis suis voluntate dissentirent, excidisse putemus, Regiam voluntatem Rex ipse in castris antè Argentoratum Legatis Palatini, Moguntini, Treverensis, aliorumque postquam literis Mauritii, quin Lincii actum esset, cognovit, aperuit, se jam illud (ait) cujus rei causa cum exercitu venisset in Germaniam, esse consecutum: Principes enim captivos liberatum iri: causam hanc fuisse belli, satis itaque gloriæ sibi partum esse, aut etiam existimemus, ea ut ex Sleidani hominis germani in germanum Principem affectione (qua ipsum in transversum rapi Possevin *lib. 1. sel. lect. Biblioth. cap. 19.* dicit, mendacemq; nebulonem nominat:

Mendaciorum (scilicet) ipse tanto pessumus
Excogitator, optimus quanto fuit
Sleidanus: ille veritatis unicæ
Scrutator, & qui veritatem mortuus
Fatetur, hanc tu scurra ne vivus quidem,

(ut alibi Melissus cecinit) profecta esse, acta publica, quæ etiamnum manibus hominum teruntur, rem non secus, quàm Sleidanus

danus retulit, gestam esse testantur, & Sleidano contra Bodinum credi ipsius Bodini de Sleidano judicium facit. Is enim sic in methodo historiarũ *cap. 4.* scribit, optimi Scriptoris indicium est, ab omnibus probari, & præsertim tempore quo vigent ii, qui rebus gestis interfuerunt, in quo genere sunt Thucidides, Salustius, Xenophon, Cominæus, Guicciardinus, Cæsar, Sleidanus, quin etsi, citra tamen veritatis præjudicium, Bodino Natalique socio inscio Galliæ Rege acta & tractata omnia fuisse concederemus, justâ tamen ratione, fas licitumq; fuisse invito Rege Galliæ Mauritio pacem cum Cæsare facere, contendimus. Nam fœdus non violatur, si ab eo receditur per rationem justam, sicut id Ulpianus & Pomponius de privatorum societate tradunt *l. 14. l. 15. ff. pro soc.* & istorum sententia justâ ratione ad hæc fœdera & publicas societates producitur; justa quippe gravisque ratio Mauritium in eam animi cogitationem impulit, cum quia Landgravio magnum esset periculum, cujus tamen liberandi causa bellum præcipuè & fœdus susceptum fuerat, nisi pax fieret, tum quia totius Germaniæ ingens ruina bellum illud subsequi necesse fuerat, & ideò cum bona gratia Cæsaris id, quod armis quærebat, obtinere posset, omninò debuit à fœdere illo tanquam saluti Germaniæ noxio recedere, nec bellum quod Gallus quærebat, paci honestæ præponere; siquidem ut Bodinus ipse *in Politicis d. loc.* rectè tradidit, si unus ex sociis perpetuis & capitalibus odiis cum hostibus certare, sociis dissentientibus velit, cæteros odio implacabili ac sempiterno implicari non oportet. Deinde, si conditio quædam, quâ fœdus & societas inita erat, non præstatur, renunciatio societatis valet, *l. 15. ff. pro soc.* fœdus autem hoc inter Gallum & Mauritium sociosque ideò initum fuerat, ut restitutâ Germaniæ libertate captivis, Principibus dimissis, nullum compendium aut fructum ex eo spectaret Gallus, uti Epistola Regis Galliæ publicè excusa loquitur, *Sleidan. lib. 24. de stat. Relig.* at quam hoc Gallus servarit, Metis, Tullum, Verodunum, Imperii civitates in hodiernum usque diem testantur. Qua de re Boterus Italus *de Polit. lib. 8. cap. 6.* Hæc ars alienarum nempe urbium ac imperiorum defensionem suscipiendi Principibus nostri seculi non

non est incognita ait, notissima certè fuit Henrico II. Gallorum Regi, quippe qui sub prætextu defensionis Imperii Civitatum adversus Carolum V. miro astu tres urbes munitissimas sibi adjunxit, propositum quidem suum specioso libertatis prætextu, pileum enim inter duos pugiones præ se ferebat, velans, licet apud Prudentes prætextus illi nullius momenti esse solent, existimantes ejusmodi velamentis tanquam malitiosis dolis perfidiam deteriorem reddi, & rectè Mauritius noster Carolo V. subtiles quasdam interpretationes adversus Philippi Landgravii liberationem nectenti exprobravit. At ego, inquit, te tanquam Imperatorem, non tanquam Legistam volo pactiones & fœdera interpretari. Potuit ergo & Mauritius à Gallo tanquam fœderis conditiones non servante, & suum ad compendium eo ad Imperii diminutionem abutente ad Carolum V. per legitimam pacem transire.

Atque hæc & similia, quæ tempori & brevitati studentes omittimus, ostendunt, injustè Principi Mauritio perfidiæ crimen à Bodino objectum, multoque minus ullius fide digni testimonio confirmatum esse, nam quod de Marchione Alberto allatum fuit, scimus, quod hostis in hostem non recipiatur testimonium, nec ignotæ sunt orationes Hannibalis in Duces, Jugurthæ sceleratissimi adversus Consules Romanos, Catilinæ perditissimi contra Ciceronem & ejus Collegam; quæ magis ad animandum & inflammandum in hostes militem quàm veritatem probandam pertinent, & quàm graviter Mauritius injuriam per orationem Marchionis sibi illatam tulerit, suo cum malo expertus est Marchio. Natalem verò Comitem quod attinet, is suæ narrationis testimonium nullum addit, & ei melioris fidei Sleidanum opponimus, qui in historiis tantum Natalem Comitem superat, quantum auctoritas publicis ex actis monumentisque tracta privatam alicujus testificationem confundere solet. Quæ enim Sleidanus habet, ipse aut vidit, aut ex monumentis publicis depromsit; Natalis verò Comes, ut ipsius in suarum historiarum initio profitetur, scribere exorsus est, quæ alii sigillatim scripserunt, quæ an verè falsòve ab aliis in publicum emissa fuerint, homo Italus trutinare, ut debuit, non potuit.

Sic

VIII.

Sic unionis nuper contractæ exteri præcipua perhibentur esse fulcra. Id tamen unicè cavendum, ne in societatem fœderis infideles, ut Turcæ Saraceni & similes vocentur, admoniti exemplo Johannis Palœologi Imperatoris Orientis, cui ut & toti Græciæ confœderatio cùm Amurathe I. exitio fuit. Quis, inquit, Fulco Remensis Episcopus *lib. 4. cap. 5.* ad Carolum simplicem Francorum Regem, non expavescat, vos inimicorum Dei amicitiam velle, ac in cladem & ruinam nominis Christiani pagana arma & fœdera detestanda suscipere? Nihil enim distat, utrum se quis paganis societ, an abnegato Deo idola adoret: Nam si, ut Apostolus, bonos mores colloquia prava corrumpunt, quantò magis corrumpitur castitas animæ Christianæ inimicorum ex Consiliis & societate. Neque enim poterit non imitari, quod assiduè viderit: Quin potiùs assuescat paulatim, & quasi vinculo malæ consuetudinis trahatur ad facinus &c. *Et paulò post*: & meritò Prophetica illa vox ad nos dirigitur, quæ quondam ad Regem Israel similia facientem directa est: *quia impio præbes auxilium & his, qui oderunt Dominum, amicitia jungeris, idcircò iram Domini merebaris, lib. 2. Chron. cap. 19. in pr.* Et quis tàm ab omni pietate alienus, qui quod promisit Heinricus II. Galliæ Rex in juramento quod præstitit Solimanno Turcarum Imperatori in fœdere inter ipsos inito, non abhorreat? **Ich schwere vnnd glaube / daß ich alles / was mir bewust ist / vnd bewust werden mag / dem allerhöchsten Sultan dem Türckischen Keyser offenbahren vnd entdecken / dessen Reich Gott bestetigen vnd bekrefftigen wolle / ich wil der / so Freundschafft mit jhm halten / Freund seyn / vnd seiner Widersacher Feind / ich wil die gefangene Türcken aus der Gefängnis seiner Feinde erledigen ꝛc.** Hoc enim quid aliud est, quàm se Christi, ejusque membrorum hostem profiteri. Vasallus qui secreta Domini prodit, feudo multatur: hic non unius, sed totius Christianismi propalator secretorum audit, & nefandum ipsi bellum pro liberatione infidelium minatur, utq; regni Turcici incolumitas persistat,

se hostem omnium Christo fidelium impiè profitetur, ut miror, *Waremundum ab Ehrenb. t. de fœder. cap. 2. n. 43.* Fœdus id Heinricum IV. Regem Galliæ, non sine summo incommodo, Hispano Galliam undique vexante, infringere potuisse, dicere; an commodum illum, obsecro, ubi animæ incommodum vertitur, considerari poterit? an non ubi Turca Ethnicus in familiaritatem Christianorum admissus, eam retributionem rependet, quam mus in pera, serpens in gremio, & ignis in sinu, suis hospitibus exhibere solent, *ut Pontifex de Judæis loquitur in c. etsi. extra de Jud.* si frater tuus Christianus, qui Ecclesiam non audit, tibi alienus seu Ethnicus & publicanus esse debeat *Matth. 18.* quantò magis, Ethnicum ipsum à te alienum esse oportebit? si cum schismaticis ne orare quidem licet, *c. non licet caus. 1. q. 1* quomodo pugnare licebit, & quidem in necem Christianorum, *Schenck Baro ad c. un. n. 17. hic finitur lex. in Usib. feud.* Ut rectè Galliæ Cancellarius Rege quantumvis petente, fœdus illud consignare noluerit; sigillum non in hunc usum sibi concreditum dictans.

IX.

Quod verò Carolus noster & nos ex eo superius diximus, civitates quoque confœderationes inter se, vel cum aliis inire posse, id quomodo intelligendum, ex distinctione Civitatum habendum est. Quædam enim pro statu Reip: præsentis liberæ, aliæ conditionatæ, nonnullæ municipales perhiberi possunt. Liberæ videntur esse, quæ nullum superiorem præter Cæsarem & Imperium recognoscunt, quo sensu conjunctim dicuntur Freye vnd Reichs-stedte / daß sie nemlich keines Fürsten oder Herrn / sondern allein des Reichs Stedte seyn. Unde in Inscriptione Statutorum Lübecensium: Dero Keyserlichen Freyen / vnd des H. Reichs Lübeck Statuta ꝛc. *Gail. 2. obs. 57. num. 7. Wehner. in pract. obs. verbo* freye Reichs Stedte *vers. ergò propriè.* Conditionatæ dici possunt, quæ certis conditionibus Electores vel Principes agnoscunt, de quibus sic *Gail. 2. obs. 54. num. 10.* quando civitas, ait, certis pactis & conditionibus alicui Principi subjecta est, solùm subditam censeri, quoad illa pacta & expressas conditiones; in reliquis liberam permanere, quales in Germania nonnullæ sunt civitates, quæ certa le-

ea lege & conditione superiorem agnoscunt, & extra pacta conventa sua placidè fruuntur libertate &c. Et tales etiamnum Reichs-Stedte rectè appellari possunt. Nam extra conditiones appositas Imperii manent civitates, *Rutg. Ruland. 5. de commiss. part. 2. cap. 4. num. 47.* Municipales dicuntur, quæ omninò & immediatè Principibus & Dominis subjectæ sunt, *Gail. 1. obs. 1. num. 18. 19.* Quod ergò dictum civitates vel inter se, vel cum aliis Principibus & Magnatibus confœderationes iniri posse, id de Liberis, Freyen- vnd Reichs-Stedten/ verum haud dubiè est. Habent enim hæ civitates in suo districtu & territorio jura ea, quæ Principes in suis ditionibus, *Gail. 2. obs. 57. num. 7. Rutg. Ruland. d. lib. 5. cap. 4. num. 41.* Quod præter experientiam, quæ ipsas Cancellarias, judicia, leges peculiares, & ea, quæ ad sui status defensionem, præsidia necessaria sunt, opifices atque agricolas habere, ostendit *Johan. Dauth. sect. 5. post Knichen. epops.* Ratio à concedentis voluntate tracta, easque Principibus parificans monstrat. Ut enim hi ex indultu Imperatoris Regalia habent, & non quia Principes sunt, sed quia Imperatoris eis affulsit gratia, Regalia, juraque Principalia, Die Landesfürstliche Obrigkeit tenent: Simili modo & per eandem gratiam civitates liberæ ab Imperatore Regalia non quidem nomine, sed tamen reipsa eadem habent. Unde non minùs incorporatæ sunt imperio quàm ipsi Principes, sessionem quoq; ut Princeps in Comitiis habent, nec non Cameræ & imperio immediatè contribuunt. Qua de re excusa sunt consilia cùm titulo: Des H. Röm. Reichs Erbarn / Freyen- vnd Reichsstädten Session/ Stand vnd Stim betreffend &c. Conditionatas quod attinet, in iis conventionis formula, & quibus conditionibus Principi se subjecerint, inspici debet. Si enim apparet, quod etiam quoad Regalia subjectæ sunt, vel non quoad omnia, sed tamen specialiter jus confœderationis inscio vel invito Principe ipsis inhibitum sit, his & similibus casibus confœderationes contrahere non poterunt. Per contrarium verò si totali Regalium intuitu subjectione, aut speciali ligarum reservatione à parte Domini non constet, licitè fœdera cùm aliis pangere poterunt. Municipales verò quia loco privatorum sunt, *l. 16. de V. S.* inscio vel invito Domino confœderationes inire iis non permittitur.

 Atqui

cum trahere videntur: sua enim confisæ potentia non semel hostili manu Principum conatus infringere sustinuerunt, quo nihil perniciosius in Republ. excogitari posse, Romanæ plebis à Patriciis discedentis exemplo constat. Verùm, si mentem Bullæ nostræ attenderimus, utique fœdus illud legitimum censeri debet. Omnes enim confœderationes civitatum inter se super generali pace provinciarum & terrarum Bulla nostra permittit. Atqui confœderatio Anseaticarum civitatum talis est. Cœpit Anseatica societas, inquit David Chytræus *in Chron. Sax. fol. 672.* fœdere inter se inito ad tuendam libertatem commerciorum & privilegiorum. Deinde fœdus illud, quod fit consensu Domini, & in quo is excipitur, ex hac Bulla nostra licitum est. Atqui Anseaticum Imperatoris consensu corroboratum, isque nominatim exceptus est. Incepit quippe, teste Chytræo, paulò antè Friderici II. Imperatoris ætatem, circa annum Domini 1200. nec per hanc Bullam abrogatum est. Nihil ergò officit, quò minùs perdurare possit, *argum. l. precipimus 32. in fin. C. de appell.* Quin imò cum civitas Brunovicensis fœdere illo Anno 1377. exclusa esset: Carolus noster, ut vicissim reciperetur, auctoritate sua perfecit. *Crantz. lib. 9. in Vandal. cap. 7.* Cumq; itidem civitas Coloniensis primaria hujus fœderis socia, tempore Friderici III. Imperatoris ex ansa ejecta esset, intercessione ejusdem Imperatoris, & ad instantiam Archiepiscopi Coloniensis iterum suscepta fuit. *Crantz. lib. 15. cap. 27. in Vandal.* sic cum Anno 1562. inter Collegium & Bremensem civitatem nonnullæ difficultates intercederent, ob quas civitas collegio tùm remota fuit, sed Ferdinandi & Maximiliani II. Imperatorum monitione restitutio ipsi ex collegii decreto contigit. Quod utique factum non fuisset, si fœdus illud invitis vel insciis Imperatoribus initum fuisset. Estque insuper Collegium hoc, ut in variis Imperii recessibus Anno 1542. 1544. 1548. 1555. 1557 1566. 1576. 1582. 1594. vers. Desgleichen die freye Ritterschafft &c. patet, ad contributionem contra Turcas aliosve non semel requisitum. Quod si ergò in onerum, cur non similiter in commodorum partem, cujusmodi hoc non minimum est, ut fœderis justi legitimiq; nomine honoraretur, vocaretur?

retur? *l. secundùm naturam 10. de R. I.* Et contrarium si diceremus, absurdum id sequeretur, Imperatores & Imperii ordines ab eo collegio, quod conspirationis illicitæ speciem foveret, lucrum captare inque eam, qua tactus fuit Vespasianus, lucri bonum odorem ex re turpi pervenire dictitans, reprehensionis notam incurrerent. Quanquam & præscriptionis fulcro, licet jam dictis destitueremur, collegium se tueri posset. Nam ut ex Chytræo notavimus, jam antè 400. annos id institutum fuit. Tempus verò tàm prolixum & tot ætatum discursibus munitum, vim legis & concessionis obtinet. *l. hoc jure 6. §. ductus aquæ. 4. de aqua quot. l. 1. §. fin. l. in summa. 2. de aq. pluv. arc.* Unde nostri magno consensu tradunt, quod etiam Regalia, aliaq; quæ non possunt nisi ex privilegio obtineri, immemoriali, nedùm tàm amplo tempore præscribantur, *Alexand. cons. 6. vol. 1. Jas. in l. de quibus de LL. Innoc. & Bl. in c. si diligenti. extr. de præscript.* Quod si fœdus Anseaticum illicitum esset, non minori Reges & Principes illi afficerentur injuriâ, qui in illud quandoque recepti, quorum Catalogum recenset auctor der vereinigten deutschen Hansee Stedte ꝛc. quàm quâ nuper Regis Angliæ deputati ab Hispanis Legatis suum Regem affectum existimant. Cùm hi Angliæ Regem cum Rebellibus Hispani Regis, Ordinibus scil. Holandiæ, fœdus contraxisse conquererentur. Nullum quippe est legitimum fœdus cum rebellibus & conspiratoribus, *in pr. hic.* Et ideò se illis socians, ex societate illa labem contrahit, quam Reges Principesque illos (existimationem enim suam sartam tectamque conservare magnates semper unicè student) evitasse, fœderaque & ideò cum Hansæ civitatibus contracta pro legitimis habuisse certum est. Quare concludimus, quia fœdus illud ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, cæterisque Imperii Ordinibus legitimum & justum hactenus habitum fuit, ideò etiam id tale verè censeri debet, *argum. l. Barbarius 3. de off. præt.* Atqui dices, quæ alterius Principis imperio subjectæ sunt Civitates, privatorum loco habentur, *d. l. 16. de V. S.* qua itaque ratione absq; assensu sui superioris fœderis Anseatico conjungere se non potuerunt? Et sanè si civitas Municipalis, quæ in omnibus & per omnia Principi paret, id nunc tentaret, & ab Ansa re-

sa reciperetur, fieret id utiq; contra dispositionem textus nostri. Quod verò nonnullæ iisq; non absimiles in ea reperiantur, fit propter vetustatem receptionis. Latet enim, an tùm plenariè, ut jam aliis subjectæ fuerint, vel an Dominorum tunc consensus intervenerit, ad exclusionem deveniri nequit. Nam ut supra dictum est, immemoriali præscriptione se tueri possunt. Quid enim si civitas subjecta Principi oppugnationem ejusdem contra jus fasque mefueret, utique pro defensione, quæ juris naturæ est, opem civitatum Anseaticarum implorare, seque illis defensivè, non offensivè conjungere posset. Nam ut inquit *Cic. 1. offic.* duo sunt genera injustitiæ, unum eorum, qui inferunt, alterum eorum, qui ab his, quibus infertur, si possunt, non propulsant injuriam. Et *Ambros. cap. 37. lib. 1. de offic.* non in inferenda, sed depellenda injuria lex virtutis est, qui non repellit à socio injuriam, si potest, tàm est in vitio, quàm ille, qui facit, *relatus in c. non in inferenda. cap. 23. q. 3.* Et Augustin. *in Psal. 81.* qui desinit obviare, cum potest, consentit *c. fin. d. c. 23. q. 3. And. de Isernia in c. conventicula num. 25. de tut. ten. inter subd.* Quod insuper oppositum fuit societatem Anseaticam speciem monopolii præ se ferre: id enim, licet secundùm quid concederetur: Attamen, quia consuetudine immemoriali, & Cæsarum concessu societas fulcitur, omnis monopolii respectus meritò cessat, *c. significante extr. de appell. ibid. Innocent. in pr. Et notat Bl. in sua margarit. vers. monopolium quod d. t. in C.* per privilegium & consuetudinem derogari posit. Quod denique objectum confœderationem Anseaticam contemtum Principum secùm trahere, id cum fieri, & non fieri possit, ea capienda est interpretatio, quæ benignior est & contemtum excludit, *l. meritò 51. pro socio. l. 1. C. ad L. Corn. de sicar. Grammat. dec. 18. num 15.*

XI.

Quod si verò porrò de pœnis, quæ conspiratores ex hac Bulla manent, quæsieris, constituit Carolus, si personæ singulares contra hanc Bullam congregationes illicitas contraxerint, ultra pœnas legis antiquæ, de quibus *in l. 1. & 2. C. de seditios. l. si quis 38. §. actores seditionis. 2. de pœn.* eas nota infamiæ & decem librarũ auri pœna puniri. Civitates verò vel Universitates centum librarum auri,

quarum

quarum medietas fisco, altera Domino earundem cedet, & amissionis, & privationis libertatum & privilegiorum imperialium pœnas incurrere.

AD CAPUT XVI.

XII.

Jurisprudentibus placuit, inquit *Ulpianus*, duobus locis quem habere posse domicilium, si utrobique se ita instruxerit, ut non ideò minùs se apud alteros collocasse videatur, *l. 6. §. 2. ad municip.* Quod & *Paulus* ex aliorum opinione Labeonis rejectâ statuit, *in l. 5. ff. eod. & Celsus in l. 27. §. 2. eod.* uti videmus, inquit *Br. in d. l. 6. §. 2.* in Regibus, qui in qualibet ferè civitate regni sui habent domicilium, tamen unum principalius altero. Quod si verò altero relicto in alium locum larem, & fortunarum rerumque suarum summam contulerit, domicilium ibi habere non ambigitur, ajunt *Impp. in l. 7. C de incol.* Quod non solùm ei assentiente, verùm etiam invito prioris loci superiore permittitur, *l. nihil 31. ad munic.* Unde quod Paulus dicit, domicilium re & facto transferri, *in l. 20. ff. eod.* rectè Br. colligit, quòd statim cum quis recedit cum rebus suis, de loco originis, præsumatur habere animum mutandi domicilium. O jura præclara, *ait Cicero pro Balbo*, atque divinitùs jam inde à principio Romani nominis à majoribus nostris comparata, ne quis invitus civitate mutetur, neve in civitate maneat invitus &c. Est quippe receptio in subditum beneficium: quod Veneti insinuare cupientes illos, qui saltem jura civium plebeiorum citra jus suffragii & imperii consequi volunt, 14. annos urbem eorum incolere voluerunt: Ferrarienses decennium constituerunt, modò incolæ eadem onera, quæ cives tantisper subeant, *Bodin. 1. de Rep. c. 7.* Et ideò cùm beneficium invitus neque quis accipiat, nevè acceptum retinere necessum habeat, *l. hoc jure 19. §. non potest. 2. de donat. l. invito 69. de R. I. l. nec emere 16. C. de iure delib.* Nullum beneficiũ, *inquit Plaut. act. 2. scen. 3. in trium*, esse duco, id quod cui facias, non placeat, utiq; rationi consentaneũ fuerit, ut qui civis ampliùs suæ civitatis beneficium agnoscere nolit, id invitus ulterius non

coga

cogatur. Quod exemplo Vasalli clarescit, qui quamvis beneficium maximum à Domino obtineat, id tamen ei, si velit, etiam invito Domino refutare jus est, *cap.un.in f.de Vas. qui contra const. Loth.2. F 38.c.un.de Vas.decrep.at.2.F 14.Zas.part.10.n 85.Sonsbec.part.12.n. 114.de feud.* Est enim quilibet rei, jurisque sibi competentis liberrimus moderator & arbiter, *l.in re mandata 21. C. mand.* Hæc sunt, *inquit Cic. d. loc.* fundamenta nostræ libertatis, sui quemque juris & retinendi & dimittendi dominum esse. Quapropter si quis civitatis jus à se dimittere velit, impediri non debet. Et ita se habet consuetudo ubique & præsertim in Germania recepta *ait Gail. 2.obs.36.n.7.* & in Hispania liberum cuique aliò migrare, & alienæ civitati adscribi, dum id testatò apud Principem fiat, *Bod.d.c.6.* qui tamen in contrarium tendens, omnibus Principibus atque civitatibus, *inquit*, pro jure Majestatis & Imperii cives domi semper continere licuit ac licebit. Itaque in sanciendis fœderibus Principes illud obtestantur, se fœderatorum subditos ac Vasallos minimè admissuros, cujusmodi clausula in fœdere Gallorum & Helvetiorum addita est. Et cum quinque Helvetiorum pagi minores societatem inter se anno 1520. coirent, exceptum fuit, ne cives fœderatorum reciperentur. At ne insulâ Patritiis Anglorum, Scotorum, Danorum sinè Principis venia exire licet. Eoque jure à majoribus accepto etiamnum utuntur Neapolitani, *Matth. de Afflict. dec. 265.* Verùm Bodinus hac in re legum civilium placita non sequitur: cùmque fœderibus clausula de non recipiendis fœderatis inseritur, propter specialem conventionem omnes fœderis partes servandæ sunt, *l.1.de pact.* Quod v. Dani, Scoti, Angli & Neapolitani regnis exire vetantur, fit propter prohibitionem superioris, qui hac in re juri communi derogare potest. Atqui dices; si emigrare ad aliam civitatem licet, quid est, quod Carolus noster cives & subditos Principum, Baronum, Civitatum, aliorumque, in aliarum civitatum cives, *in hoc cap.* admitti vetat? Et sanè non indistinctè vetat, sed pravam consuetudinem tunc vigentem tollit: *Querela frequens ad nos produxit*, ait, *qui jugum originariæ subjectionis quærentes abjicere, imò ausu temerario contemnentes in aliarum civitatum cives se recipi procurant, & nihilominus in priorum Dominorum quos tali fraude præsumserunt deserere, terris, civitatibus, oppidis & villis,*

 corpora-

corporaliter residentes, civitatum, ad quas hoc modo se transferunt, libertatibus gaudere, & ab eis defensari contendunt. Vult ergò eum, qui in fraudem sui superioris se in civitatem aliam ascribi, ut ejus privilegiis & defensione gaudeat, procurat, & tamen in loco habitationis pristinæ permanent, minimè ex dolosa hac & fraudulenta receptione juvari debere, sed per omnia priorum Dominorum jura salva permanere, tàm respectu personæ, quàm bonorum. Et rectè; Civis enim cognoscitur ex muneribus & honoribus, *l. Cives. 7. C. de Incol. Rol. à Valle cons. 79. num. 38. vol. 3.* Cum ergò non munera, nec honores aut onera civitatis ejus, in quam adscriptus est, sustineat, iniquum foret, eum emolumentum ejus percipere, *l. secundum. 10. d. R. J.* Æquum est, ait, *in l. fin. C. de summa Trin.* ut qui nostris obedientiam minimam accommodant statutis, ab Ecclesia habentur extorres. Quod comprobat, *Bl. in auth. sed omnino. num. 23. C. ne uxor pro marito.* dum vult, quod qui non subit munera, non sit civis, nec beneficio statutorum illorum civitatis utatur, *Hended. cons. 5. numer. 39. part. 1. vol. 1.* Non ergo decisio *c. b.* ad eum, qui relicto prioris domicilii loco ad aliam verè transit civitatem, pertinet, qui ut per constitutionem domicilii verus ejus efficitur civis, *d. l. 7. C. de Incol. Rol. à Valle d. cons. 79. num. 29. & seqq.* Ita alter ille, qui prius domicilium retinet ejus civitatis, cui asscriptus est, falsus civis esse perhibetur, & nomine Germanico vetusto Pfalbürger nominatur. Cujus vocabuli notatio, quæ sit, in obscuro est. Wehner. *in pract. obs. in verb.* Pfalbürger/putat incolam, qui non est civis, dici Pfalbürger/der zwischen seinen vier Pfälen sitzt. Ereherus falsum civem eo significari existimat, cujus conjectura ex hoc textu juvatur. Etsi verò de Pfalburgeriis variæ Imperatorum constitutiones emanârint, ut Caroli Magni, *apud Goldast. tom. 1. const. Imp. fol. 11. vers. similiter precipimus.* Friderici III. *d. tom. 1. fol. 52. cap. 9.* Henrici ejusdem filii *d. tom. 1. c. 4. fol. 79.* non tamen in observantiam, ut Carolina nostra venêre, sicut judicat constitutio Sigismundi Imp. quæ edita est Norimbergæ Anno 1431. So ist uns/*ait*, mit manchfeltiger Klag fürbracht / wie daß noch heutiges Tages grosser Unwill und Mißhandlung in unsern Landen sind/von solcher Pfalbürger wegen / zwischen viel Herrn Geistlichen unnd Weltlichen / unnd auch den Städten unnd andern / die solche Pfalbürger uber die gülden Bull und der Richtung zu

Eger/vnd auch vber Königs Heinrich vorgenandt/ vnnd anderer König Ordnung gesetzt/nicht auffhören einzunehmen/ꝛc. Qui & ideò hanc Caroli sui Patris Bullam renovavit. Verùm ſicut ex Receſſibus Imperii *anno 1512.§.item.* als vns vnd die Stände/ꝛc. apparet à tempore Maximiliani I. in Comitiis denuò querelæ obortæ de iis fuère. Item, Als an vns vnd die Stätt/*att*, der Pfalbürger halbẽ/so etliche von den Ständten annehmen/merckliche Klag gelanget ist/soll darvon/was in denselben billich vnd recht sey/zu nechstkünfftigem Reichstag gehandelt werden/ ꝛc. Quòd an factum ſit, ex Receſſibus Imperii, in quibus ulterior de iis proviſi non reperitur, minimè conſtat.

XII.

Cùm ergo BULLA noſtra ad conſecutionem privilegiorum ejus civitatis, in quam quis receptus eſt, ut corporaliter in eam tranſeat, requirat, quid dicendum, ſiquidem tranſeat, ſed tamen animum ad prius domicilium revertendi habeat, an per temporalem reſidentiam civis poſterioris eſſe incipit?

Minimè: tria enim requiruntur, ut quis civis efficiatur. 1. ut in civitate habitet, hoc eſt, domicilium habeat, *l.1.§.habitare, de his, qui eff. vel dejecer,* 2. ut continuò habitet, *Rom. conſ. 264. n.3.* Qui verò propoſitum ad prius domicilium revertendi habet, continuò quidem dici poteſt habitaſſe in priore, ſed non in poſteriore loco *Fr.Viv.dec.447.n.1.3.* Ut cum tota familia inhabitet, non autẽ cum uno aut duobus *l. pronunciatio 195.§.familiæ de V.S.* Multò minus ergò habitare cenſebitur, etiamſi in recepta civitate commoretur, ut ſua expediat negotia, quia domicilium requirit animum perſiſtendi, *l.cives.7.C.de Incol.* & potius peregrinus, quàm civis reputari debet, *l.un.§.Caupo furti adv.naut.l.Lex Cornelia.5.§.5.verſ.cæterum. de injur.* Domus verò peregrinationis non dicitur domus habitationis, *ut dicit Bl.in l.ea quæ in fin.C.quomodo & quando jud.*

XIII.

Quod si verò emigrare voluerit, & prius domicilium relinquere, necessum, ea veteri Domino præstet, quæ more majorum vel statutis requiruntur. Quocirca si statuto vel consuetudine receptum sit, ut aliò migrans tertiam, vel quartam, aut decimam de suis præstet, vulgò vocant, den Abzug oder Abschoß/ Nachsteuer/ eam loci prioris superiori ut solvat, necesse est. *Geil. d. obs. 36. num. 10. Rauchb. q. 15. num. 2. libr. 1. Cothm. resp. Acad. 9.* Nam sicuti æquum est, ut Emphiteuta, Vasallus, vel Decurio, jure antidorali pro beneficio accepto Dominum aliquo honorario recognoscat: ita non iniquum videtur, cùm ille forsan per totam vitam privilegiis, subsidiis & protectione prioris Domini gavisus sit, ut discedens, resque secum ferens, pro remuneratione Domino aliquid relinquat, maximè cum dilcaeratio bonorum, & immutatio personarum Domino etiam ratione sui juris damnosa existat, &c. *Köpp. dec. 5. num. 3.*

XIV.

An verò Academici ad aliam functionem vocati, Magistratui loci, ex quo discedunt, den Abzug præstare cogantur?

Inter Academiam & civitatem Rostochiensem controverti video *ex resp. Acad. 19. Ernesti Cothm.* qui in negativam sententiam, & rectè descendit. Cùm enim ii ab omni vectigalis exactione securi sint, *Auth. habita. ibiq; Sichard. C. ne filius pro parte.* Hæc autem præstatio nihil aliud sit, quàm vectigal, utique ab ea quoque tuti securique esse debebunt. Quò simul fundamento concludimus, si Studioso Testamento legatum vel quid aliud suis studiis deserviens relinquatur, id citra ullam deductionem ei integrum præstandum esse, cujusmodi privilegium Philippus VI. Rex Galliæ Magistris & Scholaribus Academiæ Parisiensis dedit, *Rebuff. de Privileg. Stud. priv. 83.*

XV. Additur

XV.

Additur inſuper in textu noſtro : quod receptio contra tenorem ejuſdem invalida ſit, non obſtantibus in contrarium quibuſcunque privilegiis vel conſuetudinibus, & recipientes, niſi receptos infra menſem poſt intimationem præſentum eis factam dimiſerint, centum marcarum auri puri pœna, medietate fiſco, reliqua Dominis applicanda, pro transgreſſione totiens, quotiens factum fuerit, puniuntur. Marca verò auri puri nonaginta tres aureos, *juxta Renner. Budelium libr. 1. c. 23. n. 12. de re numm.* vel prout praxis Cameræ Imperialis habet, ſeptuaginta duos aureos Rhenanos efficit, *Köppen dec. 5. num. 13.*

AD

CAPUT XVII.

XVI.

Eos, qui adverſus aliquos juſtas cauſas ſe habere putabant, id agere ſolitos fuiſſe Carolus oſtendit, ut ipſos extra locum domicilii intempeſtivè diffidare, hoc eſt, inimicitias denunciare conſueverint, quod ipſum hac conſtitutione tollit, mandatque, quod ſi quis alteri inimicitias denunciare velit, id ei perſonaliter, vel in loco habitationis antè tres dies naturales, intra quos ad defenſionem ſe præparare poteſt, intimare, factæque intimationis fidem per teſtes idoneos facere debet, contra ſecus facientem, pœnam infamiæ & perditionis conſtituit. Verùm id poſtea Friderici III. conſtitutione ad illum caſum reſtrictum fuit, ſi diffidator juſtitiam impetrare non poſſet. *Receſſ. Imperii Anno 1442. §.* daß niemand den andern. Et hæc quidem illo tempore jure obtinebant, quo lites armis noſtrates finire ſolebant, da das Fauſtrecht im Schwang gieng. & unus aliquis famulo tentans Comitatus ait Cominæus. *10. de reb. geſt. Ludovic. XI. circa fin.* Civitati denunciare audet inimicitiam, confiſus aliquo Caſtello, in quo receptum habet ex ſociis aliquot Equitibus. Contra quem morem graviter differit Nic. Cuſanus 3. *de concord. cathol. c. 31.* per viliſſimum diffi-

dationum modum, honorem salvari putant, & vi post diffidationem intimatam ex quacunque conficta, aut nulla causa qualitercunque rapta, palam aut occultè, licitè credunt possideri, etiamsi bona Ecclesiæ, aut Clericorum forent opera sumta audacia contra omnes leges & jura. O iniquissimum judicium, distinguens honestum à justo, affirmans injustum possideri honestè, &c. Et paulò pòst: error maximus & manifestus, qui recenter in Alemanniæ partibus, proh dolor! inolevit, per quem Deus offenditur, pax publica, & omnis status turbatur. Et Petr. de Andlo. *libr. 2. cap. 16. de Rom. Imper.* eò res proh dolor! redacta est, *ait*, ut non modò vi oppressus vix judicem, ad quem recurrat, inveniat: sed & dum post longos laborum circuitus vix tandem judicatum obtinere contigerit, deficit tamen plerumque, qui res judicatas executioni demandare, aut velit, aut possit. Hinc jam patria continuis diffidationibus exagitatur, hinc jam tela volant, furibundæ sparguntur faces, hinc armorum, arcuum sonat fragor, & injuriosus mucro omnia & omnia prosternit, &c. Statuatur ergò lex, *inquit Cusan. cap. 34. d. libr. 3.* quòd nulli liceat sub pœna furti vel latrocinii violenter, vel propria authoritate, ex quacunque causa alterius bona occupare, aut sibi aut suis per diffidationem damna inferre, sed omnia fiant judicum authoritate, &c. Quòd & factum à Maximiliano I. Imp. in Comitiis Wormatiensibus anno 1495. sub rubr. **Der Königliche Landtfried: Dorauff haben wir alle öffene Vehde/ durch das gantze Reich auffgehoben vnd abgethan / heben auch die hiemit auff/vnnd thun die ab von Römischer Königlicher Macht / vnnd mit Krafft dieses Brieffs.** Et ab eodem in Comitiis Augustanis renovatum est anno 1500. sub rubr. **Erklerung des Landfrieden** & in Comitiis Coloniensibus anni 1512. **hat er alles Absagen vnd Vevehden wider den Landfried verbotten.** Item à Carolo V. in Comitiis Wormaciensibus anni 1521. & in Comitiis Augustanis anno 1548. sub rubr. **Königlicher Römischer Majestet Landfried.** Et rectè, speciem enim bellicæ denuntiationis hæ diffidationes habent. Ad belli verò indictionem sinè autoritate & mandato summi Principis deveniri non debet, *cap. cumq; culpatur. 3 q. 1. Balthas. Aijala libr. 1. cap. 2. de jure & off. bell.* Jus enim belli indicendi Majestati ita hærere dicitur, ut nulla ratione ab ea divelli possit. *Bodin. 1. de Rep. cap. 10.*

Clapmar.

Clapmar.1.de arcan.Rerump.cap 10. adeò ut qui injussu Principis delectum habere, aut exercitum comparare, vel bellum gerere, satagit, crimen Majestatis incurrat, *l.3.ad L.Jul.Majest.* Deinde causæ quæ bellum injustum reddunt, ut sunt nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, imparatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi.*d.c.cùm quid culpatur* : illæ etiam in diffidationibus sese exerunt. Si enim diffidator nocere, vel ulcisci se non velit, cur non judicem adit? si animo foret pacato, potius actionibus, quàm armis experietur, *l.extat.13.quod met.causa.* & suum nō alienū remota dominandi libidine consequi studeret. Benè Diocletianus & Maximianus negantes debitores, ajunt, non oportet armata vi terreri, sed juris remediis ad solutionem urgeri convenit, *l. 9.C. de O.& A.* Et quamvis diffidator ex animi sui voto, ne protinus suum consequi poterit, an æquum erit, propterea bello plures implicari & perire. Priusquam incepit, plus nocuit sibi, quàm sit profuturus victor, exhaurit suas & suorum opes, luctu funestat domus, omnia latronibus & furibus implet. Has ergò reliquias cùm diffidationes post se trahant, meritò eas execramur. Nec ad actum ipsum diffidator sinè ope aliorum potest pervenire, quorum quoque frequenti coitione in prohibitæ conspirationis pœnam incurrit, *tit.15. hîc cap.un.§.conventicula.2.de pace tenenda.Subdit.2.F.53.* Diffidationes ergò Feindsbrieff / Vehde vnd Absag / tanquam scaturigo omnium istorum malorum eruenda est, ut zizania inter lilia, & morbus à radice curandus, *ut loquitur Zasius in l.si mater.§.si filius.n.3. de vulg. & pup.* Quare rectissimè constitutionibus imperii non solùm diffidans & ejus socii, verùm etiam diffidationis literas scribens ultimo supplicio punitur. *const. crim. Caroli V. art.129. Recess.imperii anni 1594.§.* Dergleichen vnd dieweil. Quin & in pœnam fractæ pacis incidit, ita ut processus super diffidatione emissa, obtineri supplicando in Camera possint. Nam quamvis constitutio fractæ pacis vim armatam & violentiam requirat, quæ in diffidatione nec dum est, denn einen Vehdbrieff zu schreiben / ist ja nicht mit gewehrter vnnd gewaltsamer Hand angreiffen / rauben oder brennen. Attamen quia diffidator arma necemque intentat, & omnibus, quibus potest, ad effectum pervenire, moliri solet, sicque præsentissimum armorum terrorem incutit, non secus de ipso ac de perturbatore pacis publicæ

publicæ judicandum erit, *Mindan.1.de process.extrah.c.25.num.3.& seqq.* Quò pertinet id, quod alibi JCtus respondit: sufficit terror armorum, ut videatur dejecisse, *l.quod est.3.§.qui armata.5.de vi & vi arm.* & crimen contrahitur, si nocendi voluntas intervenerit, *l.1.C. ad L.Corn.de sic.* Quod verò dictum ex constitutionibus Imperii, scribentem quoque puniri gladio, mitigatum est Electoris Augusti Constitutione, pœnaque ea in fustigationem versa est. *Const.Elect. 14.part.4.* Quemadmodum & illum, qui quidem literas diffidatorias scripsit & affixit, sed mentem in melius vertit, non gladii, sed pro ratione circumstantiarum, vel fustigationis, vel relegationis pœna plecti.vult Const.Elect.*16.part.4.*

XVII.

Quid verò si quis alicui scribat vel dicat: Ich wil mich an dir rechen/ich wil das eyffern/ich wil dirs gedencken / an hujusmodi verba diffidationem important?

Quod Ant.Hering.*cap.5.num.188.de fidejuss.* negat, quia tàm in bonam, quàm in malam partem accipi possunt, puta vel authoritate judicis, vel manu propria. In dubio autem benignior interpretatio assumi debet, *l.proximè.3.vers.sed in re dubia.de his, quæ in test.del.l.semper in dubiis 96.de R.J.* Atque ita facultates juridicas in ditionibus Saxonum Electoris respondisse anno 1572. refert. Et in eo qui dixit; Ego me vindicabo, scilicet authoritate Judicis, *ita decidit Tiber.Decian.cons.4.vol.3.Hieronym.à Laurentiis.Dec. 89. num.2.* verba quippe æquivoca humaniter intelligenda sunt, *l.igitur 12.§.& generaliter 3.de liber.causa.* Et pro hac sententia allegatur *l.uxor.4.& ibi gl.& Dd.C.de his, qui accus.non possunt.* Verùm ego judicis arbitrio relinquendum censerem, qui variè ex personarum & verborum qualitate statuet: Quid enim si inimicus inimico, cum quo illi nulla controversia judicialis, vel sic læsus, ut eum judicio pulsare possit, hæc verba scribat dicatvè, utique non aliter quàm

quàm de vindicta propria accipi posse videntur. Quid itidem si proferens talis sit, qui minas non jure sed manu exequi solet? Hisce & similibus casibus solertis judicis arbitrium sese exercebit, & justitiæ legibusque convenientem ordinem dabit, *Cabot. dec. 46. nu. 6. & seqq.* Quo tamen casu si minitans ulterius progressus non fuerit, judex capitalem pœnam dictare minimè debebit. Minæ enim à diffidatione differunt. *Wes. in supplem. ad Sneid. §. item lex Julia de vi n. 4. Inst. de publ. jud.* aut quis minatur *ait*, quod tamen privatum aliquem concernit, & tunc verba vel literas talia minitantes habeo pro solis minis, ut si quis alicui minetur gladium, vel pugnam, oder daß er ein Kugel wolle mit ihm wechseln/oder ihn durchschiessen. Diffidationes autem & hostilia, als Vehde und Absag / sonant in publicum, sicut hostes: hostilia non pertinent ad unum aliquem, sed totum populum vel universitatem. *l. hostes 24. de capt. & postl. revers.* Ergò pro diffidationibus eas duco literas, vel diffidationes, quibus pax publica violatur, & unde hostilia toti communitati expectanda sunt, sive ad unum, sive ad totam communitatem dirigatur diffidatio, ut quando minatur aliquis incendium, dato etiam quod uni minetur, aut etiam in unius ejus inimici ædibus signum inflammationis appendat. Nam tales minæ pertinent ad totam communitatem, cui incendium unius domus nocere potest, ut quod proxima quæq; solent arripere, sicut verissimè dicitur:

Tunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Quare cùm in casu nostro, verba emissa unum aliquem saltem concernant, judex ei cautionem de non offendendo imponet, nec antè eum è carcere, quàm eam fidejussoribus (nec enim juratoriæ committi debet, *Dan. Moll. 3. semestr. cap. 29. numer. 10.* præstet, dimitti debet. *Coler. dec. 232. n. 3.* Quod si verò ille, qui ejusmodi emittit minas, ædibus suis vel laribus post minas excedit, & ad loca suspecta se conferat, iisque se conjungat, à quibus receptus, ope & auxilio juvari potest, tunc tanquam diffidator, pacisque publicæ violator capite multatur. P. H. O. *art. 128. Const. Elect. 14. part. 4. Coler. decis. 232.*

XIIX.

Additur insuper in textu nostro: *Probibemus etiam & da-*

mnamus univerſas & ſingulas guerras & lites injuſtas. Ut ergò diffidationes juſtas permittit,ita injuſtas guerras ſeu bella & conflictus prohibet.Et quamvis guerræ appellatione etiam bellum illud,quod Imperatoris nomine publicè geritur,veniat, *Hotto. in Lexico feud. verb.guerra.*attamen hoc loci nihil aliud,quàm aliorum conflictū, quo illi inimicitias privatas injuſtè perſequuntur,ſignificatur. Quatenus igitur guerra injuſtè ſuſcipitur , prohibetur: quod fit, ſi quis vel alios injuſtè invadat,*c.un.hic fin.lex.in uſib.feud.2.F.28.* vel etiam res ſibi ablatas,non in continenti, ſed coacta manu poſtmodum recuperare conetur.Nam judiciorum vigor,jurisque publici tutela, ideo in medio eſt conſtituta,ne ſibiipſi quis permittere valeat ultionem,*l.nullus.14.C.de Judæ.*Et vis fit,quoties id, quod deberi ſibi putatlnon per judicem repoſcit,*d.l.extat.13.quod metus cauſa.* Quod ſi verò in continenti ei,qui res ſuas ablatum venit,reſiſtat, id tantum abeſt,ut contra hunc textum ſit,ut potius defenſionis,quàm guerræ injuſtæ nomen mereatur.Illatam quippe vim vi propulſare licet,*l.1. C.unde vi.*& ſi dejectus fuero,eum qui dejecit,dejicere in continenti licebit,*l.3.§.eum igitur.9.de vi & vi arm.*In continenti autem rurſum dejicere videor,ubi primum poſſum, prinſquam aliis rebus diſtrahar.Aliàs enim vis illatæ,non repulſam , ſed vindictam moliri dicor,*l.2.§.confeſtim.ad SCtum Tertyll.l.continuus actus 147.de V. O. Panorm.& CC.in c.olim.extra de reſt.ſpol.*multò magis ergo reſiſtere poſſum,ſi armata manu in me cum ſuis irruat, *l.3.de J.& J.l.ſcientiam.45.qui eum aliter.4.ad L. Aquil.*

XIX.

Quid verò ſiquidem non violenter irruat , ſed verbis injurioſis ad pugnam , vel duellum provocet,licebitnè mihi comparere?

Quod dicendum videtur. Nam ſi quod belli jus eſt,jus eſſe inter omnes conſtat etiam duelli jus eſſe oportet. Nam ſi centenis millibus pugnare jus eſt, etiam denis millibus, & mille & centenis

tenis ad extremum etiam pugnare jus eſt. Et certè ubi belli & duelli eadem ratio eſt, argumentatio ea obtinet, ſi bellum ſuſceptum juſtè millenis, etiam duobus gerere & finire licet. Exemplum extat 1.Sam.16. de Davide & Goliatho. Idem apud Livium de trigeminis Horatiis & Curiatiis, quorum illi pro Romanis, hi v. Albanis depugnabant. Aliud v. apud Polyd. Virg. *in hiſt. Angl. lib.7.* de Edmundo Anglorum & Canuto Dacorum Regibus, ratio inita eſt, inquit, ut Reges inter ſe ferro contenderent, & qui viciſſet, huic alter victus regni poſſeſſione cederet. Item aliud videre eſt, inter Rhoë Daniæ Regem, & Huntingum Saxoniæ Principem, apud Crantz. *lib.1. cap.4. in Sax.* non erat, ait, decorum detrectare. Nam ignominiæ tum ſupremæ habebatur, ſi evocatus recuſaret. Et aliud apud eundem Crantz. *lib. 1. cap.22. in Dania*, inter Attiſſum Sueciæ, & Eroinum Juciæ Regem, *Hott. cap.45. diſp. feud.* Atqui extra bellum alia eſt ratio duelli: ut enim in illo, minori totius exercitus damno duo litem finiunt. *Vaſq.1. contr.12. num. 1.* ſic in pace ubi judicis copia præſtò eſt, maxima Reip. jactura ad manus deveniretur. Nec quicquam, ut inquit Theodorus Gotthorum Rex, à bellica confuſione pax tranquilla diſtaret, ſi per vim litigia terminarentur, apud Goldaſt. *conſt. Imperii tom.3. p.54.* Hinc eſt, quòd armorum uſum leges civiles privatis adimant, *l.un. C. ut arm. uſus. cap.4. in nov. de armis. N.85.* Ergò & duella per neceſſariam conſequentiam vetant, ſiquidem ſinè armis inſtitui ea nequeunt. Porrò cum aliquid prohibetur, cenſetur etiam omne id prohibitum, per quod eò devenitur, *arg. l. oratio.16. de ſponſ.* Atqui homicidium divino humanoque jure vetitum conſtat. Duellum ergò illicitum, utpote per quod ad homicidium non rarò perveniri ſolet, cenſeri debet. Unde Auguſti Electoris *conſt.9 part.4.* hac ipſa de cauſa, quod ex provocationibus ſæpiſſimè homicidia, & alia mala oriantur, provocans etiamſi nihil damni ſubſecutum ſit, pro conditione perſonæ arbitrio judicis puniri jubetur. Et rectè: Contemnit enim Magiſtratum, cujus ſubſidio, ſi quam injuriam ab adverſario ſibi factam putat, ſe vindicare poſſet. Alium igitur procedendi modum, quam legibus præſcriptum inſtituit: illis n. ad actionem, non ad arma ire jubetur, *l. extat.13. quod metus cauſa.* Atqui dices, hæc in provocato non ita procedere, quia neceſſitas ei quaſi imponitur comparendi

cum verbis injuriosis fama ipsius vitæ æmulatrix, lædi videatur, *l. justa causa.9.pro de man.vind.l.Julian.26.pro si quis omissa causa test.* Verùm inanis hæc hominum non rectè judicantium persuasio est: si enim famam provocati lædi volunt, ut infamiam is contrahat, necesse est. Ea ergò vel juris, vel facti erit. Non illa esse poterit, quia lex ob turpe aliquod commissum eam irrogat, quæ tamen abest, ut eam provocato, si pugnam detrectet, imponat, ut pœnæ impositione ei adversus provocantem præstò sit. Non etiam facti esse poterit, quia homines graves, boni & honesti non infamiâ, sed laude dignum detrectantem censebunt. Nec bonæ existimationis opinio ab inimici criminatione, sed à vitæ actionibus prolatis dependet, queis si provocatus se oneraverit, ne quicquam injuriosâ provocatione alter eas obfuscare poterit. Et si Magistratus authoritate injuriam sibi factam vindicaverit, honoris sui prodigus, vel negligens perhiberi nequit. De omnibus injustitiæ generibus nullum turpius aut majus esse potest, *ait Aijala, lib.1.de jure & off.belli c.3.n.6.* quàm ut imbecillis ac tenuis acceptâ injuriâ sit infamia dignus, nisi cum adversario quantumcunque viribus præstet, armis certaverit, ac vitam periculis objecerit, præsertim cum natura sic comparatum sit, ut qui minimum rationis plurimùm roboris habeant. Quod de Scythis refert Bodin. *in meth. hist. c.5.* Deinde inter delictum & retributionem ejusdem proportio quædam esse debet, nec scuticâ dignum horribili sectare flagello, ait ille. At si provocatus pro verbis reponat verbera, & reali injuria verbalem compensare velit, nulla est proportio. Quare & leges volunt, tum demùm ad propulsationem adversarii deveniri posse, si vim inferat. *l.3.de J.& J.l 12.§.3.quod metus causa.* Si aliter provocatus se tueri non possit. *l.45.§.4.ad L. Aquil.* Potest verò in passu nostro se tueri, vel Magistratus autoritate, vel retorsione, *l. 14. §.si libertus.6.de bon.libert.l.qua omnia.25.§.1.de procur.Geil.2.obs.100.* Verùm cum difficillimum sit, justum dolorem temperare, *l.38.§. Imp.ad L.Jul.de adult.* constituit Elector Augustus *const.10. part.4.* si provocatus vulneraverit provocantem; impunè id ferre, si verò occiderit, non ordinariâ pœnâ, sed arbitrio judicis puniri. Experientia autem & exitus singularium certaminum declaravit, ait Ph. Camerar. *lia.2.c.19.oper.subcisiv.* plerumque accidisse, ut provocans succumbuerit, & pœnas suæ audaciæ dederit.

XX.Pro-

XX.

Prohibet insuper Carolus spolia, rapinas, indebita & insueta telonia, conductus & exactiones pro ipsis conductibus extorqueri consuetas, qua de re non nihil diximus, *cap.9*. Et hic adjungi possunt, quæ integrum ad hoc caput scripsit Guido Papæ. *dec.191*. Ex cujus principio apparet, quòd tempore hujus Bullæ Delphinatus ad Imperium pertinuerit, & *ut ipsus num.3. addit*: si teneamus pro lege hanc constitutionem Imperialem prout facere debemus, cùm omnes nationes sub Imperatore sint, *cap. si quis. 11. q. 1.* etiam natio Franciæ &c. Quod tamen Galli moderni non admittunt, qui ut se exemptos & Imperio minimè subjectos ostendant, non ferunt in ipsorum Comitiis & Parlamentis jus civile nisi petitâ veniâ allegari, quod Hospitalius, cùm ex jure civili in muneribus & honoribus annum cœptum pro completo haberi dixisset, in Senatu Rotomagensi Rege & Regina præsentibus fecit, *Thuan. 34. histor. fol. (mihi) 701*. Romanis legibus majores nostri subditos minimè obligari voluerunt ait. Bodin. *1. de Rep. c. 8*. Quamvis publicè in Academiis eas doceri permiserint. Subditi quippe peregrinorum Imperium tamdiu meminerint, & sperabunt, quamdiu legibus illorum utentur.

AD

CAPUT XIIX.

XXI.

Postquam Archiepiscopus Moguntinus Imperatorem in fata concessisse intellexit, infra mensis spacium obitum ejusdem suis Coëlectoribus intimare, *§. cum autem 19. supr. c. 1.* eosdemque ad electionem novi Regis Romani Electores evocare debet, *§. præterea. 18. d. c. 1.* Quòd quo modo & forma literarum fieri oporteat, *h. c.* exprimitur, quæ ad instar aliarum monitorialium continere debent. 1. Nomen ipsius vocantis sc. Moguntini, ut citatus Elector, à quo vocetur. 2. Nomen item vocatis ipsumné vel alium evocatio concernat, intelligere possit. 3. Causam quoque vocationis, ut super ea se præparare valeat. 4. Terminum itidem, intra quem compa-

rere citatum oporteat, ut ſitnè vel legitimus vel contractior conſtet. 5. Locum denique, ut ſi inſolitus exprimatur, cauſam declinandi eum, Elector prætendere poſſit, quæ ſingula adeò neceſſaria ſunt, ut ſi unum eorum omiſſum neglectumvè reperiatur, invalida evocatio ſit, nec Electorem citatum ad comparendum coarctare poſſit, ſiquidem modus *in h.c.* præſcriptus formam intimationis continet, *d.§.præterea.ibi:& eandem formam decernimus obſervari.d.c.1.* Quæ autem de forma actus ſunt, omitti nequeunt, *Tiber. Decian. reſp.64.n.29.vol.5.Rulandus à Valle.conſ.72.n.54.vol.3.* Hinc quòd Carolus IV. non eſſet Francofurti electus, ejus electionem ut loco non ſolito factam Principes quidam Imperii improbabant, *Cuſpian. in Carolo IV.* Et cùm in electione Maximiliani I. Electores Würtzburgum abſq; cauſæ expreſſione evocati eſſent, terminus circumductus fuit, & Francofurti poſtea additâ causâ vocationis, electio celebrata fuit, *Goldaſt.* in der teutſchen Polit *part.1.n.4.* Johannes quoque Dux & elector Saxoniæ inter alia Moguntini citationem, qua Novembris die 28. ad ipſum perlata ad diem 29. Decembr. Coloniam creandi Regis Romani gratia evocabatur, improbabat, quia trimeſtre ſpacium illud, quod Electoribus hoc capite tribuitur, non continebat, *Sleid.7.de ſtat.relig.* Moguntinus quoq; etſi Electoralis Collegii Decanus ſit, non tamen terminum à jure conſtitutum abbreviare, *l.nemo poteſt.de leg.1.Franc.55.Marcus dec.569.n.2.part.2.* Vel conventum alio in loco indicere poteſt, *cap.quod ſicut.extr. de Elect. Roman.conſ.352.n.19.Cravett.conſ.962.n.3.*

XXII.

Quærenti verò cauſam, cur certa præſcripta intimationis forma & non potius Moguntini arbitrio relicta ſit?

Nulla neceſſaria, ſed probabilis hæc reddi poteſt, quod ante Bullam Moguntinus pro arbitrio eam quidem conceperit, ſicuti apparet ex intimatione ea, quæ facta fuit 1291. Wenceſlao Regi Bohemiæ, quâ is poſt mortem Rudolphi I. Imp. ad novi Regis Rom. Electionem vocatus fuit, *Goldaſt.d.l.d.part.1.n.1.* Ne autem ex diverſitate

tate ſtyli formæque ſuſpicio diverſitatis affectuum ſuboriri valeat, inter Electores,utpote inter quos perpetua unio & æqualitas eſſe debet,*in pr.cap.7.5.ſupr.* Ideò ad conſervationem ejuſdem, & ne à Decano unus præ alio reſpectus deſpectusvè quæri poſſit, æquabilis hæc & erga omnes obſervanda forma intimationis conſtituta dici poteſt,quâ poſt hanc Bullam Moguntinum ſemper uſum fuiſſe,præter alias comprobat tenor citationis, ad Ludovicum Bohemiæ & Ungariæ Regem poſt mortem Maximiliani I. Anno 1519. emiſſæ, *Goldaſt.d.loc.protocol 5.n.2.*

XXIII.

Quòd ſi verò Elector præſcriptâ hâc formâ vocatus non venerit,aut legales nuncios cum literis patentibus ſigillo ſuo majori ſigillatis plenam & liberam ac omnimodam poteſtatem continentibus non miſerit, præſentes ad electionem Rom.Regis nihilominus procedere poſſint,iſque qui emanet,electionis voce & jure juſtâ vice privatur.*ſ.princeps v.21.ſupr.c.1.* Quod & clauſula communicatoria *in fin.hujus c.*addita ſatis ſuperque evincit.

AD

CAPUT XIX.

XXIV.

Cùm conſultum non videatur Electoralis collegii arcana in extranei cognitionem devenire, ſiquidem illa pluribus commiſſa, *ut Nicephor.ait*,multifariam erumpunt, amiſſoque arcanorum nomine fama celebris dicitur. Non permittendum Electoribus videbatur per alios non Coëlectores vicariâ operâ in actu electionis Romanorum Regis uti; quod & diſertè vult juris Canonici Sanctio *in ca.quia propter.§.illud.extr.de elect.* Attamen qui id præter textum indiſtinctè loquentem *in §.Princeps verò.21.cap.1.* obſervantia actuum frequentiâ fulcita comprobavit, non eſt de eo ulterius dubitandum. Si enim legimus Waldemarum Electorem Brandenburgenſem in diſcordiâ Friderici Auſtriaci & Ludovici Bavari nuncium ſuum qui præter mandatum Bavarum, cùm tamen Auſtriacum juſſus erat,elegit, ad electionem miſiſſe. *Crantz. lib.9.*

lib.9.c.8.in Sax. Mortuo quoque Maximiliano I. Ludovicus Bohemiæ Rex legatum ſuum Ladislaum Sternebergum & alios ablegavit. *Sleid.1.de ſtatu Relig.* Cumque Rudolphus II. in fata conceſſiſſet, modernus Elector Brand. Illuſtriſſimus Dn. Joh. Sigiſm. legatum ſuum Adamum Gans in Budlitz ad actum electionis amandavit, *Relator. act. elect. Matth.*

XXV.

Quid ſi Elector abſens duos vel plures nuncios miſerit, annè omnes electioni intereſſe oporteat?

Et hac de re diſputatum fuit in electione Caroli V. Ad quam cùm Ludovicus Rex Bohemiæ ſupra dictum Ladislaum Sternebergum ſupremum Bohemiæ Cancellarium Chriſtophorum de Sterneberg & duos alios Francofurtum miſiſſet, Bohemi omnes & ſinguli ad actum electionis anhelabant, in argumentum trahentes, quòd Bulla noſtra non unum ſed plures ablegare permittat nuncios, *d.§. Princeps verò c.1. & § præſtito c.2. & t.h.n.* Fruſtra verò ablegarentur, ſi de liberationibus intereſſe vetarentur. Nec unus aut duo, ſed omnes & ſinguli Regis ſui perſonam repræſentabant, ſicut forma procuratorii hic expreſſa innuit, quâ omnes & quilibet eorum inſolidum ad tractandum unà cum aliis coëlectoralibus conſtitui jubentur. Verùm hiſce aliiſque non attentis ſolus Bohemiæ Cancellarius admiſſus fuit. Rex quippe unicum ſaltem votum cum haberet, idque tàm per unum, quàm per plures explicari poſſet, ſupervacaneè cæteri admiſſi forent, præſertim cùm numerus ſeptenarius augeri non debeat, & quæ deliberanda incidere poſſint, conjunctim domeſtica opera evolvi fas permiſſumque ſit.

XXVI.

Quâ v. formâ concipiendum ſit mandatum eorum, qui ad Electionem Regis Rom. vice abſentis Electoris amandantur, explicatur latiùs *præſenti capite:* Quam cum Carolus *in §. præterea. 18. cap. 1.* obſervari uſq; quaq; de imperialis poteſtatis plenitudine decernat, nihil

nihil in eâ mutari, addi, detrahivè poterit. Et ideò in jam tacto Ludovici Bohemiæ Regis mandato totidem verbis eadem repetitur. Sigismundus etiam Rex Poloniæ tanquam tutor nondum puberis Regis Bohemiæ suos Legatos Francofurtum cum hâc ipsâ formâ procuratorii ablegavit, sed quia Bohemi suum obtendebant privilegium, quo Ludovico impuberi ut Regi Bohemiæ per Legatos electioni interesse volebant, Poloni exclusi fuerunt, *Goldast.* in der teutschen Polit. *d.lo. protocollo.5.*

AD
CAPUT XX.
XXVII.
Potestnè unus jus electionis, alter verò electoratum habere?

Antè BULLAM hanc quidem in familiis Electorum non rarò observatum fuit, unum jus eligendi, alterum verò Electoratū obtinuisse. Sicuti ejus rei exemplum extat apud Aventin. *lib.7. annal. Bojor. fol.777.* Ubi cum reliquis Electoribus convenère Rudolphus, Ruperti duo, & Stephanus Præfecti Prætorio Rhehi, cùm nondum decretum foret, subjicit, quis nam eorum Comitiis Cæsareis suffragium ferret. Sic in electione discordi Ludovici Bavari & Friderici Austriaci Rudolphus & Ludovicus fratres, Duces Bavariæ, Palatinique Rheni ambo electionis partes sustinuerunt. *Cuspin. de divis. Imp. ob duos competit. facta.* Et Rudolphus Dux Saxoniæ, qui elegisse dicebatur, non potuit: Sed Dux inferioris Saxoniæ Ericus advocandus fuerat, *ait Crantz. lib.9.c.8. in Saxoniâ.* Quare cùm Guntherus Comes Schwartzburgensis Carolo IV. opponeretur, illius electioni Ericus adfuit. Illi autem jus elegendi competebat *inquit Cuspin.* tanquam filio fratris senioris Rudolphi Ducis, Saxoniæ, qui Carolum IV. elegerat. *Crantzius lib.9.c.26. in Saxon.* Et si Crantzio credimus, *lib. 12. c. 4. in Saxon.* Carolus IV. inter hosce diffidentes Principes eam fecit concordiam, ut alternis vicibus utrique ad electionem vocarentur. Sic Guntheri quoque electioni Dux Bavariæ

Rudolphus consciente fratre Ruperto adsensum suum præbuit. *Cuspin. in vitâ Gûnth.* Quin imò in divisione à Ludovico Imperatore cum Rudolphi Electoris filiis initâ adjectum fuit, ut primâ electionem Romanorum Regis Principes à Rudolpho descendentes, alteram verò Principes à Ludovico manantes haberent; Et hæc alteratio & inter ipsos & eorum hæredes perpetuis temporibus duraret. *Avent. lib. 7. annal. Bojor. fol. 753.* Atque hoc pactum, *subjicit ille*, quam ob rem nunc sit antiquatum atque pro obsoleto irritoque habeatur, nisi nostram ignaviam accusare velim, haut scio. Verum oculos in hanc Bullam conjicienti causa sublatæ alterationis non in obscuro erit. Virtute quippe Principatuû jus eligendi competit, quod in tantum ipsis Principatibus connexum & unitum est, ut ab iis nulla ratione separari valeat. Absonum itaque erit alium ab eo, qui Electoratus possessor est, jure electionis gaudere, ut absonum putatur eum Ducem, Principem vel Comitem, qui Ducatum, Principatum aut Comitatum etiam, non habet, perhiberi, *cap. un. Quis dicatur Dux & c. 2 F. 10. Menoch. cons. 701. num. 20.* De quibus dici potest, quod à nostris jactatur: Doctor sinè LL. eques sinè equo, Episcopus sinè Episcopatu, Abbas sinè Præbendâ dicuntur nullatenentes & equites in herba, *Cavalcan. decis. 20. p. 2. n. 26. Knich. c. 3. num. 228. verb. Duc. Sax. de non provoc.* ita ut juxta tenorem textus nostri non sufficiat quem Electore Patre natum esse, nisi etiam justè Electoratus possessionem obtineat; sicuti nec Electoratum aliquandò possedisse, sed ut casu electionis vel alterius actus electoralis emergente, in possessione ejusdem reperiatur necesse est. Ut nesciam an fides adhibenda sit Aventino tradenti, quòd Otto Palatinus Cæsaris Ludovici filius natu minimus cum excluso Meinhardo fratris Ludovici nepote Electoratum Brandeburgicum Carolo IV. vendidit, sibi titulum & munus Electorale reservaverit: vel etiam Cranzii hac in re autoritas tanti facienda sit, ut inter Ericum Ducem & Rudolphum Saxoniæ Electorem Carolum IV. alterationem constituisse credendum sit, utrumque quippe hanc Bullam incurrit, quâ cum ipsius omniumque ordinum consensu varietas electionis tum quidem vigens, sublata sit, ab Imperatoriâ gravitate utique emanâsse id, quodque eam suo exemplo impunè infringi posse, ostendere voluerit, dicendum non est, quin potius cautè & utrumque & possessio-

ſeſſionem vocis ipſiusque Electoratus obſervâſſe argumento eſt Bulla ipſius, quam ſuper controverſiâ hâc ipsâ de re inter diſſidentes Ruperto Seniorem & juniorem Comites Palatinos dedit, & extat apud Freher. *de legit: tut. Elect. lit. C.* In quâ juxta Seniorem litem hoc ipſo fundamento, quod Bulla noſtra ſuppeditat, determinat. Ex quo Magnificus Rupertus Senior ait: *Comes Palatinus Rheni ſacri Roman. Imperii Archidapifer Dux Bavariæ eſt in poſſeſſione vocis & electionis, in electione Romanorum Regis futuri Imperatoris, & etiam in poſſeſſione & Domino ſeu uſu habet Principatum, Palatinatus, Archidapiferiam, terras, Vaſallariæ cum omnibus pertinentiis, ſuper quibus electio & vox Comitatus Palatini Rheni fundata eſt.* Et ſi, *ut Crantzius vult*, alteratio inducta fuit, utique poſt mortem Caroli in electione filii Wenceslai aut Ruperti, vel etiam Sigiſmundi obſervata fuiſſet. De quâ tamen altum ſilentium apud eos, qui hanc rem literis mandârunt. Et quod Poeta: *Omnisq; poteſtas impatiens conſortis erit:* alibi dicit, id non minus de Electoriâ, quàm aliâ uſurpari poſſe indicio ſunt crebræ inter ſanguine etiam conjunctiſſimos de jure vocis & electionis altercationes, putatur quippe inconveniens maximum dignitatem eam, quæ ad unum ſpectat in plures derivari, *c. quod a. 23. q 7 Knich. c. 2. verb. Electoriam 43. de non provoc. jur.* Et regionum atque Principatuum quidẽ non v. dignitatũ diviſio fieri poteſt, *c. majorib. & c. vacante extra de præbend.* Quod Ludovicus Elector Palatinus Ottoni, Stephano & Ludovico bellum ejus filio Rudolpho, niſi contentus Palatini Rheni cognomine titulum Bojariæ nomini ſuo adjungere poſthac deſiſteret, indicentibus reſpondit, bellumq; diſcuſſit. *Avent. lib. 7. Annal. Bojor. fol. 719.* Nec in obſcuro ratio eſt. Si enim ad plures dignitas Electoria derivaretur, ſeptenarius Electorum numerus augeretur. Quam indicârunt Principes in ſcripto eo, quod ad Papam Urbanum IV. emiſerunt; quod & quamvis plena ſit periculis ſacri Rom. Imperii prolixa vacatio, ajunt, attentâ præſertim Alemanniæ conſuetudine patriæ, ſecundùm quam in nonnullis partibus non ſolùm primogeniti, imò & alii tertiogeniti ſeu à latere deſcendentes ſe Comites Palatinos Rheni ſeu Duces Saxoniæ vel Marchiones Brandenburgenſes & Electores S. Imperii vulgariter nominantes, poſſent ex nominatione ejuſmodi ſe poſtea ad vo-

cem Romani Regis Electione jus habere prætendere, numerumque Principum Electorum, qui septenario concludi dedit, multipliare. *Frebr. de legit. tut. Elect. in pr.* Qui tamen omnium ætatum observantiâ tàm strictè observatus fuit, ut aliquando Maximiliano I. Imperatori Electores pertentanti, quò jus suffragii in electione Imperatoris Archiducibus Austriæ communicarent, adsensum suum denegârint. *Hartm. Maur. de coronat. Caroli V. Imp.* Electoratus verò ipse adeò à dignitate separari nequit, siquidem hæc sinè reditibus sese exhibere non valent. Cur quæso, hæc unio tàm præcisè Caroli IV. Bulla præscripta stet? *ait Dionys. Gotofr. lib. 3. in refut. object. 33. de tutelâ Elect. testam.* ut officium Electorale habens reditus quoque tantæ dignitati suppares obtineat, & onera Imperii maxima facilius sustineat, & retrò ut terram Electoralem possidens dignitatem quoque Electoralem habeat, nec officium Electorale sit sinè reditu, nevè reditus Electoralis sit sinè dignitate; vel ut Cato *de Patrisfamiliâs in re rusticâ officio, c. 2.* differens ait: Ita ædifices, ne villa fundum quærat, nevè fundus villam:

— — — — *Alterius sic*
Altera poscit opem res & conjurat amicè.

Quibus consequens est; si primogenitus puta velit secundogenitum in consortium regiminis Electoralis admittere, id ei minimè concedi. Nam præterquam, quòd hæc adsociatio speciem alienationis habeat, *Natta. consil. 288. n. 1. tom. 2.* quæ in feudis inhibita est, *c. un. de probib. alien. feud per Loth. 2. F. 52.* ea etiam jam tactas rationes incurrit, quarum una alteram tàm indissolubili nexu complectitur, ut separari ab invicem non possint, & ideò nec in Electorali dignitate id, quod vulgò jactatur: Curiam ibi esse, ubi Princeps est, *Heig. quæst. 2. n. 31. lib. 1.* admitti possit. Ea quippe si sit extra Electoratum curia Electoralis dici non potest. Quod tamen non sic intelligi debet, si fortè vi aut metu Electoratu dejectus sit, ideò protinus dejectum dignitate Electorali exui, sicuti nec Rudolphus Palatinus Elector Ludovici Imperatoris fratris offensam veritus, quòd suo suffragio Austriacum sublimare voluit, in Angliam fugiens propterea Electoralem perdidit dignitatem, sed mortuus ad filios transmisit, *Rebdorff. Anno 1319.* Nec cùm Balduinus Trevirensis vi Episcopatum

patum

patum Moguntinensem occupavit, propterea Heinricus de Firnberg Electorali dignitate destitutus fuit, sed operâ Pontificii Legati reconciliati hic Elector permansit, *Pantaleon. de Viris illustr. in Ludovico IV. Imp.* Actus enim si sit nullus, ut esse solet per vim metumvè gestus, nulla ratio possessionis haberi debet, *argumento l. un. C. non licere habitat. &c.* Nec improba possessio ullum possidenti præstat titulum, *l. improba. 7. C de acquir. & ret. poss.* Et quando quis per calumniam in possessione eo animo est, ut adversarium vexet, eumque excludat, cogendus is est petenti possessionem restituere, *l. 3. in pr. ff. ut in poss. legat. serv. causa. l. 1. §. per calumniam. ff. si mulier ventr. nomine in poss.* Extra casum verò injustæ dejectionis tituli hujus tàm stricta decisio est, ut nullo modo à possessione dignitas, & contra à dignitate possessio separari queat. Et ideò si vel transactione, cessione, permutatione, sententiâ, aut quo alio modo in vel extra judicium contrarium obtentum sit, hoc totum *ait Carolus*, & omnia ex his & quolibet eorum sequentia, eo ipso viribus non subsistant.

AD

CAPUT XXI.

XXIIX.

Ut inter Moguntinensem, Coloniensem nec non Trivirensem Archiepiscopos S. Imperii Principes Electores omnium litium & suspicionum mala, quæ de prioritate sessionum in Curiis Imperialibus & regalibus suboriri valeant, imposterum amputentur, constituit jam antea *in cap. 3.* certum inter ipsos sessionis ordinem: hoc verò capite processionis certum modum definit inter eosdem. Quapropter, inquit, perpetuò Imperiali hoc edicto decernimus, ut quotiescunque in congregatione Imperatoris, seu Regis Rom. & Principum prædictorum Imperatore vel Rege ipso deambulante, & insignia Imperialia ante Imperatorem deferre contigerit, Archiepiscopus Trivirensis in directâ diametrali lineâ antè Imperatorem vel Regem eat. Germanica versio habet: Daß als denn der Ertzbischoff von Trier in rechter starcker Linien vor dem Keyser oder

Königs vnd zwischen jhnen in der Mitten die allein gehen sollen / welche die Kayserliche oder Königliche Insignia vnd Kleinot tragen werden. Quod si verò Imperator in publicum absque insigniis prodierit, tunc nemo inter Archiepiscopum & Imperatorem ibit, ille verò præfato modo præcedet: Moguntinensis verò & Coloniensis juxta distinctionem Provinciarum, *cap.3.* traditam, suum itionis ordinem habebunt. Si enim Curiam in Germaniâ celebrari contigerit, Moguntinus provincia Coloniensi saltem exceptâ à dextris Imperatoris, Coloniensis verò à sinistris ibit. In suis verò diœcesi & provincia & extra suam provinciam in Italiâ & Galliâ Coloniensis dextrum Imperatoris latus, Moguntinus verò sinistrum occupabit.

AD

CAPUT XXII.

XXX.

Ut capite præcedenti inter Ecclesiasticos: ita hoc seculares Electores inter, ordo procedendi constituitur *Statuimus*, inquit Imperator, *ut quotiescunq; in celebratione Curiæ Imperialis Principes Electores cum Imperatore vel Rege Rom. in quibuscunq; actibus vel solennitatibus processionaliter ambulare contigerit, & imperialia vel regalia debuerint insignia deportari, Dux Saxoniæ Imperialem seu regalem Ensem deferens Imperatorem seu Regem immediatè præcedet, & inter illum Archiepiscopum Trivirensem medius habebitur; Comes verò Palatinus pomum Imperiale portans, à latere dextro; & Marchio Brandenburgensis sceptrum deferens à sinistro latere Ducis Saxoniæ linialiter gradientur. Rex autem Bohemiæ Imperatorem seu Regem ipsum immediatè nullo interveniente sequetur.* Et hunc procedendi modum jugiter observatum fuisse indicant variæ de Imperatorum coronationibus emissæ relationes. Quod verò Elector Saxoniæ gladium præfert, id veterum Impp. imitatione receptum est, quibus Præfectus Prætorio gladium præferre in signum meri imperii solebat, *P.Fab.lib.1.semestr.cap.3.* De quo sic Gothofridus Viterbiensis *part.19.in Chronicis*;

Judicii

Judicii signum gladius monstrare videtur,
Quo malefactorum feritas cessare jubetur,
Ut latro frustretur, Rex tenet arma secus,
Præcipitur gladius vibratus semper haberi
Puniat ut subitò potuit quod culpa mereri.
Nam si tardus erit, pax viduata perit.
Jura sibi soli Deus edere, condere patrat,
Ut gladio laqueoq; suo mala pressa quiescant,
Si mala non peemeret, Principis umbra foret.
Sic sibi regna Deus subjecit jurgia legum
Quod valet humano lucrari sanguine cœlum
Munera grata Deo dat pereunte reo.
Ense quiescenti compescere non valet orbem
Sanguinis humani torrente potest moderari,
Qui regnare volet, sanguine jura colet.

Videmus gladium evaginatum, *inquit Philipp. Camer. lib. 1. ca. 76. operar. succis.* qui in solennitatibus Imperatori & Regib. præfertur, indicare justitiã, ut terror sontibus injiciatur & insontes sciant se sub protectione summi Magistratus ab injuriâ & vi tutos esse. Hoc quoque olim apud Mansilienses usitatum fuisse; testatur Valerius Maximus *lib. 2. c. 6.* Cæterum, *ait*, à conditâ urbe est gladius ibi, quo noxii jugulantur, rubigine quidem exosus & vix sufficiens ministerio: sed index in minimis quoq; rebus omnia antiquæ cõsuetudinis momenta servanda. Carolo M. ante ejus tribunal Spata nuda more Imperiali præferebatur, *teste Turpino in vitâ Caroli c. 20.* De quâ sic Gregor. Turonensis *lib. 6. c. 36. Richildis compendium ad Ludovicũ veniens attulit ei præceptũ, per quod Pater suus illi regnum antè mortẽ suam tradiderat, & Spatam, quæ vocatur S. Petri. & c. 39. Coronam, ac Spatam ac reliquum regium apparatũ filio suo Ludovico misit.* Basanus Sicambrorum Rex quocunque ibat, gladium & funem sibi in signum justitiæ præferri voluit. *Tritbem Franc. lib. 1.* Sanè apud Alanos gladius res tam religiosa fuit, ut eum tanquam numen venerati sint. Ita enim scribit Ammianus Marcellinus; *nec templum apud*

apud eos visitur, aut delubrum, ne tugurium quidem culmo tectum cerni usquam potest, sed gladius barbatico ritu humi figitur nudus, eumq; ut Martem regionum, quas circumeunt, præsulem verecundius colunt Camerar. d. to. Pomum verò quod Comes Palatinus Imperatori præfert, denotare videtur universale ejus Imperium, quale quidem non habet, sed temporibus præteritis & præsertim inventi hujus Justinianus Imperator obtinuit. Huic enim initium pomi seu globi hujus tribuitur. Nam ut *Procopius scribit :* In Palatio Constantinopolitano erecta fuit statua Justiniani, quæ Sphæram sive orbem, nostri malum dicunt, gestabat cum cruce infixa, ut significaretur, auspiciis divinis Dominum esse mundi, *P. Gregor. Thol. libr. 6. c. 13. n. 14. de Republ. v. Freher. ad P. de Andl. fol. 188.* Quod synecdochicè toto scil. pro parte majore sumto intelligendum est, sicuti id quod apud Lucam Evangelistam c. 2. legitur: Exiit edictum à Cæsare, ut describeretur universus orbis, hoc est, census haberetur de his omnibus, qui in orbis iis partibus, quæ Cæsari Romano parebant, degebant. Nam quod ex illo loco Br. *in l. hostes. ff. de capt. & postl.* colligat esse hæreticum, qui dicit, quod Imperator non sit Dominus universi orbis, ridiculum est, quia nec Augustus, cujus Imperium quidem omnium latissimum fuit, totum tenuit orbem, non Africam, non Sardiniam adiit, *Sueton. in vita ejus.* Et Quintilii Vari, duce Arminio clades, Germanos ejus imperium non recepisse testatur, *de quâ Vellejus Paterculus.* Qui hodiè quosdam Regum, *ait Carolus Pascalius lib. 10. c. 7.* coronarum, aut etiam omnes audent constituere in ditione Imperii pugnant pro larvis: orbis tamen Romani, hoc est, degentium in Imperio Romano, Imperator etiamnum rectè Dominus dicitur, *l. deprecatio. 9. ff. ad L. Rhodiam.* ejusque figuram pomum illud repræsentat, de quo sic Godofredus Viterbiensis *d. part. 19.*

Aureus ille globus pomum vel palla vocatur,
Unde figuratum mundum gestare putatur,
Quando coronatur, palla ferenda datur,
Significat mundum formâ perhibere rotundum,
Intus habet plenum terrestri pondere fundum,
Quem tenet arcanum palla ferenda manu.

Hæc

Hæc fuit ex terris mundi collecta quaternis,
Ut foret ingenii manibus gestanda superbis,
Hac tu'it imperium Julius arte suum.
Taliter hunc nondum gestat manus una rotundum,
Regius includit sic omnia climata pugnus,
Taliter omne quod est, regia pompa tenet.

Et *Gabr.Rudolph.lib.1.Histor.Francor. c.ult.* venerabili Papæ Benedicto sedis Apostolicæ visum est, *ait*, insigne imperiale quod prius diversis speciebus figuratum fuerat, fieri admodum intellectuali specie, idque præcepit fabricari quasi aureum pomum, atque circumdari per quadrum preciosissimis quibusque gemmis, ac desuper auream crucem inseri. Erat autem instar hujus mundanæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate consistere perhibetur, ut siquidem illud respiceret Princeps terreni Imperii foret ei documentum non aliter debere imperare vel militare in mundo, quàm ut dignus haberetur vexillo vivificæ crucis tueri in ipso etiam, diversarum gemmarum decoramine videret Imperii culmen plurimarum speciebus virutum exornari oportere; Quod ipsum de cruce ita expressit Viterbiensis *d.part.19.*

Crux super est pomo cœli super insita domo,
Suscipe corde bono Rex quæ tibi mystica promo,
Teq; sedente throno prospice quid sit homo,
Crux & palla simul pariter connexa tenentur,
Hæc magis illa minus per te referenda videntur,
Hæc ferit, hæc sanat, hæc perit, illa manet,
Si mundana cupis pugno concludere regna,
Significata crucis tibi sint reverenter habenda,
Servulus esto Dei, qui tua sceptra regit.

Quid denique id, quod Elector Brandenburgensis sceptrum præfert, designet, indicat idem Viterbiensis *part.d.19.*

In manibus Regum dum regia sceptra tenentur,
Tunc quasi per virgam compescere cuncta videntur,
Pœnaq; præstatur, qua ratione datur.

Usibus innumeris & legibus undiq; fultus,
Instruit hic homines dignos prætendere cultus,
Regia virga tamen quo moderentur habet.
Plura solent homines, per climata fingere jura,
Cæsar sceptra tenens novit distinguere plura;
Imperat & virgâ jura valere sua.
Vita genus lingua variè variant regiones,
Una nè quid cunctos distinguere regula mores,
Unde per imperium plurima jura manent,
Lex superest legi Rex Regi pluribus unus,
Par superest partibus, mos moribus, usibus usus.
Imperat hic unus cujus in orbe sumus.
Lex Romana locum super omnia jura meretur,
Nec tamen evacuat, quod in his rationis habetur,
Vult magis atq; minus Cæsar habere simul.

Antiquissimum apud omnes gentes *ait Freberus c. 8. ad lib. 2. Petr. de Andlo,* regiæ dignitatis signum sceptrum. Antiquis temporibus *inquit Justinus lib. 41.* reges hastas pro diademate habebant, quas Græci σκῆπτρα dixêre. Nam & ab origine rerum pro Diis immortalibus veteres hastas coluêre, ob cujus religionis memoriam adhuc Deorum simulacris hastæ adduntur. Quare Reges renunciati sceptrum capiunt, *ut est apud Athena. lib. 2.* de quo memoriæ proditum est, *ait Alexand. ab Alex. lib. 1. c. 28. genial. dier.* externorum Regum sceptra in summo ciconiam, in imò hippopotamum habuisse effictum, quo Regem justitiæ obsequi oportere, atque feritatem ac libidines, ne ira desæviat, emollire significabant. Quod ciconia summæ pietatis, hippopotamus violentissimum animal foret. Lydiæ verò Reges sceptri loco secures habuisse feruntur. Romanis priscis Regibus lituus cuspide incurvâ, qui etiam virga auguralis erat, sceptri loco est habitus, Æthyopum & Ægyptiorum Reges sceptrum in aratri formam habuêre, pileos oblongos gestantes, circa finem umbilicum habentes, serpentibus, quas aspidas vocant, circum-

circumvolutum, monumentum insigne, eos, qui contra Regem insurgere auderent, mortiferis morsib. subesse, *ait Diodor. Siculus lib. 3. cap. 1.* Galliæ Reges sceptro suo lilium impositum habent, vel manum duobus cum pollice digitis erectis fidei signum exhibentem. Quod sceptrum cum inter cætera ornamenta Regalia Carolo IV. Imp. per Gallias eunti honoris ergò apud S. Dionysium monstraretur, diceretur que eam manum ex unicorni sculptam esse, subjecit ipse, non potuisse ex aptiori materia manum justitiæ affingi, quæ pura omnisque veneni exsors esse debeat. *Claud. Faulchet. in annal. Gallic. Anni 1337.* Quorum summa brevissimis, Fabric. 2. *orig. Saxon.* expressit. Etenim pomum aureum, *ait*, Palatinus gestat, ensem justitiæ vindicem Saxo, sceptrum gubernationis signum Brandeburgius. Atque hæc insignia & si quæ alia, quæ aptantur personæ Imperatoris piis in locis, in quibus is multitudini se suâ majestate circumfusus adspiciendum præbet, inter sacra recenset Carolus Pascalius *c. 7. lib. 10. coronat.* Sed præter hæc augustalis dignitatis propria ornamenta, plura sunt Clinodia & reliquiæ, quæ ex parte numerantur in vita Henrici I. Imperatoris ab Anonymo, cum ait: Filium ejus Henricum Misso Legato mandasse, ut absque morâ sibi crucem, coronam & lanceam, cæteraque regalia transmitteret, quorum etiam meminit Godofred. Viterbiens. *d part. 9. in pr.*

Ut Scriptura donat crux, ensis, sceptra corona
Lancea, palla, bona nobis insignia donant.

Et Cuspin. *in vitâ Ottonis IV.* Spirensis autem Antistes, *ait*, habens in sua potestate coronam, crucem & lanceam insignia regalia tanquam Imperialis aulæ Cancellarius, penitus reddere recusavit, nisi in officio confirmaretur. Sed hodiè Clinodia hæc apud civitatem Norinbergensem adservantur. Quæ cum in collegiali Electorum conventu Anno 1611. ibidem celebrato, Electoribus & aliis ostensa fuêre, tàm superstitiosè Episcopus Viennensis illa veneratus fuit, Daß er nach gehaltener Andacht / zu den sieben Herren des Raths gesagt: Wenn ihn die Nürnberger ein gros gülden Gefeß geschencket hetten / solte es ihm nicht so lieb seyn / als die

Anschawung der erzeigten Heiligthumb: *Goldast.part.8.in Polit. Germ.* Ubi quænam Clinodia & reliquiæ etiamnum Norinbergæ adservantur, enumerantur.

AD

CAPUT XXIII.

XXX.

Post ordinem procedendi modus *hoc tit.* explicatur, qui præsente Imperatore vel Rege Romanorum in confessione, quæ ante missam dici consuevit, ac in porrectione Evangelii osculandi & pace pòst agnus Dei portanda, nec non in benedictionibus post finita missarum solennia, ac ante mensam faciendis, & in gratiis post cibum acceptum agendis observari debet, ut scilicet præsentibus Archiepiscopis Moguntinensi, Trivirensi & Coloniensi vel duobus ex iis, primo die suprà dicta omnia & singula ab illo, qui primo, die verò altero ab illo, qui deinceps, tertio autem die ab illo, qui ultimo consecratus est, peragantur. Nam etsi per electionem rectè illi Electores & Principes Imperii perhiberi possint; attamen in peractione superiorum, ut Archiepiscopi considerantur, quæ Archiepiscopalis dignitas electione saltem initiatur, consecratione verò consumatur, *c.licet.extr.de translat.Episc.* Unde licet electus sit confirmatus, non tamen ante consecrationem Episcopus, sed electus saltem nominatur, *c.tua extr.de his quæ fiunt à Prælat.* nec gaudet privilegiis Episcoporum, *Fr.Marcus decis.1392.n.4. tom. 1.* Duo enim considerantur in dignitate Episcopali jurisdictio & ordo, quorum illa quidem per electionem & confirmationem; hic verò per consecrationem confertur, *c.transmissam extr.de elect.* Ordinis verò jam ante tacta sunt, *Cc.ad d.c.transmissam.Joach.Stephan.lib.4 c.12 n.37.de jurisdict.* Quapropter cùm in Coronatione Caroli V. Imperatoris controversia super benedictione mensæ inter Trivirensem & Coloniensem Archiepiscopos existeret: Huic enim antiquæ annotationes, ut coronatori illam primo die tribuebant, tamen Trivirensis sibi competere hac de causa contendebat, quod Senior in consecratione.

tione foret? Et idò Archiepiſcopus Colonienſis, *ait Hartm. Maurus de Coron. Caroli V.* ob ea, quæ in aureâ Bullâ continentur, cujus autoritas in dubiis meritò ſequenda æquo animo ceſſit. Quæ vult, quod ſe invicem honore condigno & decenti præveniant, & exemplum præbeant aliis invicem honorandi, is quem circa præmiſſa ordo tetigerit, adhæc alterum convenientia & caritativa inclinatione inviter, & tunc demum ad præmiſſa procedat.

AD

CAPUT XXIV.

XXXI.

Præcedentes ſanctiones, in quarum explicatione hactenus verſati ſumus, Nurinbergi latæ fuêre, ſicuti ex præfatione hujus Bullæ adparet: Hæc verò ut & ſequentes, ſicuti hujus capitis inſcriptio indicat, in Comitiis Metenſium Anno 1356. in die Natalis Dominici promulgatæ ſunt. Quod notandum propter eos, quorum aliqui integram hanc Bullam Nurinbergi, *Thuan. lib. 2. Hiſtor. Bucholtz in indice Chronologico Anno 1356.* nonnulli Metis evulgatam eſſe putant. *Peucer. lib. 5. Chron. in Carolo IV.*

XXXII.

In eos, qui cum aliis in necem Electorum conſpirarunt, licet effectu ſceleris potiti non fuerint, tanquam reos majeſtatis pœna gladii & bonorum confiſcatio conſtituitur, quod non ideò receptũ putari debet, quaſi majeſtas ipſis communicata ſit, hæc quippe ut propria & unica Imperatoris diviſionem nullam recipit, ſed quia pars corporis Imperatoris ſunt, ut textus habet: Qua ratione etiam contra eos, qui Imperatoris offendunt Conſiliarios eadem pœna conſtituitur, *in l. quisquis. 5. C. ad L. Jul. Maj.* Quæ cum verbotenus in hunc locum tranſlata & multorum commentariis illuſtrata ſit, ex iis, qui volet, ad tituli hujus dilucidationem plura petere poterit.

AD

CAPUT XXV:

XXXIII.

Possuntnè Electoratus dividi?

Id quidem per inductionem à minori ad majus sumtum probat Carolus, si cæteros, *ait*, Principatus congruit in suâ integritate servari, multò magis in eadem Electoratus permanere debent. Ratio consequentiæ est, quia majus in hisce propter multiplicationem votorum, quàm in illis est periculum, Principatus autem & Ducatus, Marchionatus, Comitatus, aliaque feuda dignitatem annexam habentia dividi nequeunt, *c. imperialem §. præterea Ducatus. de prohibit. alien. Feud. per Frider. 2. F. 55.*

Marchia seu Comitis, possessio sive Ducatus,
Integra permaneant, Feudalia cætera multis
Participanda patent.

Ait Günther. *lib. 8. in Ligur.* Quod jus antiquissimum viguisse inter Germanos, autor est Tacitus *de eorum moribus*, qui ad primogenitos omnia prædia juraque prædiatoria pertinuisse, cæteros pecuniam accepisse, scribit. Dividi ergo inter eos non potuerunt. Successio enim unius alios excludit, omnemque divisionem respuit, *Natta. consil. 289. num. 1. tom. 2.* idque propterea, ut dignitas, familiarum & splendor conservaretur, constitutum est. Per divisionem enim provinciis in minores partes redactis generis claritati multum detrahitur. P. *Gregor. Tholos. 7. ca. 5. de Rep. num. 2.* Unde Principatus corpus perhibetur esse Sphæricum, quod si divideretur, destructionem induceret, *Lancell. lib. 1. c. 2. §. 1. quæst. 1. num. 15. in templ. omnium judic.* A quo etsi per Germaniæ consuetudinem recessum sit: *Wesemb. consf. 41. nu. 161. Gail. lib. 2. obs. 153. num. 2. Hartm. Hart. lib. 2. obs. 20.* è re tamen Imperii ejusque dignitate magis foret, *ait Gail. d. loc.* adeoque ad conservationem magnarum familiarum & Gentilitatis

litatis splendorem pertineret, si hujusmodi feuda indivisa manerent, jusque primogenituræ locum obtineret, aliis v. consortibus aliunde ex fructibus & proventibus bonorum feudalium aut propriorum prospiceretur. Et paulò pòst, subjicit: Imperio quoque divisio damnosa est. Variatur enim Imperii matricula, aut saltem pensitationes aut exactiones collectarum incertæ redduntur toties mutatis rerum possessoribus, ita ut præter nudum dignitatis titulum & nomen vix aliquid reliquum sit. Et antè ipsum *Alb. Crantz. lib.8.cap.11.in Saxon.* Si principatus, *inquit*, per Germaniam indivisi manerent, longè formidabilior esset virtus ejus, quàm sit modò, cùm sit multis partibus dimembrata. Quanquam hæc consuetudo non destituatur ratione & exemplis veterum. Inconveniens quippe videtur Principem absque Principatu, Ducem absq; Ducatu, Comitem absque Comitatu nominari. Nam ut ex placitis Feudalibus, qui Principatum habet, Princeps est, qui Marchiam Marchio, qui Comitatum possidet, Comes est, *c.un.in pr.quis dicatur Dux Marchio & c.2.F.10.* & sic à contrario nec Princeps nec Marchio aut Comes sinè territoriis perhibendus erit. Verùm cum Principes Germani etiam unius plures filii omnes nomine Principis coruscent, utiq; non iniquum fuerit eos Principatus portione honorari. Deinde ut is qui Princeps natus & educatus est post mortem Patris instar privati degat, absonum videtur, quod fit non adsignatâ condignâ portione, & ut par pari subsit, maximè à viris Principibus improbatur, *l.4.& l.6.de recept.arb.* Quæ ultima conclusio Conradini Sueviæ Principis fuit. Nam ut Carolus Andegavensis hunc bello captum mortis damnaverat, eiq; sententia à Notario legeretur, in eum invectus: Impure Leno, *ait*, scelerate furcifer, tunè ausus es morte condemnare filium Regis? an nescis pari in partem Imperium jurisdictionemque non esse, *Nicol. Cisner. in orat. de Conradino Scip. Amiratus lib.17.dissert.polit.7.discurs. Crus.lib.2.part.3.c.19.annal. Suevic.* Estq; decus Imperii, ut in duobus Ducatibus duo sint Duces, quod Conradinus III. Imp. in contentione, quæ inter Albertum Marchionem, & Henricum de Bavariâ extitit, censuit, *Crantz. lib. 6.cap 8.in Sax.* Exempla quod attinet, constat ex vita Caroli M. ab Engihardo conscripta, quod tàm frater ejus Carolamannus, quàm Carolus ipse portionem Regni paterni consecutus sit. Regni verò
non

non tàm facilis, quàm Ducatus est divisio, una quippe corona, ut dici solet, duobus capitibus non convenit, *Hotom. in Disp. Feud. c. 28.* Unde Bodinus *c. 5. de Rep.* ait, ut Corona sic regnum si pluribus dividatur vim penitus ac nomen amittit. Sic Ottone Palatino Rheni I. ex Bojariæ Ducibus mortuo filii ejus Ludovicus & Henricus post decennium, quo in solidum ditiones tenuerant, Anno 1256. easdem diviserunt, *Matthæus Marschallus de Papenheim in Chronicis August. part. 2. anno 1255.* Imperator quoque Ludovicus Bavarus cum fratris sui Ludolphi Electoris filiis Palatinatum & Bavariam divisit, *Rebdorff. Anno 1322.* Quod in tantum temporibus iis invaluit, ut Henricus Dux Bojorum Anno 1290. decedens inter cætera testamento suo caverit, ne filiis terras dividere liceret, quæ prohibitio, si divisio non usitata fuisset, addita inutiliter fuisset. *Avent. Annal. Bojor. lib. 7. fol. 718. Knich. c. 3. verb. Ducum nu. 201. & seqq. de non provoc. jur.* Nec Crantzii & Gailii rationes tanti ponderis sunt, ut consuetudinem hanc tot annorum seculis comprobatam infringere valeant, per hanc quippe pax & concordia fratrum alitur, inter quos ut pares dignitate inæqualitas tanta, quam ii statuunt, non potest non simultates secum trahere, cujus subducendæ potior ratio (nec enim ignotum est, quàm miserè bella Germaniam, hac de re excitata, adflixêre) quàm splendoris familiæ de dignitate haberi debet. Decet regalis apicis curam, *ait Cassioder.* generalitatis custodire concordiam, quæ ad laudem regnantis trahitur, si ab hominibus pax ametur. Quid enim est quod Principem melius prædicet quàm quietus populus, concors senatus? in tribus beneplacitum est Spiritui meo, *ait Sapiens*, quæ sunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, amor proximorum, & vir & uxor sibi benè consentientes, & Horat *lib. 1. Epist. 3.*

— — — — *At vos*
Seu calidus sanguis seu rerum inscitia vexat,
Indomitâ cervice feros ubicunq; locorum
Vivitis, indigni fraternum rumpere fœdus.

Quod insuper divisionem propter variationem matriculæ & incertitudinem pensitationum Imperio damnosam Gailius existimet, nihil id consuetudinem vigentem adficere poterit, quia

quia possessor domus vel castri Gentilitii pensitationes seu collectas solus solvit pro ratâ tamen à cohæredibus suis reposcendas, *Recess. Imperii Anno 1576. Denais rubr. de contribut. Turcicâ §. 8. & 9. in compend. juris Camer.* Divisio verò hæc etiam sinè Principis summi adsensu recipitur; Nam illo in eam consentiente etiam de jure communi subsistit, *Curtius part. 4. n. 122. in 4. fallen. de Feud. Gail. dict. lo. n. 2.* Nunquam tamen consuetudo hæc ad regni divisionem prorecta fuit. Monarchia enim individua sit oportet, quæ si dividatur, Monarchia, etiam desinit, ea est quippe unitatis inviolabilis natura, ut omnem omninò partitionem refugiat, *Bodin. lib. 6. c. 5. de Rep.* ita quidem ut duobus propositis incommodis præstet duo regna duobus Regibus, quàm unum pluribus tribui, ut Jacobus Rex Arragonum Petro primogenito Regnum Arragoniæ, Juniori regnum Baleanum dedit, sed hunc carceris squalore primogenitus necavit: quantò minùs ejusdem Imperii consortem tulisset? Eodem errore peccavit Boleslaus II. Rex Poloniæ, qui quatuor liberis regnum ex æquo divisit, quinto ne possessionem quidem legavit, inde crudelissima bella secuta sunt, & paritatis ratione in Electoratu, cujus non minor quàm Regni dignitas est, divisio nunquam recepta fuit, *Geil. d. obs. num. 2. Hart. Hart. d. obs. 20.* ita ut in hoc usque tempus Bullæ hujus constitutio continua successionum serie inviolabiliter observata sit. Nec enim unquam plures quàm VII. Electores fuisse observatum, quorum tamen multiplicationem divisio Electoratuum induceret. Ut enim possessor Electoratus non sit Elector, inconveniens videtur. *cap. 20. hic.* Quare ut & reliquis fratribus spes omnis Electoralis dignitatis præcideretur; jus ejusdem jam antea Carolus noster *tit. 7.* in primogeniturâ fundavit, cujus qualitas cùm non nisi uni competere possit, (neque enim inquit Triphonius JCtus *in l. Arescusa 15 ff. de stat. hom.* natura permittit simul uno impetu duos infantes de utero matris excedere, ut de ordine nascentium non adpareat.) consequens quoque est non nisi uni eidemque primogenito Electoratum deberi. Quo pertinet decisio Andr. de Isern. *in dict. cap. un. §. præterea Ducatus, in princ.* quod quando in feudo vivitur jure Francorum, id est, quod primogenitus tantum succedit, si fratres feudum dividant, ita ut secundogenitus sit Dominus medietatis, hæc divisio tanquam alienatio & jure prohiben-

 te inita

te inita non valebit, *l.non dubium 5. C.de LL.* quod claris verbis Carolus in Electoratu, *tit.20.* constituit, quo non solùm divisionem, sed omnem omninò distractionem prohibuit, ita ut nullus alius jus & vocem in electione Regis Roman. quàm Electoratus possessor habere debeat.

XXXIV.

Atqui dices, si primogenitus forsitan mente captus, fatuus aut alterius defectus, ob quem administrationi praeesse nequeat, existat, an locum faciet secundogenito, vel si is non fuerit tertio vel ulteriore loco fratri nato?

Et quamvis P.Greg.Tholos. *lib.7.c.8.de Rep.* non ideò primogenitum privandum esse statuat, quod nec Lysander in Veneris suffragatores decernere desiderans, ut imposterum non proximior, sed magis idoneus in regno succederet, *Plutarch. in Lysandro.* nec enim quod à natura provenit, cuique fraudi esse debet, *argumento l.maximum vitium.14.C.de lib.praterit.l.pen.C.de leg.hared.* Attamen contrarium hoc in loco statuitur, & rectè, quia lex praeferens primogenitum secundogenito boni publici gratiâ inventa est, ne scil. divisione Electoratus minuatur, meliusque ab uno administretur & votorum multiplicatio inducatur. Non ergò contra id interpretari debet, *l.quod favore C.de LL.* Fieret autem hoc, si Electoratum ab inhabili obtineri posse admitteremus. Nam *ut inquit Justinian. l.f. C. de legit.tut.* incivile est eos, qui alieno auxilio in rebus administrandis egere noscuntur, & ab aliis reguntur, aliorum curam subire, *& Ambros.lib.1.de offic.* An putabo idoneum, *ait*, qui mihi det consilium, qui non dat sibi & mihi cum vacare credam, qui non vacat sibi, quis utilem alienae causae judicet, quem videt inutilem esse suae. Et hanc sententiam tuentur Bl. *in cap.un.in pr.num.12.de success.feud.Gometz. ad l.40.Tauri.num.69.Boër.decis.204.num34.Molin.c.13.n.27.lib.1.de Hispanor. primogen.*

Quid

XXXV.

Quid verò si Elector post susceptam Electuræ dignitatem in fatuitatem incidat?

Cum Carolus VI. Rex Galliæ amens efficeretur, Regno privatus non fuit; sed eo regnante patruis commissa fuit regni administratio. *Paul. Æmil. lib. 10. histor. Franc.* quod in nostro casu sequendum. Nam cùm semel in eo radicatum sit, jus primogenituræ extingui propter casum supervenientē non debeat, *arg. 2. ff. de itin. actuq; priv. l. donationes in concubin. 31. ff. de donat.* Ad pristinam enim mentem redire potest *Tiraq. q. 23. n. 7. de primogen. Molin. d. c 13. n. 30.* Si verò furiosus vel fatuus fratres non habuerit: tunc consanguineus ejusdem qui paterno stipiti in descendenti rectâ lineâ proximior est, succedet. Excludet ergò eum, qui quidem ejusdem familiæ est, non tamen à paterno stipite, h. e. eo, qui primus Electoratum adquisivit, descendit, quâ de successionis materia cum pluribus, *ad tit. 7.* actum sit, non ulterius hîc insistam.

XXXVI.

Ne verò propter primogenituræ jus Electoris fratres egere cogantur, voluit Carolus, si forsan alia bona, unde se juxta statum suum exhibere non valeant, desint, ex reditibus Electoratus alimenta aliaque necessaria ipsis subministrari. Nam quamvis Electoratus individuus sit, nec legitima ex eo detrahatur, *Guido Papæ decis. 476. Tiraquell. quæst. 5. de jure primogen.* reditus tamen dividui sunt, ex quibus portio pecuniaria invicem legitimæ solvenda erit, *Molin. c. 11. num. 29. & seq. lib. 1. de Hispanor. primogen. P. Greg Tholos. d. cap. 8. n. 3. lib. 7. de Republ.*

AD
CAPUT XXVI.

XXXVII.

Imperatoria Majestas in ostensionem, altæ suæ magnificentiæ, *ait Petr. de Andlo lib. 2. c. 15. de Rom. Imp.* nonnunquam cum Principibus ac Proceribus Imperii solennem consuevit celebrare Curiam, talia concilia, qui conventus nuncupantur, *inquit Nicol. Cusanus*

nus lib.3. c. 25. de concord. Cathol. omni anno aut bis aut semel lego antiquos Reges pro bono publico celebrâsse in diversis Imperii civitatibus, *& paulò post.* Nulla unquam ordinatio melior & utilior universæ profuit Ecclesiæ, non hominibus tantùm sub Imperio degentibus confluebant Romani Pontificis Legati, pro causis Ecclesiæ, aliorum Regum pro sui regni arduis negotiis instantibus, & salutari consilio cunctis necessitatibus publicis succurrebatur, credo nullam rem regimini publico plus utilitatis adferre posse, quàm introductionem illius sanctæ observationis. Causas quoque in iis conventibus tractari solitas, ostendit Günth. *in Ligur. lib. 8.*

Inde per Italicas famosa potentibus urbes
Quia Runcaliis certo mandatur habenda
Tempore, quo pacis leges & publica jura,
Aut ea quæ fiscirationibus applicat usus,
Omnibus in medium strictè servanda ferantur.

Die verò, quo solennis hujusmodi Curia celebrari debet, constituit Carolus, ut Principes Electores circa horam I. ad Palatium Imperiale seu Regale veniant, & Imperatorem seu Regem Imperialibus insigniis indutum ad locum sessionis aptatæ, ordine eo, qui præscriptus est *c. 21. & 22.* comitentur. Archicancellarius v. in cujus Archicancellariatu Curia peragitur, super baculo argenteo omnia sigilla & typaria Imperialia seu regalia deferet: Seculares v. Electores sceptrum, pomum, & ensem juxta præscriptum, *c. 22.* portabunt. Alii v. Principes per Imp. ad hoc deputati immediatè ante Archiepiscopum Trevirensem, primò Aquisgranensem, secundò Mediolanensem coronam gestabunt, de quibus sic Carolus Pascalius *lib 10. c. 7 coron.* loquitur. Non una corona Imperator insignitur, sed ut plurimum tribus; quandoq; quatuor aut quinque, ut accidit Friderico, autore Ottone Frisingensi, Prima; inquit; de Regno Francorum Aquisgrani, sed hanc ego Coronam adsimilo Domitiani triumpho de Germania. Secunda Ratisbonæ de Regno Germaniæ, cujus regni nihil, quod sciam, extat præter inane nomen. Tertia Papiæ de regno Lombardiæ & hæc quoq; vano titulo. Quarta Romæ pro Romano Imperio cuiq; ne ullum quidem nisi in libris vestigium extat. Quinta Moguntiæ pro regno Italico, & hæc appellatur ferrea propter

quandam

quandam laminam ferream in ſummitate, quæ alioquin eſt aurea & precioſiſſima. Hanc coronam invenio fuiſſe è palea, cum illa quæ accipiebatur Mediolani etiam ferrea, & hoc quoque regnum Italicum mente concipi verius, quàm manu tangi aut oculis deſignari, ubi ſit, poteſt. Verè Juſtinianus loquens de inani purpura ſinè viribus maximis, panni quid faciunt leves, *Ammianus Marcellinus lib.22.* Ita ſinè regnis, cui rei tantus verborum tumor, qui nihil concrepat, niſi regna, quæ nuſquam ſunt. Verùm Sarcaſmus hic homini Gallico, cujus judicio nec creſcere aut decreſcere res noſtræ poſſunt, remittendus erit. Nec enim coronationes variæ introductæ ſunt, ait Henricus *Bebel. in apolog. pro Rom. Imp.* propter majus imperium, ſed propter conſuetudines locorum.

XXXIIX.

Additur inſuper in textu, quod Imperatrix vel Regina, Rom. ſuis Auguſtalibus amicta inſigniis Imperatorem vel Regem immediatè competentis ſpacii intervallo ſuis adſociata proceribus ſuisq; comitata virginibus ſubſequi debeat. Auguſta enim utitur eadem prærogativa qua Imperator, *l. bene à Zenone fut. in f. C. de quadr. præſcript. l. fiſcus 6 in f. cum l. ſeq. ff. de jure fiſci.* dicitque Lucas de Penna, *in l. 3. C. de Præpoſit. ſacri cubic.* quod etiam miniſtri Auguſtæ eodem quo & miniſtri Principis privilegio gaudeant, quo fundamento forſan inter alia Abbas Fuldenſis & perpetuus Auguſtæ Cancellarius cùm Henricus VI. Friderici I. Imp. filius Rex Rom. Moguntiæ deſignandus eſſet, locum Archiepiſcopi Colonienſis ſibi deberi contendit, *Crantz. lib. 6. c. 46. in Saxon.* Hinc maritalis ſplendoris intuitu Regina quopue Franciæ tanquam excellens inter omnes, tanquam dilecta illi, qui paſcitur inter lilia, cæteros quoscunque Regni Gallici poſt Regem præcedere ſolet. *Caſſan. par. 5. conſider. 39. in Catal. glor. mundi.*

XXXIX.

Quid verò ſi mater Imperatoris adſit?

Et quidem ſi Imperatoris vidua ſit, in priſtinæ dignitatis memoriã prior ipſi locus debebitur, *l. fœmina 8. ff. de Senator. c. hac itaq; Nov. de conſulib. 105. l. f. C. de incolis.* Quod ſi v. Regis vel Ducis vidua

ſit, præcedere Imperatrix propter mariti dignitatem debet. Quanquam Claudia Franciſci I. Regis Galliarum uxor, matrem Regis Loyſiam Duciſſam Sabaudiæ, quòd illa Regis, hæc v. Ducis ſaltem filia eſſet, præceſſerit, *Caſſan.d.conſid.29.*

AD

CAPUT XXVII.

XL.

Statim atque Imperator vel Rex Rom. ſolium præparatum adſcendit, Dux Saxoniæ vel ipſo abſente, ut contingit in Coronatione Caroli V. minor Imperii Mareſchallus de Papenheim equo, cui inſidet, in cumulum avenæ uſq; ad pectus adacto argenteo modio duodecim marcarum publicè in foro avenam accipiet, famuloque tradet, quo facto figendo baculum in avenam vice-Marſchallus de Pappenheim, vel eo abſente Marſchallus Curiæ reliquam diſtribuet. Ingreſſo v. Imperatore vel Rege ad menſam Archiepiſcopi ſecundùm ordinem *in c 23.* præſcriptum benedictonem dicent, quâ peractâ Archiepiſcopus, cujus in Archicancellariatu Curia celebratur duobus Archiepiſcopis collegis ſibi adſociatis ſigilla Regia à baculo argenteo duodecim marcarum, cujus tertiam partem unusquisque Archiepiſcoporum perſolvet, pendentia, Regiæ menſæ offeret; quæ ubi reſtituta fuêre, ea collo ſuo aptabit, & ad finem menſæ geſtabit. Baculus verò cedet Imperialis Curiæ Cancellario, ad quem Archicancellarius in hoſpitium ſuum reverſus, ſigillum quoque ſuper equo, quem retinebit Cancellarius, remittet. Marchio autem Brandenburgenſis eques aquam in aureâ pelvi duodecim marcarum regis manibus lavandis cum manutergio feret. Comes Palatinus Rheni ſimiliter in equo ſcutellas argenteas ponderis duodecim marcarum, cibis repletas Regiæ menſæ imponet. Poſt hos Rex Bohemiæ ſcyphum argenteum ejuſdem ponderis vino & aquâ impletum Regi ad bibendum porriget, cui hoc ſingulariter indultum eſt, ut Archipincernæ officium non amota corona explere poſſit. Atque hæc jam tacta officia non ubique vel etiam in aulâ Cæſaris obire obſtricti ſunt, ſed ſaltem in ſolennibus Curiis, *ut pr. hujus tit. oſtendit*

ostendit. puta cum vel eligendus est Rex Rom. vel Comitia pro Imperii salute agitantur, in quibus ab antiquo Duces & Principes à servitiis Regis fuisse, observatum est. Nam cùm Henrico defuncto filius ejus Otto in Regem Romanorum electus esset, Duces administrabant, *inquit Wittikindus in pr. lib. 2. de gestis Ottonis.* Lothariorum Dux Gisebertus ad cujus potestatem locus illæ pertinebat, omnia procurabat, Everhardus mensæ præerat, Erimannus Francus Pincernis Arnoldus equestri ordini & eligendis locandisq; castris præerat: Verùm postea electorio ordine instituto, ne novus labor recurrentibus Comitiis semper Imperatori accresceret, unusvè præ alio respectus despectusvè de clementia Imperiali conqueri posset, ad Electores officiorum superiorum administratio translata fuit. Quo ipso Majestas Impp. nostrorum clarescit, quòd non homines vulgares, & plebejos suis ministeriis, non pueros delicatos suis tricliniis, sed Principes viros adhiberi voluerint, neq; Principes ipsi suæ dignitati indecora illa ministeria unquã habuêrunt, *Freher. c. 15. in comm. de orig. Palatin.* ut nec ideò servorum instar à Cæsaribus habitos, reputari debeat, *Sicuti Bodin. lib. 1. de Repub. c. 9. nugatur.* Quod enim Alphonsus Rex Arragonum, quem cum Fridericus III. Imp. post coronationem Romanam inviseret, eiq; Alphonsus non solùm claves regni Neapolitani cum summo Imperio detulisset, sed submississimè se erga ipsum gereret, *Panorm. lib. 4. n. 4. de dictis ac factis Alphonsi Regis.* suis ut majorem Regiæ dignitatis rationem haberet, commonentibus respondit: Quantò cæteros Reges Majestas Imperatoria antecellit, tantò magis cæterarum gentium Reges eandem observare decere, ad se quoque prrtinere Celsissimi Principes subjectissimis agnoscunt animis.

XLI.

Estque tanta horum officiorum dignitas, ut non transeat unà cum Electoratuum investiturâ, sed necesse est eam ab Electoribus per Vicarios suos ex equestri ordine speciatim ab Episcopo Bambergensi peti, quod ab Henrico II. Imperatore Comitatu Bambergensi in Episcopatum erecto eidem primitùs concessum fuit, *Bruscius de Episcopis Bambergensibus in Catalog. Epis. Bamberg.* Quod insigne & augustum ornamentum ejus Episcopatus vulgò, Sericium Divæ Cunigundis filum, nominari scribit Bruscius *d. loc.* Et in

in ore vulgi est, Papæbergam muro non esse cingendam, quod S. Cunigundis eam serico filo pro muro circumdederit, *Andr. Presbyter in Chron. Bavariæ 31.* Errat ut Bruscius & post eum Peucerus *lib. 4 Chron. Spangenberg. c. 161. in Chron. Sax.* dum putant, necessitatem Electoribus imponi, feuda Electoratus ab Episcopo petere. Sunt enim illa Imperii feuda, quæ & ideò à nullo quàm ab Imperatore peti præstarique solent. *Knich. verb. Electorum c. 1. n. 106. de non provoc.*

LXII.

Postquam verò Electores officia sua peregêre, equum & pelves Marchionis Brandenburgensis ex hac Bulla SubCamerarius de Falckenstein, hodiè verò Comes de Hohenzollern/ equum verò & scutellas Comitis Palatini Magister coquinæ de Norrenberg, hodiè *ut Freberus monet*, Subdapifer de Waldenburg, equum & scyphum Regis Bohemiæ Pincerna de Limburg, equum verò & baculum & mensuram Ducis Saxoniæ Vice-Mareschallus de Papenheim accipient, quod si verò præfati Subofficiarii & Vicarii abfuerint, superiora ad eos, qui in quotidianis muniis in Cæsaris aula serviunt juxta modum officii in quo absenti communicant, devenient.

XLIII.

Quid verò si Electorum aliquis vice suâ Legatum mittat, an nè is vel Vicarius officium ejus peraget?

Controversia hæc cùm inter Legatum Regis Bohemiæ & Subpincernam de Limpurg in coronatione Caroli V. incideret, uter eorum Regi vinum aqua dilutum ex more propinaret, pro Subpincerna judicatum fuit, *Hartm. Mauri de Coronat. Caroli V. Rubr. quo apparatu, &c.* Cumque tunc Fridericus Elector Saxoniæ Principem Anhaltinum vice sua misisset, non hic, sed Submareschallus de Papenheim officium demetiendi avenam administravit, *Maurus d. lo.* Quod in Coronatione nupera invictissimi nunc feliciter imperantis D. Matthiæ observatum. Siquidem non Brandenburgicus Legatus Baro à Bulditz, sed Subcamerarius Comes de Hohenzollern officio absentis defunctus fuit.

AD

AD

CAPUT XXVIII.

XLIV.

Ordinem mensarum & quo modo illæ aptari debeant, hic titulus pertractat, constituitque ut Imperialis vel regalis mensa elevata sit fastigio sex pedum, Imperatricis verò seu Reginæ mensa tribus pedibus Imperiali demissior, totidem verò eminentior Electorum mensis, quæ unam eandemque altitudinem habebunt, earumque tres infra sessionem imperialem seu in inferiori tabulato ad dextram ut in nuperâ Coronatione pro Electore Moguntino, Bohemiæ Rege & Palatino, ad sinistram itidem totidem, pro Electore Coloniensi Saxoniæ & Brandenburgico, medio verò loco è regione scilicet mensæ Regiæ mensa pro Electore Trevirensi poni debent. Quas tunc demum, ubi omnes sua expleverint munera, occupabunt. Quæ quidem etsi minutiæ videri possint, attamen in minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis momenta servanda sunt, *ut ait Valer. Maxim. libr. 2. c. 1.* Additur insuper ut Regis Romani Electio Francofurti, Coronatio prima Aquisgrani & Regalis Curia Nurinbergi celebrari debeat, quâ de re latius dictum est, *cap. 1 & 26.* Quod si verò Electorum aliquis abfuerit, & si Legatus ejusdem ad mandatum ab ipso officium admittatur, ejusque personam repræsentet, in mensâ tamen Electori deputatâ sedere non poterit; & ideò cùm Rex Bohemiæ in Coronatione Caroli V. abesset & Legatum misisset, mensa ejusdem vacua edulio mansit, *Maurus d. loc.* & in novissimâ Coronatione nihil ferculorum in eam, quæ Electori Brandenburgico absenti strata erat, appositum fuit, *Autor Coronationis D. Matthiæ.* Peracta verò Curia Magistro ejusdem ædificium sublimius apparatus Imperialis sessionis cedet.

AD CAPUT XXIX.

XLV.

In Curiis illis solennibus investituræ quoque Principum peragi solebant, quod signum juris Majestatici est. Ut enim nullus nisi Rex Rom. vel Imperator regalia feuda dare potest, *cap. un. de his qui feuda dare possunt. 1. F. 1.* vel etiam ad imperium devoluta re infeudare, *§. si verò supr. c. 7.* Ita nec ab alio investitura peti debet. Ob hunc finem quippe illa concedi solent, ut accipiens vinculo fidelitatis innexus obsequium danti exhibeat, *cap. un. in f. de prob. feudi alien. pro Frider. 2. F. 55. c. un. in fin. hic finitur lex. 2. F. 28.* Modus verò petendi investituram pro diversitate feudorum diversus est. Feuda enim Principum secularium per vexillum: Ecclesiasticorum verò cum sceptro concedi solent, *Spec. Sax. lib. 3. art. 60. ubi dicitur:* Der Keyser soll leihen allen geistlichen Fürsten ihr Recht mit dem Scepter/ und allen weltlichen Fürsten mit den Fahnen. Est consuetudo Curiæ *ait Otto Frising. lib. 2. c. 5. de reb. gest. Frid.* ut regna per gladium, provinciæ per vexillum à Principe tradantur, vel recipiantur. Et *idem lib. 2. cap. ult.* Heinricus natu major Ducatum Bavariæ per septem vexilla resignavit, quibus minori redditis ille duobus vexillis Marchiam Orientalem cum Comitatibus ad eum ex antiquo pertinentibus reddidit. Et *idem lib. 2. c. 6.* nec Episcopum electum, *ait*, ante consecrandum, quàm ab ipsius manu regalia per sceptrum suscipiat. Et *Crantz. lib. 5. c. 42. in Sax.* Electus *autem* regalia per sceptrum à te recipiat, &c.

XLVI.

An verò Curiæ Imp officiales compendium aliquod ex investitura sperare debeant?

Distinctione inter Electores & alios Principes facta *h. cap.* explicatur. Cùm enim illi cunctis Imperialis Curiæ præsint officiis, suos

suos etiam habent substitutos à Rom. Imperatoribus dotatos, absurdum videtur(habet textus)eos suis superioribus quocunque quæsito colore encenia seu munera postulare. Cæteri verò Principes Ecclesiastici & seculares, illis 63. marcas argenti, quarum una argenti purissimi novem imperiales constituit, *Budel.lib.1.c.23.n.12.de monet.* Cum uno fertone inter Officiales dividendas numerare jubentur, quarum decem Magister Curiæ Imperialis, decem Cancellarius aulæ, Notarii tres, & Electorum Vicarii singuli decem accipient. Ferto sigillatori pro cera & pergameno cedet, cujus nomen hodiè incognitum est, Germanica versio expressit, ein Virdung / ut suspicari liceat, quartam partem marcæ fuisse. Quod verò de Vicariis Electorum dictum est, sic accipiendum est si adfuerint. Nam si aliquis eorum abfuerit, illi qui in officiis nomen laboremque in Regali Curia sufferunt, lucrum absenti debitum reportabunt. Equus verò cui Princeps feudi investituram petens ab Imperatore insidet, Duci Saxoniæ, vel si is absuerit Vicemarescallo de Pappenheim debetur. Verùm postquã illæ solennes Curiæ frequentius haberi desierunt, multa ex superioribus mutata sunt. Nam investiturarum concessiones ut plurimum hodiè in aula Imperatoris fieri solent, nullis adhibitis vexillorum vel sceptri, sed saltem ensis solennitatibus. Principi enim vel absentis Legato præstito fidelitatis juramento à Cæsare gladius porrigi solet, cujus capulum is apprehendens eum deosculatur. Quod & in investitura Archiepiscopi Trevirensis in Comitiis Augustanis Anno 1582. observatum fuit, *teste Petr. Fleischman, in descript. Comit. August.*

AD

CAPUT XXX.

Thesis Ultima.

Quemadmodum navim gubernare cupiens omninò prius artem gubernandi perdiscere necesse habet; ita Remp. recturus regendi disciplinam ante discat oportet, quam nisi ea ætate cum nondum se Principem esse scit, hauriat, in progressu ejusdem

aulicis delitiis irretitus in curas alias animus ejusdem propellitur, exemploq; Antæi Scytharum Regis non rarò hinnitum equi, quàm musicum concentum libentiùs audir. Certum est, *inquit Comin. de reb.gest.Lud.XI.lib.10.* eos, qui in ulla re unquam excelluerunt, maturè puerilibus annis ad eam rem accessisse, totum hoc primum consistit beneficio Dei proximè in educatione. Qua de causa Carolus noster jubet secularium Electorum filios à septimo ætatis anno in Grammatica Italicæ & Sclavonicæ linguæ institui, eò quod illæ linguæ *ait*, ut plurimum ad usum & necessitatem Imperii frequententur, hisque ardua ejusdem negotia ventilentur, quod tùm quidem pro ratione istius temporis valuit, quo adhuc Italia & regiones illæ; ubi Sclavica lingua, & ex ea manantes aliæ in usu sunt, Imperio parebant? sed postquam id ad terminos angustiores redactū fuit, posteriorum Imperatorum temporibus constitutum est, ut in tractatibus & rescriptis non aliud, quàm Latinum vel Germanicum idioma usurpetur. Sicuti ex Capitulatione Maximiliani I. & Caroli V. videre est, *Sleid.1.de statu relig.* Quod suo tempore non observatum, Albertus Marchio Brandenburgensis conqueritur: Nam cum fuisse statum dixit, in aula Imperatoris Caroli V. ut Germanis propè aliæ discendæ linguæ, siquidem ibi cum aliquo fructu atque compendio versari vellent, *Sleid. 24.de stat.relig.* ut vel maximè Electorum filios in Latina lingua majorum suorum exemplo erudiri oporteat, apud quos tantò in pretio ea fuit, ut omnia majoris momenti Latino sermone scriberentur, donec tandem Rudolphi Habspurgensis Imperatoris tempore Anno 1273. diplomata Cæsarum Germanica dari cœperint, *Crus.part.2.lib.1.cap.8.Annal.Suevic.* Nec in linguarū cognitione saltē persistent, sed infra decimū quartum ætatis annū, eas ubi perceperint, exemplo Caroli Magni in Dialecticis, Rhetoricis, Historicis, altioribusq; eruditos sese ostendere decet. Nero quidem, quod puerilibus statim annis, *ut ait Tacitus 13. Annal.* vividum animum in alia detorserit, cælare & pingere, cantus aut regimen equorum exercere, & aliquando carminibus pangendis inesse sibi elementa doctrinæ ostenderit, jure meritoque taxatus fuit. Majus quippe & celsius quiddam in Principe requiritur, qui subditis non Imperii solùm magnitudine, verùm etiam doctrina antestare debet, ut rectè Æneas Sylvius, postea Pontifex factus

Pius

Pius II. nominatus, dixerit: *in plebejo homine doctrinam argento, in Nobili auro, in Principe aut Rege meris gemmis æquiparari posse.* Fructus enim qui ex doctrina Principum redundare solent, tàm magni sunt, ut nullis margaritis æstimari possint. Varia & multiplex eruditio, *ait Comin. d. lib. 10.* ferè semper retrahet Principem à pravis & illaudatis consiliis, & quò quisque magis, quid se deceat, intelligit, eò vehementius ipsum neglecti putet officii, & etiamsi non omnino sibi temperet à maleficio, tamen ne planè modum excedat, cavet. Hûc etiam accedit metus divini Numinis. Quanta enim sit peccati multitudo sive magnitudo, & quantopere Deus offendatur flagitiis, docti paulò melius quàm imperiti cognoscunt. Qui sunt igitur ineruditi Principes, quantum sit munus, quod acceperunt à Deo, non intelligunt, & ipsorum familiares, ne malam gratiam sibi concilient, dissimulant. Et ut ex omnibus fortè sit unus, qui fideliter admoneat, is tamen suæ sententiæ multos habet approbatores, ac ferè fit, ut ridiculus habeatur, &c. Cùm verò difficile sit, eum cujus infantiam Parentes auro, argento, purpura, ut Quintilianus loquitur, holosericis vestibus exornant, conquisitissimis epulis, & omni absoniorum genere saturant, ad mediocrem eruditionem perduci, maximam Parentes in idoneis informatoribus ejus associandis curam adhibebunt, quod & Carolus noster innuere videtur. Nulla quippe res discipulo tàm perniciosa; *ait Boëtius de vitâ Scholast.* quàm vita Magistri contumeliosa, *qua de re videndus Joh. Werner. lib. 2. c. 23.* Fürstlicher Tischreden.




Aurea Bulla

CAROLI IV. ROMANORUM IMPERATORIS.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS FELICITER AMEN.

An. Christi 1356.



AROLUS QUARTUS, divina favente clementia, Roman. Imperator, semper Augustus, & Boëmiæ Rex, ad perpetuam rem memoriam: Omne regnum in (*a*) seipso divisum desolabitur; nam Principes ejus facti sunt socii furum: ob quod Dominus miscuit in medio eorum spiritum vertiginis, ut palpent in meridie sicut in tenebris: & candelabra eorum movit de loco suo, ut cæci sint, & duces cæcorum: & qui ambulant in tenebris, offendunt; & cæci mente scelera perpetrant, quæ in (*b*) divisione contingunt. Dic superbia, quomodo in Lucifero regnasses, si divisionem auxiliatricem non habuisses? Dic Sathan invide, quomodo Adam de Paradiso ejecisses, nisi eum ab obœdientia divisisses? Dic ira, quomodo Romanam rempublicam destruxisses, nisi in divisione Pompejum & Julium sævientibus gladiis ad intestina prælia concitasses. Dic luxuria, quomodo (*c*) Trojanos destruxisses, nisi Helenam à viro suo divisisses? Tu quidem invidia Christianum Imperium à Deo ad instar sanctæ & individuæ Trinitatis; fide, spe, & caritate, virtutibus Theologicis roboratum, cujus fundamentum super Christianissimo regno feliciter stabilitur, antiquo veneno, quod velut serpens in palmites Imperiales, & membra

a. Mogun. seipsum.

b. Mog divisionem.

c. M. Trojam.

bra ejus propinquiora, impio ſcelere vomuiſti, ut concuſſis columnis, totum ædificium ruinæ ſubjiceres, (d) diviſionẽ inter ſeptem Electores ſacri Imperii, per quos velut ſeptem candelabra lucentia in unitate ſpiritus ſeptiformis ſacrum illuminari debet Imperium, multotiens poſuiſti. (e) Sanè cum ex officio, quo Cæſarea dignitate potimur, futuris diviſionem & diſſenſionem inter Electores ipſos, de quorum numero ut Rex Bohemiæ eſſe dignoſcimur, ratione duplici, tàm ex Imperio, quàm electionis jure, quo fungimur, occurrere teneamur, infra ſcriptas leges, ad unitatem inter Electores fovendam & electionem unanimem inducendam, ac deteſtandæ diviſioni prædictæ variisque periculis ex ea ſequentibus aditum præcludendum, in ſolemni curia noſtra Nurembergenſis, aſſidentibus nobis omnibus Principibus Electoribus Eccleſiaſticis & ſecularibus, ac aliorum Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Nobilium, & civitatum multitudine numeroſa, in (f) ſolito majeſtatis Cæſareæ, Imperialibus infulis, inſigniis, & diademate (g) coronati matura deliberatione prævia, de Imperialis poteſtatis plenitudine edidimus, ſtatuimus, & duximus ſanciendas, ſub anno Domini milleſimo treceteſimo quinquageſimo ſexto, Indictione noua 4. Idus Januarii, regnorum noſtrorum anno decimo, Imperii verò (h) primo.

d m. addit, tentaſti div.

e m. Sanè cum ex off.

f m. ſolio & melius.

g m decorati.

h m. ſecundo.

CAPUT I.

Qualis eſſe debeat conductus Electorum & à quibus.

DEcernimus, & præſenti edicto Imperiali perpetuò valituro ſancimus, ex certa ſcientia, & de Imperialis plenitudine poteſtatis, ut quotiescunque & quandocunque futuris temporibus neceſſitas, ſive caſus electionis Regis Romanorum in Imperatorem promovendi emerſerit, & Principes Electores ad electionem hujuſmodi, juxta antiquam (i) laudabilem conſuetudinem habuerint proficiſci, unusquiſque Princeps Elector, ſi & quando ſuper hoc fuerit requiſitus, quoslibet Princeps Coëlectores ſuos, vel ipſorum nuncios, quos ad electionem ipſam tranſmiſerint, per terras, territoria & loca ſua, & etiam ultra, ſicut longius poterit, conducere teneatur,

i m. & laud.

teneatur, & eis absque dolo præstare conductum, versus civitatem, in qua talis electio fuerit celebranda, & ab illa etiam redeundo, sub pœna perjurii & perditionis, pro illa duntaxat vice, suæ vocis, quam in electione hujusmodi fuerat habiturus. Quas quidem pœnas eos vel eum, qui in præstando memorato conductu rebelles seu rebellem, negligentes vel negligentem se præbuerint, eo ipso decernimus incidisse.

2. Statuimus insuper, & mandamus universis aliis Principibus, feuda à sacro Imperio Romano tenentibus quocunq; nomine censeantur, nec non Comitibus, Baronibus, militibus, clientibus, nobilibus & ignobilibus, civibus & communitatibus castrorum, civitatum, & locorum sacri Imperii universis, ut eodem tempore, dum videlicet Regis Romani in Imperatorem promovendi electio celebranda occurrit, unumquemque Principem Electorem ab ipsis vel eorum aliquo conductum hujusmodi postulantem, vel ejusdem nuncios, quos ad electionem ipsum (a) duxerit, ut præfertur, per territoria sua & alias quanto (b) possint remotius, absque dolo malo (c) prædicto conducant. Si qui verò huic nostræ Constitutioni contraire præsumserint, (d) suprascriptas eo ipso pœnas incurrant. Omnes quidem Principes & Comites, Barones, Nobiles, milites & clientes, & universi nobiles contrarium facientes, reatum perjurii & privationem omnium feudorum, quæ à sacro Romano Imperio, & à quibuscunque aliis obtinent, & etiam omnium possessionum suarum à quocunque habitarum, incurrant. Omnes quoque cives & communitates contra præmissa facere præsumentes, similiter sint perjuri, & nihilominus universis suis juribus, libertatibus, privilegiis & gratiis à sacro obtentis Imperio, sint (e) omnes privati, & cum personis & bonis suis omnibus bannum & proscriptionem Imperialem incurrant: & eosdem (f) quos ipso facto exnunc, prout extunc, jure privamus. Deinceps cuilibet hominem auctoritate propria & sine judicio seu invocatione magistratus cujuslibet, impunè licebit invadere; nullamque pœnam propter hoc invadens ipsos debebit ab Imperio aut quovis alio formidare: præsertim cum contra Rempublicam ac sacri statum ac dignitatem Imperii, ac etiam contra honorem proprium & salutem, tantæ rei temerarii neglectores, tanquam rebelles, inobedientes, & perfidi, infideliter & perversè agere convincantur.

a m. direxerit
b m. potuerit.
c m. praecedenti.
e m omnino
f m. non habet quos

3. Decer-

3. Decernentes insuper & mandantes, ut omnium civitatum cives &(*g*)communia jam dictis Principibus Electoribus & eorum cuilibet hoc poscenti, eorumque nunciis, victualia in communi precio atque cursu pro suis, seu nunciorum prædictorum hominumque suorum necessitatibus, dum ad prædictam civitatem causa celebranda electionis prædictæ accesserint, ac etiam dum discesserint ab eadem, vendere, seu vendifacere teneantur: nullam in præmissis fraudem quomodolibet adhibendo. Alioquin contrarium facientes, pœnas illas volumus ipso facto incurrere, quas in præcedentibus contra cives & communitates duximus promulgandas. *g m. communitates.*

4. Quisquis insuper ex Principibus, Comitibus, Baronibus, militibus, clientibus, nobilibus seu ignobilibus, civibus seu communitatibus civitatum, Principi Electori ad electionem de Rege Roman. celebrandam eunti, vel ab ipsa denuò redeunti, hostiles custodias tédere, seu insidias parare præsumserit, aut ipsos, vel eorum aliquem, in sua, vel suorum personis aut rebus invadere, vel turbare, seu ipsorum vel alicujus eorum nuncios antedictos, sive conductum petierint, sive etiam non duxerint (*b*) erogandum: hunc unà cum universis militiæ sive complicibus, ipso facto supradictas pœnas decernimus incurrisse. Ita videlicet quod quævis persona pœnam incidat, sive pœnas, quas juxta præmissa pro(*i*) qualibet personarum duximus infligendas. *b m. Exigendum.* *i m. qualitate.*

5. Si verò aliquis Princeps Elector cum aliquo suo Coëlectore inimicitias gereret, & inter eos quæcunque contentio, controversia seu dissensio verteretur: his nequaquam obstantibus alter alterum vel alterius nuncios ad electionem hujusmodi destinandos, præmisso modo conducere sit astrictus, sub pœna perjurii ac perditionis, duntaxat(*k*) ista vice, suæ vocis in electione, ut superius est expressum. *k m. ea.*

6. Si qui verò alii Principes, Comites, Barones, milites, clientes, nobiles & ignobiles, cives vel communia civitatum, cum aliquo Principe Electore, vel pluribus ex eisdem adversam gererent voluntatem, seu quævis discordia inter ipsos adinvicem vel gwerra sive dissensio verteretur, nihilominus omni contradictione & dolo cessantibus, Principi Electori, vel Principibus, seu ejus vel

ipsorum nunciis ad electionem hujusmodi destinandis, & redeuntibus ab eadem, talem debeant præstare conductum, prout singuli pœnas jam dictas, per nos videlicet in se latas, voluerint evitare: quas eos, qui secus fecerint, incurrisse decernimus eo ipso.

7. Ad præmissorum autem omnium firmitatem, & certitudinem ampliorem, jubemus & volumus, ut universi Principes, nec non Comites, Barones, Nobiles, Civitates, seu ipsarum communitates, præmissa omnia literis & juramentis suis firmare, & ad ea bona fide ac sine dolo implenda efficaciter se debeant obligare. Quicunque verò literas hujusmodi dare renuerit, pœnas illas ipso facto incidat, quas pro personarum conditione per præmissa singulis duximus infligendas.

8. Si quis autem Princeps Elector, aliusvè Princeps cujuscunque conditionis aut status, feudum vel feuda à sacro tenens Imperio, aut Comes, Baro vel Nobilis seu successores talium vel heredes, supra & infra scriptas Imperiales nostras constitutiones & leges adimplere(*l*) noluerit, aut eis contraire præsumserit, si quidem talis Princeps Elector extiterit, extunc cæteri sui Coëlectores à suo ipsum deinceps excludant consortio, ipseque voce electionis & aliorum Principum Electorum loco dignitate careat atque (*m*) vice, nec investiatur de feudis, quæ à sacro Imperio(*n*) visus fuerit obtinere. Alius verò Princeps aut vir nobilis, ut præfertur, in has nostras leges committens, similiter non investiatur de feudis, quæ à sacro Imperio, vel alias obtinet à quocunque: & nihilominus (*o*) omnes pœnas præmissas suam concernentes personam incidat ex ipso.

l m. noluerint, a. eet. præsumserint: & siq.
m m. jure.
n m nisus.
o m. præponit in.

9. Quamvis autem universos Principes, Comites, Barones, nobiles, milites, clientes, Civitates quoque & communitates illarum ad præstandum cuilibet Principi Electori, vel ejus nunciis præfatum conductum, ut prædicitur, indistinctè velimus & decrevimus obligari, nihilominus eorum cuilibet singulares conductus & conductores pro regionum & locorum adjacentia cuilibet magis aptos duximus designandos, ut statim per sequentia plenius apparebit.

10. Primo namque Regem Boemiæ Sacri Imperii Archipincernam, conducent Archiepiscopus Moguntinensis, Bambergensis &

sis & Herbipolensis Episcopi, Burggravii Nurembergenses: item illi de Hohenloeh, de Wertheim, de Brunecke, & de Hannowe: item civitates Nurenberg, Rotenburg, & Windensheim.

11. Deinde Archiepiscopum Coloniensem, sacri Imperii per Italiam Archicancellarium conducent & conducere tenebuntur Moguntinensis, & Trevirensis Archiepiscopi, Comes Palatinus Rheni, Landgravius Hassiæ: item de Katzenellenbogen, de Nassau, de Dietz, Comites de Isemburg, de Westerburg, de Runkel, de Limburg & Falckenstein, item civitates (a) Wetflaria, Geylnhusen, & Fridberg. a m. VVetzflar.

12. Item Archiepiscopum Trevirensem sacri Imperii per Galliam & regnum Arelatin. Archicancellarium, conducent Archiepiscopos Moguntinensis, Comes Palatinus Rheni: item de Spanheim, de Veldentz Comites: item de Rugraven, Wildgraven, de Nassow, de Isemburg, de Westerburg, de Runkel, de Limpurg, de Dietz, de Katzenellenbogen, de Eppenstein, de Falckenstein, item civitas Moguntinensis.

13. Deinde Comitem Palatinum Rheni, sacri Imperii Archidapiferum, conducere debebit Archiepiscopus Moguntinensis.

14. Ducem verò Saxoniæ sacri Imperii (b) Archimareschallum, tenebitur conducere Rex Bohemiæ. Moguntinens. & Magdeburgens. Archiepiscopi: item Bambergens. & Herbipolens. Episcopi, Marchio Misnens. Landgravius Hassiæ: item Fuldens. & Hirschfeldens. Abbates, Burggravii Nurembergens: item illi de Hohenloeh, de Wertheim, de Bruneke, de Hanow, & de Falckenstein: item Civitates, Erfordia, Mülhausen, Nuremberg, Rotemburg, & Windesheim. b m. Archimarschallum.

15. Et hi omnes proximè nominati Marchionem Brandenburgensium sacri Imperii Archicamerarium, similiter conducere tenebuntur.

16. Volumus autem & expressè statuimus, ut unusquisq; Princeps Elector, qui talem voluerit habere conductũ, his à quibus ipsum postulare decreverit, hoc ipsum adeò tempestivè, viamq; qua fuerit transiturus, insinuet, & talem conductum exposcat, ut illi qui ad conductum hujusmodi impendendum deputati, & qui fuerint requisiti, ad hoc oportunè, (c) valeant & commodè præparare. c m. fe bal.

 17. Præ-

17. Præmissas verò constitutiones circa materiam conductus editas, ita sanè debere declaramus intelligi, ut unusquisque superiùs nominatus, vel forsan non expressus, à quo in casu præmisso conductum requiri contigerit, ad præstandum ipsum per suas duntaxat terras & territoria, ac etiam ultra, quanto potest remotiùs, absq; dolo, sub pœnis contentis superius sit astrictus.

18. Præterea statuimus ac etiam ordinamus, ut Archiepiscopus Moguntinensis, qui fuerit pro tempore, singulis Principibus Coëlectoribus, suis Ecclesiasticis & secularibus, electionem eandem, per suos nuncios, patentibus debeat literis intimare. In quibus quidem literis talis dies & terminus exprimatur, infra quem eædem literæ ad singulos eosdem Principes verisimiliter possint (d) convenire. Hujusmodi verò literæ continebunt, ut à die in literis ipsis expressa infra tres menses continuos omnes & singuli Principes Electores Franckenford. super Moganum esse debeant constituti, vel suos Legales ad eundem terminum atque locum nuncios destinatū cum plena & omnimoda potestate, suisque patentibus literis majori cujuslibet eorum sigillo signatis ad eligendum Romanorum Regem in Cæsarem præmovendum. Qualiter autem & sub qua forma tales literæ confici debeant, & quæ in eis solennitas debeat immutabiliter observari, & in qua forma & modo Principes Electores nuncios suos ad electionem hujusmodi destinandos ad potestatem, mandatum, seu procuratoria ordinare debuerint, ad finem præsentis libri, conscriptum invenitur clarius expressum: Et eandem formam illic traditam mandamus, & de Imperialis potestatis plenitudine usquequaque decernimus observari.

d. m. pervenire.

19. Cum autem ad hoc perventum fuerit, quod de Imperatoris vel Regis Romanorum obitu in diœcesi Moguntinensi constiterit, extunc infra unum mensem à die notitiæ obitus hujusmodi continuè numerandum, singulis Principibus Electoribus, obitum ipsum & intimationem, de quibus præmittitur, per Archiepiscopum Moguntinensem jubemus & decernimus suis patentibus literis declarari. Quod si idem Archiepiscopus in executione & intimatione hujusmodi, negligens aut remissus fortassis existeret, extunc idem Principes, motu proprio, etiam non vocati, pro-

pro fidei suæ virtute, qua sacrum prosequi tenentur Imperium, post hæc infra tres menses, sicut in constitutione proximè posita supra continetur, in civitate Franckenfordensi sæpedicta conveniant, electuri Regem Romanum in Cæsarem promovendum.

20. Debet autem unusquisque Princeps Elector, vel sui nuncii prædictam civitatem Franckenfordens. cum ducentis (e) equitatu-ris tantummodò præfatæ electionis tempore introire: in quorum numero quinquaginta tantum armatos vel pauciores secum introducere poterit, sed non plures. e m. equitibus.

21. Princeps verò Elector ad Electionem hujusmodi vocatus & requisitus, & ad ipsam non veniens, vel legales nuncios cum literis patentibus sigillo suo majori sigillatis plenamque & liberam ac omnimodam potestatem continentibus ad eligendum Romanorum Regem futurum Imperatorem, non dirigens; aut veniens, aut hujusmodi nuncio (f) fortè transmittens, si postea Princeps ipse, aut prædicti nuncii à prædicto electionis loco recederent, Rege Roman. futuro Cæsare non electo, nec ad præmissa procuratore legitimo substituto solemniter & relicto, electionis voce seu jure, quod in eadem electione habuit, & tali modo deseruit, careat (g) ista vice. f m fortasse. g m, ea.

22. Injungimus autem civibus de Franckenford. & mandamus, ut ipsi universos Principes Electores in genere, & quemlibet eorum, ab invasione alterius, si quid inter eos adversitatis emergeret, & etiam ab omni homine, cum omnibus eorum hominibus, quos ipsi & eorum quilibet in præfato ducentorum equorum suorum numero ad præfatam duxerint civitatem, in virtute Juramenti, quod super hoc ipsos ad sancta præstare statuimus, fideli studio & solerti diligentia protegant & defendant: Alioquin perjurii reatum incurrant, & nihilominus omnia jura sua, libertates, (a) gratias, & indulta, quæ à sacro obtinere noscuntur Imperio, omninò amittant, (b) bannumque Imperiale, cum personis & bonis suis omnibus incidant eo ipso: Et liceat extunc omni homini auctoritate propria, ac sine judicio; cives eosdem, quos eo casu exnunc, pro ut extunc, omni jure privamus, tanquam proditores infideles & rebelles Imperii, impunè invadere: Ita quod invadentes hujusmodi, pœnam quamcunque à sacro Imperio, vel a m. interponit privilegia. b m. banniti quoque.

quovis alio, nequaquam debeant formidare. Cives insuper antedicti de Franckenford per omne tempus illud, quo super electione sæpe dicta tractari & agi contigerit, neminem in præfatam civitatem, cujuscunq; dignitatis, conditionis, vel status extiterit, intromittant, vel intrare quovis modo permittant: Principibus Electoribus, (c) & eorum nunciis & procuratoribus ante dictis dumtaxat exceptis: quorum quilibet cum ducentis equis debebit, ut prædicitur, intromitti. Si verò post ipsorum Principum Electorum introitum, seu in ipsorum præsentia, in præfata civitate aliquem reperiri contigerit, illius exitum cives ipsi debebunt absque mora & cum effectu protinus ordinare, sub omnibus pœnis contra ipsos superiùs promulgatis, ac etiam in virtute Juramenti, quod cives ipsi de Franckenfort, super eo virtute præsentis constitutionis præstare debebunt ad sancta, ut in præcedentibus est expressum.

CAPUT II.

De Electione Romani Regis.

POstquam autem sæpedicti Electores seu nuncii civitatem Frankenfort ingressi fuerint, statim sequenti die diluculo, in Ecclesia sancti Bartholomæi Apostoli ibidem in omnium ipsorum præsentia, Missam de sancto Spiritu faciant decantari ad fidem, ut ipse sanctus Spiritus corda ipsorum illustret, & eorum sensibus lumen suæ virtutis infundat, quatenus ipsi duo (d) fulti præsidio, hominem justum, bonum, & utilem eligere valeant in Regem Romanum futurumque Cæsarem, ac pro salute populi Christiani. Peracta quoq; Missa hujusmodi, omnes illi Electores seu nuncii accedant ad altare, in quo Missa eadem extitit celebrata, ubi Principes Electores Ecclesiastici coram Evangelio beati Johannis, IN PRINCIPIO ERAT VERBUM, quod illic, ante ipsos poni debebit, manus suas pectori cum reverentia (e) superponant: Seculares verò Principes Electores, dictum Evangelium corporaliter manibus suis tangant: qui omnes, cum tota (f) ipsorum familia tunc ibi debebunt inermes assistere. (g) At Archiepiscopus Moguntinensis formam Juramenti eis dabit, & unà cum ipsis & ipsi, vel absentium nuncii, unà cum eo juramentum præstabunt vulgariter in hunc modum.

d m. suffulti

e m. supponant.

f m. sua fam.

g m. Et.

2. (h) Ego

2. (h) *Ego Archiepiscopus Moguntinensis sacri Imperii per Germaniam Archicancellarius & Princeps Elector, juro ad hac sancta Dei Evangelia, hic præsentialiter coram me posita, quod ego per fidem qua Deo & sacro Romano Imperio sum astrictus, secundum omnem discretionem & intellectum meum, cum Dei adjutorio eligere volo temporale caput populo Christiano, id est, Regem Roman. in Cæsarem promovendum, qui ad hoc existat idoneus in quantum discretio & sensus mei dirigunt, & secundum fidem prædictam, vocemq; meam, & votum seu electionem præfatam dabo, absq; omni pacto, stipendio, precio, vel promisso, seu quocunq; modo talia valeant appellari, sicut me Deus* (i) *juvet & omnes Sancti.* h M. Ego N. Arch. i m. adjuvet

3. Præstito denique per Electores seu nuncios in forma & modo prædictis, hujusmodi juramento, ad electionem procedant, nec ammodò de jam dicta civitate Franckofort separentur, nisi prius major pars ipsorum, temporale caput mundo elegerit seu populo Christiano, Regem videlicet Romanorum in Cæsarem promovendum. Quod si facere distulerint, infra triginta dies à die præstiti Juramenti præfati continuo numerandos, extunc transactis eisdem triginta diebus ammodò panem manducent & aquam, (k) & nullatenus civitatem exeant antedictam, nisi prius per ipsos, vel majorem partem ipsorum, Rector & temporale caput fidelium electum fuerit, ut præfertur. k m. &

4. Postquam a. in eodem loco ipsi vel pars (l) ipsorum major numero elegerit, talis electio perinde haberi & reputari debebit, ac si foret ab ipsis omnibus, nemine discrepante concorditer celebrata. Sique per tempus aliquod morari, abesse & tardare contingeret aliquem de Electoribus seu nunciis antedictis, dum tamen veniret antequam prædicta esset electio celebrata, hunc ad electionem ipsam in eo statu admitti debere decernimus, in quo ipsa adventus sui tempore consistebat. l m. eorum

5. Et quia de antiqua approbata, & laudabili consuetudine inconvulsè quam immutabiliter semper hactenus extitit observatum: Ideoq; & nos constituimus, & de Imperialis decernimus plenitudine potestatis, quod is qui modo præmisso in regem fuerit Romanum electus, peracta statim electione hujusmodi priusquam

quam in aliquibus causis aliis sive negotiis virtute S. Imperii administret, universis & singulis Principibus Electoribus Ecclesiasticis & secularibus qui propinquiora S.Imperii membra esse noscuntur, omnia ipsorum privilegia, literas, jura, libertates, concessiones, antiquas consuetudines, & etiam dignitates, & quicquid ipsi ab Imperio usque in diem electionis suæ obtinuerunt & possederunt absque dilatione & contradictione confirmare & approbare debeat per suas literas & sigilla, ipsisque præmissa omnia innovare, postquam Imperialibus fuerit infulis coronatus.

6. Confirmationem a hujusmodi, electus ipse cuilibet Principi Electori in specie primo suo nomine Regali faciet, & deinde sub Imperiali titulo innovabit, & in his ipsos Principes (a) in genere, & quemlibet eorum in specie, nullatenus impedire, sed potius absque dolo (b) generosè tenebitur.

a m. interferis omnes in.

b m gratiose.

7. In casu denique quo tres Principes Electores præsentes, seu absentium nuncii, quartum ex se seu ipsorum consortio, videlicet Principem Electorem præsentem vel absentem, in Regem Romanum elegerint, vocem illius electi, si præsens affuerit, aut nunciorum ipsius, si eum abesse contingeret, plenum vigorem habere, & eligentium augere numerum partemq; majorem decernimus constituere, ad instar cæterorum Principum Electorum.

CAPUT III.

De Sessione Trevirens. Coloniensis & Moguntini Archiepiscoporum.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis feliciter, Amen, CAROLUS QUARTUS, divina favente clementia Roman. Imperator semper Augustus, & Boëmiæ Rex ad perpetuam rei memoriam.

1. Decor & gloria Sacrosancti Rom. Imperii & honor Cæsareus, & Reipub. grata (c) compendia, venerabilium & Illustrium Principum Electorum concordi voluntate foventur: qui velut columnæ proceres sacrum ædificium circumspectæ prudentiæ solerti pietate sustentant: quorum præsidio dextera Imperialis potentiæ roboratur: & quanto mutui favoris ampliori benignitate stringuntur, tanto uberioris pacis & tranquillitatis commoda feliciter profluunt populo Christiano.

c m. intensulsa.

2. Ut

2. Ut igitur inter venerabiles Moguntinensem; Coloniensem, nec non Trevirensem Archiepiscopos, sacri Imperii Principes Electores omnium litium & suspicionum mala quæ de prioritate seu dignitate sessionum suarum in Curiis Imperialibus & Regalibus suboriri valerent, in posterum perpetuis in antea temporibus amputentur, & ipsi in cordis & animorum quieta conditione manentes, de opportunitatibus sacri Imperii concordi favore & virtuosæ dilectionis studio convenientius meditari valeant pro consolatione populi Christiani, habita deliberatione cum omnibus Principibus Electoribus, tàm Ecclesiasticis quàm Secularibus, & de ipsorum consilio decernimus, & de Imperatoriæ potestatis plenitudine hac edictali lege perpetuò valitura sancimus, quod supradicti venerabiles Archiepiscopi, Trevirensis videlicet ex opposito, (d) & lineari directione versus Imperatoris faciem: Moguntinens. verò in suis diœcesi & provincia, & extra provinciam suam, in toto (e) Cancellariatu suo Germanico, provincia Coloniens. duntaxat excepta: & demum Coloniens. in suis diœcesi & provincia, & extra provinciam suam, in tota Italia & Gallia, in dextro latere Roman. Cæsaris sedere possint, valeant, & debeant, in omnibus publicis actibus Imperialibus, puta judiciis (f) collocationibus feudorum, & in refectionibus mensarum, ac etiam in consiliis & omnibus aliis agendis propter quæ contingit seu continget eos pro honore seu utilitate Imperiali tractandis mutuò convenire. Et hunc modum sessionis sub omni eo ordine sicut exprimitur superius, ad prædictorum Coloniensis, Trevirensis & Moguntinensis Archiepiscoporum successores perpetuò extendi volumus, ut nullo unquam tempore super his quævis dubietas generetur.

d m. opposito lineari.

e m. Archicancellariatum.

f. m. Collationibus.

CAPUT IV.
De Principibus Electoribus in communi.

STatuimus insuper, ut quotiescunq; Imperialem curiam ex nunc in antea (g) celebrare contigerit, in qualibet sessione, videlicet tàm in consilio, quàm in mensa, & locis aliis quibuscunque, ubi Imperatorem vel Regem Romanorum cum Principibus Electo-

g m. celebrari.

b m contingat. ribus ſedere (*b*) contigerit, à dextro latere Imperatoris vel Regis Roman. immediatè poſt Archiepiſcopum Moguntinenſem, vel Colonienſem, illum videlicet quem tunc temporis pro qualitate locorum & varietate provinciarum, juxta privilegii ſui tenorem, dicto lateri dextro Imperatoris aſſidere contigerit, Rex Bohemiæ, cum ſit Princeps coronatus & unctus, primum, & poſt eum continuò Comes Palatinus Rheni ſecundum ſedendi loca debeant obtinere: Ad ſiniſtram verò partem immediatè poſt illum, quem ex prædictis Archiepiſcopis in latere ſiniſtro ſedere continget, primum locum Dux Saxoniæ, & poſt eum Marchio Brandenburgenſium alterum obtinebit.

2. Cæterum, quoties & quando deinceps ſacrum vacare continget Imperium, extunc Moguntinenſis Archiepiſcopus poteſtatem habebit, ſicut poteſtatem habuiſſe dignoſcitur ab antiquo, cæteros Principes antedictos, ſuos in dicta electione conſortes, literatoriè convocandi. Quibus omnibus, ſeu his potuerint & voluerint intereſſe in electionis termino invicem congregatis, dictus Archiepiſcopus Moguntinenſis, & non alter, eorundem Coëlectorum ſuorum vota ſingulariter habebit inquirere, ordine ſubſequenti.

3. Primo quidem interrogabit à Trevirenſi Archiepiſcopo, cui primam vocem competere declaramus, ſicut invenimus hactenus competiiſſe; Secundo à Colonienſi Archiepiſcopo, cui competit dignitas nec non officium Romanorum Regi primum diadema Regium imponendi: Tertio, à Rege Bohemiæ, qui inter Electores Laicos ex regiæ dignitatis faſtigio jure & merito obtinet primatum: Quarto, à Comite Palatino Rheni: Quinto, Duce Saxoniæ: Sexto, à Marchione Brandenburgenſ. Horum omnium vota, præmiſſo jam ordine, dictus Archiepiſcopus Moguntinenſis perquiret. Quo facto dicti Principes ſui conſortes ipſum viceverſa requirent, ut & ipſe intentionem ſuam exprimat, & ipſis aperiat votum ſuum.

4. Præterea in celebratione Imperialis Curiæ, Marchio Brandenburgenſium aquam lavandis Imperatoris vel Regis Romanis manibus miniſtrabit. Primum verò potum Rex Bohemiæ: quem tamen ſub corona regali, juxta privilegiorum (*a*) regni ſui continentiam, niſi libera voluntate voluerit, non tenebitur: Et Dux

a m. ſuorum cont.

Saxoniæ

Saxoniæ(b)mareſtallatus officium exercebit,ut ſolitum eſt fieri ab antiquo. *b m. Mareſchallatus.*

CAPUT V.
De jure Comitis Palatini,& Saxoniæ Ducis.

QUoties inſuper,ut præmittitur, ſacrum vacare continget Imperium,Illuſtris Comes Palatinus Rheni,ſacri Imperii Archidapifer ad manus futuri Regis Romani in partibus Rheni & Sueviæ,& in jure Franconico,ratione Principatus,ſeu Comitatus,Palatinus privilegio eſſe debet proviſor ipſius Imperii,cum poteſtate judicia exercendi, ad beneficia Eccleſiaſtica præſentandi, recolligendi(c)redditus & proventus,& inveſtiendi de feudis, juramenta fidelitatis vice & nomine S.Imperii recipiendi: quæ tamen per Regem Romanum poſtea electum, ſuo tempore omnia innovari, & de novo juramenta ipſi præſtari debebunt: feudis Principum duntaxat exceptis,& illis quæ(d) Vanlehen/vulgariter appellantur; quorum inveſtituram & collationem ſoli Imperatori vel Regi Romano ſpecialiter reſervamus.Ipſe tamen Comes Palatinus omne genus alienationis ſeu obligationis rerum Imperialium hujuſmodi proviſionis tempore expreſsè ſibi noverit interdictum. *c m. reditus* *d. m. Fahnlehen.*

2. Et eodem jure proviſionis Illuſtrem Ducem Saxoniæ ſacri Imperii Archimareſchallum frui volumus in illis locis,ubi Saxonica jura ſervantur,ſub omnibus modis & conditionibus, ſicut ſuperius eſt expreſſum.

3. Et quamvis Imperator ſive Rex Romanorum ſuper cauſis pro quibus(e)impeditus fuerit,habeat,ſicut & conſuetudine introductum dicitur, coram Comite Palatino Rheni, ſacri Imperii Archidapifero Electore,Principe reſpondere: illud tamen judicium Comes ipſe Palatinus non alibi præterquam in Imperiali Curia,ubi Imperator ſeu Romanorum Rex præſens extiterit, poterit exercere. *e m. impetitus.*

CAPUT VI.

De comparatione Principum Electorum ad alios Principes communes.

f m. interjicit perpetuo.

g m praeminentia.

h m non habet seu causa.

DEcernimus ut in celebratione Imperialis Curiæ, quotiescunq; illam deinceps(*f*)celebrari contigerit, antedicti Principes Electores, Ecclesiastici & seculares, juxta præscriptum ordinem atq; modum, à dextris & à sinistris immutabiliter teneant loca sua, eisq; vel eorum alicui in quibuscunq; actibus ad Curiam ipsam spectantibus eundo, sedendo, vel stando, nullus Princeps alius, cujuscunque status, dignitatis, (*g*) præeminentiæ vel conditionis existat, nullatenus præferatur: Eo signanter expresso, quod nominatim Rex Bohemiæ in celebratione Curiarum hujusmodi, in omnibus & singulis actibus antedictis, quemcunq; Regem alium, quacunque etiam singulari dignitatis prærogativa fulgentem, quem quovis casu (*h*) seu caussa venire vel adesse forte contigerit, immutabiliter antecedat.

CAPUT VII.

De successione Principum.

i m. sincera concord.

INter solicitudines illas innumeras, quibus pro felici statu sacri Imperii, cui auctore Domino feliciter præsidemus, cor nostrum cottidiè fatigatur, ad hoc præcipuè meditatio nostra dirigitur, qualiter desiderata & salubris semper unio inter sacri Imperii Principes Electores jugiter vigeat, & corda eorum in(*i*) sinceræ caritatis concordia conserventur: quorum providentia suo tempore orbi fluctuanti tanto celerius, tantoq; facilius subvenitur, quanto inter eos nullus error surrepserit & purior fuerit charitas custodita, obscuritate succisa, & jure cujuslibet dilucidè declarato.

1. Sanè generaliter longè lateque & publicum quasi per totum orbem notoriè manifestum, Illustres Regem Bohemiæ, nec non Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, & Marchionem Brandenburgensem, virtute regni & principatuum suorum, in electione

ctione Regis Romanorum in Cæſarem promovendi cum cæteris Principibus Eccleſiaſticis ſuis Coëlectoribus, jus, vocem & locum habere,& unà cum ipſis cenſeri & eſſe veros & legitimos ſacri Imperii Principes Electores,ne inter eorundem Principum ſecularium Electorum filios ſuper jure,voce,& poteſtate præfata, futuris temporibus ſcandalorum & diſſenſionum poſſit materia ſuſcitari, & ſic bonum commune periculoſis dilationibus impediri, futuris auctore Deo cupientes periculis ſalubriter obviare, ſtatuimus & Imperiali auctoritate præſenti lege perpetuis temporibus valitura decernimus,ut poſtquam iidem Principes Electores ſeculares & eorum quilibet eſſe(*k*)deſierit, jus, vox, & poteſtas electionis hujuſmodi ad filium ſuum primogenitum legitimum Laicum: Illô verò non(*)extante,ad ejuſdem primogeniti primogenitum ſimiliter Laicum,liberè & ſine contradictione cujuſdam devolvatur.Si verò primogenitus hujuſmodi, abſque(*a*) hæredibus legitimis Laicis ab hac luce migraret,virtute præſentis Imperialis edicti, jus, vox,& poteſtas electionis prædictæ,ad ſeniorem fratrem Laicum per veram(*b*)paternalem lineam deſcendentem,& deinceps ad illius primogenitum Laicum devolvatur. Et talis ſucceſſio in primogenitis & hæredibus Principum eorundem,in jure, voce & poteſtate præmiſſis,perpetuis temporibus obſervetur: Eâ tamen conditione & modo,ut ſi Principem Electorem, ſeu ejus primogenitum, aut filium ſeniorem Laicum,mori, & hæredes maſculos legitimos Laicos defectum ætatis patientes relinquere contingeret, tunc frater ſenior ejuſdem primogeniti,tutor eorum & adminiſtrator exiſtat, donec Senior ex eis legitimam ætatem attigerit:quam in Principe Electore decem & octo annos completos cenſeri volumus & ſtatuimus perpetuò(*c*)& haberi:quam dum(*d*)exegerit,jus,vocem,& poteſtatem,& omnia ab ipſis dependentia,tutor ipſe ſibi totaliter cum officio teneatur protinus aſſignare.

3. Si verò aliquem ex hujuſmodi Principatibus ipſorum(*e*) imperio ſacro vacare contingeret,tunc Imperator,ſeu Rex(*f*) Romanus,qui pro tempore fuerit,de ipſo providere debebit & poterit, tanquam de re ad ſe & Imperium legitimè devoluta: Salvis (*g*) ſemper privilegiis, juribus & conſuetudinibus regni noſtri Bohemiæ ſuper electione Regis in caſu vacationis per regnicolas, qui jus habent

infra c. 25 §. 3.
k m. deſierint.
** m. exiſtente.*
a m. hæred. maſculinis legiti. la. Vide infra c. 25. §. 2.
b m. paternam.
c m. non habet ro. &
d m attigerit.
e m. Imperio ſacro.
f m. Romanorum.
g m. tamen ſemper.

habent eligendi Regem Bohemiæ, faciendi juxta continentiam eorundem privilegiorum, & observatam consuetudinem diuturnam à Divis Romanis Imperatoribus sive Regibus obtentorum, quibus ex hujusmodi sanctione Imperiali in nullo præjudicare volumus, immò ipsa decernimus nunc & perpetuis futuris temporibus in omni suo tenore & forma indubiam tenere roboris firmitatem.

CAPUT VIII.

De Regis Bohemiæ, (*b*) & Regnicolarum ejus Immunitate.

b al. regnicularum.

CUm per Divos Romanos Imperatores & Reges prædecessores nostros, Illustribus Bohemiæ Regibus progenitoribus & prædecessoribus nostris, nec non regno Bohemiæ, ejusdemque regni coronæ olim concessum fuerit gratiosius & indultum, sitque in regno eodem à tempore, cujus contrarii hodiè non existit memoria, consuetudine laudabili inconvulsè servata, diuturnitate temporum, & præscripta moribus utentium sine contradictionis aut interruptionis obstaculo introductum, quod nullus Princeps, Baro, Nobilis, miles, cliens, Burgensis civis, nulla denique persona ejusdem, regni & pertinentiarum ejus ubicunque consistentium, cujuscunq; status, dignitatis, (*i*) pereminentiæ vel conditionis existat, ad cujuscunque actoris instantiam extra regnum ipsum, ad quodcunque tribunal seu alterius præterquam regis Bohemiæ, & judicium regalis Curiæ suæ judicium citare (*k*) poterit, sive trahi nec vocari (*l*) debeat, perpetuis in antea temporibus, sive (*m*) possit: Ideoque privilegium, consuetudinem, & indultum hujusmodi, auctoritate Imperiali, & de Imperialis potestatis plenitudine ex certa scientia innovantes, & etiam confirmantes, hac præsenti nostra constitutione Imperiali perpetuis temporibus valitura statuimus, ut si contra privilegium, consuetudinem & indultum præfatum, quispiam prædictorum, puta Princeps, Baro, Nobilis, miles, cliens, civis Burgensis, seu rusticus, aut alia quæcunque persona præmissa, ad cujuscunque tribunal extra regnum prædictum Bohemiæ, in quacun-

i m. præeminentia.

k m. potuerint.

l m debeāt.

m m. possint

inclusa possint ea.

quacunque causa criminali, civilive, mixta, seu super quocunque negotio citatus citata vel comparere, vel in judicio respondere minimè teneatur.

Quod si adversus hujusmodi non comparentes vel non comparentem, à quocunque Judice, cujuscunque auctoritatis existat, extra regnum ipsum Bohemiæ constitutio, judicialiter proeedi, processus fieri, seu sententias interlocutorias vel diffinitivas, unam vel plures, in quibuscunque prænominatis causis sive negotiis, quovis modo fieri, & promulgari continget, auctoritate præmissa, de plenitudine insuper antedictæ Imperatoriæ potestatis, citationes, præcepta, processus, & sententias hujusmodi, nec non executiones, & omnia quæ ex eis vel aliquo eorum quomodolibet sequi, attentari(*n*) possent vel fieri, irritamus penitus, & cassamus: Adjicientes expresse, & edicto Imperiali perpetuò valituro, eadem auctoritate & de præmissæ potestatis plenitudine decernentes, ut quemadmodum in prædicto regno Bohemiæ, à tempore cujus contrarii non habetur memoria, jugiter observatum existit. Ita nulli prorsus Principi, Baroni, Nobili, militi, clienti, civi Burgensi seu rustico, nulli demum personæ seu incolæ regni Bohemiæ sæpe dicti, cujuscunque status, præeminentiæ, dignitatis, vel conditionis existant, vel existat, à quibuscunque processibus, sententiis interlocutoriis, vel diffinitivis, sive præceptis Regis Bohemiæ, aut quorumc[illegible]que suorum Judicium, nea non(*o*) executionibus eorundem contra se in regali judicio seu coram Regis regni seu prædictorum judicium tribunalibus, factis aut latis, habitis vel ferendis in antea seu fiendis, (*p*) ad quodcunque aliud judicium appellare: provocationes quoque seu appellationes hujusmodi, si quas contra hoc interponi (*q*) contingerit, eo ipso viribus non subsistant, & appellantes ipsi pœnam perditionis causarum ipso facto se noverint incurrisse.

n m. possint.

o m. executione.

p m. addit, liceat, ad q.

q m. contingere.

CAPUT

CAPUT IX.

De auri, argenti, & aliarum specierum mineris.

PRæſenti conſtitutione in perpetuum valitura ſtatuimus, ac de certa ſcientia declaramus, quod ſucceſſores noſtri Bohemiæ Reges, nec non univerſi, & ſinguli Principes Electores, Eccleſiaſtici, & ſeculares, qui perpetuò fuerint, univerſas auri & argenti fodinas atque mineras, ſtanni, cupri, ferri, plumbi, & alterius cujuſcunque generis metalli, ac etiam ſalis, tàm inventas, quàm inveniendas in poſterum quibuſcunq; temporibus, in regno prædicto, ac terris & pertinentiis eidem regno ſubjectis: nec non ſupradicti Principes in Principatibus, terris, dominiis ac pertinentiis ſuis tenere juſtè poſſint, & legitimè poſſidere, cum omnibus juribus, nullo prorſus excepto, pro ut poſſunt ſeu conſueverunt talia poſſideri.

a m. theolonia. 2. Nec non Judæos habere, (*a*) theolonea in præterito ſtatuta & indicta percipere: Quodque progenitores noſtri Reges Bohemiæ fœlicis memoriæ, ipſique Principes Electores, ac progenitores & prædeceſſores eorum, legitimè potuerint uſque (*b*) in præſens, ſicut hoc antiqua laudabili & approbata conſuetudine, diuturnique ac longiſſimi temporis curſu præſcripta noſcitur obſervatum. *b m. ad p.*

CAPUT X.

De monetis.

STatuimus præterea, ut Regi Bohemiæ ſucceſſori noſtro, qui fuerit pro tempore, ſicut conſtat ab antiquo Illuſtris memoriæ Bohemiæ Regibus noſtris prædeceſſoribus licuiſſe, & in poſſeſſione pacifica continua ipſos fuiſſe juris ſubſequentis, videlicet monetas auri & argenti in omni loco & parte Regni ſui, & (*c*) ſubditarum ei terrarum & pertinentiarum omnium, ubi Rex ipſe decreverit, ſibique placuerit, cudi facere, & mandare, ſub omni modo & forma in regno ipſo Bohemiæ, in his ad hæc uſque tempora obſervatis. *c m. ſubjectarum,*

2. Quod-

2. Quodque futuris perpetuò Bohemiæ Regibus hac nostra Imperiali constitutione & gratia perpetuò valituris, à quibuscunque Principibus, Magnatibus, Comitibus, & personis aliis, quascunque terras, castra, possessiones, prædia sive bona, liceat emere, comparare, seu in donum vel donationem ex quacunque causa, aut in obligationem recipere, sub talium terrarum, castrorum, possessionum, prædiorum, seu bonorum conditione consueta, ut videlicet propria recipiantur, vel comparentur ut propria, libera velut libera, & ea quæ dependent in feudum, similiter emantur in feudum, seu comparata taliter teneantur: Ita tamen, quod ipsi Reges Bohemiæ de his quæ modo comparaverint vel receperint, & regno Bohemiæ, duxerint applicanda, ad pristina ac consueta Jura de talibus sacro explenda & reddenda Imperio sint adstricti. Præsentem nihilominus constitutionem & gratiam, virtute præsentis legis nostræ Imperialis ad universos Principes Electores, tàm Ecclesiasticos quàm seculares, successores & legitimos hæredes ipsorum plenè extendi volumus, sub omnibus [modis] & conditionibus, ut præfertur.

CAPUT XI.

De immunitate Principum Electorum.

STatuimus etiam, ut nulli Comites, Barones, Nobiles, feudales, vasalli, Castrenses, milites, clientes, cives Burgenses, nullæ quoq; personæ Coloniensis, Moguntinensis & Trevirensis Ecclesiis subjecti vel subjectæ, cujuscunque status, conditionis vel dignitatis existant, ad cujuscunque actoris instantiam, extra territorium & terminos ac limites earundem Ecclesiarum & pertinentiarum suarum: ad quodcunque aliud tribunal, seu cujusvis alterius, præterquam Archiepiscoporum Moguntinensis, Trevirensis, & Coloniensis, & judicum suorum judicum, citari poterint temporibus retroactis, vel trahi seu vocari debeant, perpetuis in antea temporibus sive possint, sicut (*d*) præteritis invenimus, temporibus observatum. Quod *d m. in pr.* si contra præsens edictum nostrum prædictos Ecclesiarum Trevirensis, Moguntinensis, seu Coloniensis subditos, vel eorum aliquem seu aliquos, ad cujuscunque instantiam, seu ad cujuscunque tribunal, pro quacunque causa criminali, civili, vel mixta, seu quocunq;

 negotio,

negotio, extra territorium, limites seu terminos dictarum Ecclesiarum, vel alicujus earum, citari contingeret, comparere vel respondere minimè teneantur : & citatio ac prorsus & sententiæ interlocutoriæ vel diffinitivæ contra non venientes à talibus judicibus extraneis latæ vel factæ, fiendæ vel ferendæ, nec non præcepta & præmissorum executiones, & omnia, quæ ex eis, vel aliquo eorum, quomodolibet sequi attentari possent, vel fieri, irrita decernimus eo ipso:

2. Adjicientes expresse, quod nulli Comiti, Baroni, Nobili, feudali, vasallo, castrensi, militi, clienti, civi, rustico, nulli demum personæ Ecclesiis hujusmodi subjectæ, seu ejus incolæ, cujuscunq; status, dignitatis vel conditionis existant, à processibus, sententiis interlocutoriis, & definitivis, sive præceptis Archiepiscoporum & Ecclesiarum hujusmodi, ut suorum officiatorum temporalium, aut executionibus eorundem contra se in Archiepiscopali, seu officiatorum prædictorum judicio factis aut latis, habitis, vel ferendis in antea seu fiendis ad quodcunque tribunal aliud liceat appellare, quamdiu in Archiepiscoporum prædictorum & suorum judicio querulantibus non fuerit justitia denegata, appellationes contra hoc factas non recipi statuimus, cassasque & irritas nunciamus. In (a) defectum verò justitiæ, prædictis omnibus ad Imperialem duntaxat curiam & tribunal, seu Judicis immediatè in Imperiali Curia pro tempore præsidentis audientiam: Et etiam eo casu, non ad quemvis alium Judicem, sive Ordinarium sive (b) etiam Delegatum, his quibus denegata fuerit justitia, liceat appellare. Quicquid verò contra præmissa factum fuerit, sit irritum eo ipso.

a m. Defectu.

b m. non habet τò etiam.

3. Eandem constitutionem virtute præsentis legis nostræ Imperialis, ad Illustres Comitem Palatinum Rheni, Ducem Saxoniæ, & Marchionem Brandenburgensem, Principes Electores seculares, sive Laicos, hæredes, successores & subditos eorum, (c) plenè extendi volumus, sub omnibus modis & conditionibus, ut præfertur.

c m. plenissimè.

CAPUT

CAPUT XII.

De congregatione Principum.

INter illas multiplices Reipublicæ curas, quib. assiduè mens nostra distrahitur, multa consideratione necessarium fore prospexit nostra sublimitas, ut sacri Imperii Principes Electores, ad tractandum de ipsius Imperii orbisq; salute, frequentiùs solito congregentur: qui solidæ bases Imperii, & columnæ immobiles, quemadmodum per longinquas adinvicem terrarum consistunt distantias, ita de incumbentibus regionum sibi cognitarum defectibus referre simul & conferre noverunt, sanisq; providentiæ suæ consiliis non ignorant ac commodis talium reformationibus salubriter opem dare.

2. Hinc est, quod in solemni curia nostra in Nurenberg cum venerabilibus Ecclesiasticis & Illustribus secularibus Principibus Electoribus, & multis aliis Principibus & proceribus per nostram celsitudinem celebrata, habita cum ejusdem Principib. Electoribus, tàm Ecclesiasticis, quàm secularibus, duximus ordinandum quod iidem Principes Electores de cætero per singulos annos semel, transactis à festo resurrectionis Dominicæ quatuor septimanis continuè numerandis, in aliqua civitatum S. Imperii personaliter congregentur, & ad idem tempus proximè affuturum, seu anno præsenti, colloquium seu curia, & congregatio hujusmodi, in civitate nostra Imperiali Metensi, per nos & eosdē Principes celebretur: ac tunc deinceps die quodlibet congregationis hujusmodi locus per nos, quo (*d*)frequenti anno conveniant, ipsorum consilio statuatur. Hac nostra ordinatione ad nostrum & ipsorum duntaxat beneplacitum duratura. Qua durante ipsos sub nostra Imperiali conductu recipimus ad dictam curiam accedendo, stando, & etiam recedendo. *d m. sequenti.*

3. Præterea ne tractatus communis salutis & pacis per tractum & moram solatii seu excessivam (*e*)frequentionem convivii retardetur, ut aliquando fieri est consuetum, concordi voluntate duximus ordinandum, ut deinceps curia seu congregatione præfata durante, generales omnium Principum celebrare alicui non liceat invitatas: particulares verò, quæ agendorum expeditionem non impediant, cum moderamine sint permissæ. *e m frequentiam.*

CAPUT XIII.

De(*f*) revocatione privilegiorum.

f m revocatoria.

PRæterea statuimus & hoc Imperiali perpetuo sancimus edicto quod universa privilegia & literæ quibuscunq; personæ, cujuscunq; status,(*g*)præeminentiæ,vel dignitatis existant,seu civitatum, oppidorum,& quorumlibet locorum universitatibus,super quibuscunq; juribus,gratiis,(*h*)immunitatibus, consuetudinibus, seu rebus aliis,etiam proprio motu,seu(*i*)à nobis vel recolendæ memoriæ Divis Romanis Imperatoribus,sive Regibus prædecessoribus nostris Romanis Imperatoribus & Regibus(*k*) in antea concedenda seu concedendæ,non debeant aut possint libertatibus, jurisdictionibus,juribus,honoribus,seu dominiis Principum Electorum sacri Imperii Ecclesiasticorum & secularium, aut alicujus ipsorum,in aliquo penitus derogare,etiam si in talibus privilegiis & literis quarumlibet personarum cujuscunque(*a*)præeminentiæ,dignitatis,aut status extiterint,ut præfertur,seu universitatum hujusmodi,expressè cautum sit,vel fuerit in futurum,quod revocabilia seu revocabiles esse non debeant,nisi de ipsis,& toto in eis comprænhenso tenore,in tali revocatione fieret de verbo ad verbum seriatim mentio specialis. Hujusmodi namque privilegia & literas, si & in quantum libertatibus, jurisdictionibus, juribus,honoribus seu dominiis (*b*) dictorum Principum Electorum,aut alicujus ipsorum, derogare (*c*)censentur in aliquo, quod revocamus ex certa scientia & cassamus,revocataque & revocatas intelligi(*d*)& haberi decernimus de plenitudine Imperatoriæ potestatis.

g m. præeminentia.
h m. immunitatibus.
i m. aliàs à.
k m. futuris temporibus cont.
a m præeminentia.
b m. interponit, quæ superius exprimuntur, dictor.
c m. addit vel obviare c. i a quoad hoc.
d. m. addit reputari & h. volumus de Imp. plen. pot.

XIV.

De his, quibus ut indignis auferuntur bona feudalia.

e m. renunciatione.
f m. ipsis.

IN plerisque partibus vasalli & feudatarii dominorum feuda seu beneficia, quæ à Dominis ipsis obtinent,intempestivè verbaliter, & in fraudem renunciant seu resignant eadem : & facta (*e*) resignatione hujusmodi,dominos ipsos malitiosè diffidant,suasque inimicitias eis denunciant,damna (*f*) eis subsequenter gravia inferendo: & beneficia seu feuda sic relicta prætextu gwerræ seu inimicitiæ iterum invadunt & occupant, & detinent occupata. Ea propter præsenti

præsenti constitutione in perpetuum valitura sancimus, quod talis resignatio seu renunciatio haberi debeat pro non facta, nisi liberè & realiter facta fuerit per eosdem, ita quod possessio beneficiorum & feudorum hujusmodi dominis ipsis corporaliter & realiter assignetur in tantum, quod nullo unquam tempore diffidantes ipsi in bonis, seu beneficiis resignatis, dominos ipsos perturbent, per se aut aliosaut molestent, nec ad hoc consilium præstent auxilium vel favorem. Contrarium(*g*)facientes, seu dominos suos in beneficiis & feudis resignatis vel non resignatis invadens, quomodolibet vel perturbans, vel damna ipsis inferens, seu consilium, auxilium præstans taliasfacientibus vel favorem, feuda & beneficia hujusmodi eo ipso amittat, infamis existat, & banno Imperiali subjaceat, & nullus ad feuda vel beneficia hujusmodi pateat ei de cætero quocunq; tempore aditus vel regressus, nec de novo sibi cōcedi valeant ullo modo: & facta eis contra hoc illorum concessio seu investitura secuta(*h*)viribus non subsistat. Postremò omnes pœnas prædictas illos vel illum qui prædicta resignatione non facta contra dominos suos fraudulenter agentes vel agens, scienter eos invaserint vel invaserit, diffidatione quacunque prævia vel omissa, vigore præsentis sanctionis incurrere decernimus ipso facto.

g m. factes.

h m. viribus

CAPUT XV.

De (*i*) conspirationibus.

i. al conspirationibus.

DEtestandas præterea, & sacris legibus reprobatas conspirationes & conventiculas seu colligationes illicitas, in civitatibus & extra, vel inter civitatem & civitatem, inter personam & personam, sive inter personam & civitatem prætextu parentelæ, seu (*k*) receptionis in cives, vel alterius cujuscunque coloris (*l*) communicationes insuper & confœderationes & pacta, nec non & consuetudinem circa hujusmodi introductam, quam censemus potius corruptelam, reprobamus, damnamus, & ex certa scientia irritamus: quas civitates seu personæ cujuscunque dignitatis seu conditionis, aut status, sive inter se, sive cum aliis inter se, sive cum aliis absque auctoritate dominorum, quorum subditi vel ministeriales,

k m. receptionibus.

l m conjurationes.

les,seu in quorum districtu consistunt,eisdem dominis nominatim non exceptis(*m*)fecerunt hactenus,& facere præsumpserunt in futuro,sicut(*n*)eas per sacras divorum Augustorum prædecessorum nostrorum leges prohibitas non ambigitur & cassatas.

m m fecerint.
n m. delet pronomen.
o m. ligis quod probius.
p m fore masse.

1. Illis confœderationibus & (*o*) ligis duntaxat exceptis, quas Principes & Civitates ac alii super generali pace provinciarum atq; terrarum inter se(*p*)firmasse noscuntur. Illas enim nostræ declarationi specialiter reservantes,in suo decernimus vigore manere, donec de his aliud duxerimus ordinandum.

q m. ac legis nostra av.

2. Personam singularem quæ de cætero contra tenorem præsentis constitutionis(*q*)nostræ legis antiquæ super hoc editæ,confœderationes,colligationes, conspirationes & pacta hujusmodi inire præsumserit,ultra pœnam legis ejusdem,notam infamiæ & pœnam decem librarum auri.Civitatem v.vel universitatem in hanc legem nostram similiter committentem,centum librarum auri, nec non amissionis & privationis libertatum & privilegiorum Imperialium, pœnas incurrere decernimus eo ipso, medietate pœnæ hujusmodi pecuniariæ,fisco Imperiali;reliqua verò domino districtus, in cujus præjudicium factæ fuerint, applicanda.

CAPUT XVI.
De Pfalburgeriis.

§. Henrici R. constit.c. 4.& 5 seqq. Sigismundi Bulla ca.3 cum 2.seqq.
r m. ordinariæ.
s m. ausor contemnentes.

CÆterum quia nonnulli cives & subditi Principum , Baronum, & aliorum hominum,sicuti frequens ad nos querela perduxit, jugum(*r*)originariæ subjectionis quærentes abjicere, immò (*s*) ausu temerario contemnentes, in aliarum civitatum cives recipi se procurant,& frequentius in præterito procurarunt, & nihilominus in priorum dominorum , quos tali fraude præsumpserunt vel præsumunt deserere,terris,civitatibus , oppidis & villis corporaliter residentes,civitatum, ad quas hoc modo transferunt, libertatibus gaudere,& ab eis defensari contendunt , qui in partibus Alamaniæ Pfalburgerii consueverunt vulgariter appellari:Quoniam(*a*)igitur patrocinari non debent alicui fraus & dolus , de Imperatoriæ potestatis plenitudine,omnium Principum Electorum, Ecclesiasticorum &

a m. autem.

rum & secularium sano accedente consilio, ex certa scientia statuimus, & præsenti lege perpetuò valitura sancimus, quod prædicti cives & subditi, eis quibus subsunt, taliter illudentes, in omnibus, terris, locis, & provinciis sacri Imperii, à præsenti die in posterum, civitatum in quarum cives (b) tali fraude recipi se procurarunt, juribus & libertatibus in nullo potiantur, nisi ad hujusmodi civitates corporaliter & realiter transeuntes, ibique larem foventes, (c) continuè & verè ac non fictè residentiam facientes, debita onera & municipalia subeant munera in eisdem.

b m. qui tali.

c m. continuo verè & non.

2. Si qui verò contra præsentis nostræ legis tenorem recepti sint, vel fuerint in futurum, illorum receptio omni careat firmitate, & recepti cujuscunq; conditionis, dignitatis aut status existant, in nullo casu penitus sive causa civitatum, ad quas recipi se procurant, juribus (d) vel libertatibus gaudeant quomodolibet vel fruantur: Non obstantibus quibuscunq; juribus, privilegiis, vel consuetudinibus observatis quantocunque tempore & obtentis: Quas & quæ in quantum præsenti nostræ legi obviant, præsentibus ex certa scientia revocamus de prædictæ Imperialis plenitudine potestatis, omnique carere decernimus robore firmitatis: Circa præmissa omnia Principum, dominorum & aliorum hominum, quos taliter deseri (e) contingit vel continget in posterum juribus circa personas & bona subditorum quorumcunque, ipso sæpedicto modo deserentium, semper salvis. Hos nihilominus qui sæpedictos cives & subditos alienos recipere, contra præsentis nostræ legis dispositionem præsumserint, vel recipere in præterito præsumserunt, si eos omnino non dimiserint infra mensem post intimationem præsentium eis factam, centum marcas auri puri pro transgressione hujusmodi, totiens quotiens deinceps factum fuerit, incurrere, decernentes quarum medietas Imperiali fisco nostro, reliqua verò dominis illorum, qui recepti fuerint, irremissibiliter (f) applicetur.

d m. &.

e m. contingit.
Bulla Sigismundi cap. 3. & 8.

f m. applicentur.

CAPUT

CAPUT XVII.

De diffidationibus.

Reformatio Friderici III. Imp. cap. 1. & constit. des Landt-friedens. An. 1467. §. 1.

a m inserτam.

b m quacunque.

c m. diffidationes.

EOs qui de cætero adversus aliquos(*a*)justam diffidationis causam se habere fingentes, ipsos in locis ubi domicilia non obtinent, aut ea communiter non inhabitant, intempestivè diffidant, declaramus damna(*b*)quemcunque per incendia, spolia vel rapinas diffidatis ipsis, cum honore suo inferre non posse. Et quia patrocinari non debent alicui fraus & dolus, præsenti constitutione imperpetuum valitura sancimus,(*c*) diffidantes hujusmodi quibuscunque dominis aut personis, cum quibus aliqui fuerunt in societate, familiaritate, vel honesta quavis amicitia conversati, sic factas vel fiendas in posterum, non valere, nec licere prætextu diffidationis cujuslibet quempiam invadi per incendia, spolia, vel rapinas: nisi diffidatio per tres dies naturales ipsi diffidando personaliter, vel in loco quo habitare consuevit, publicè fuerit intimata, possitque de intimatione hujusmodi per testes idoneos fieri plena fides. Quisquis secus quempiam diffidare(*d*)vel invadere modo præmisso præsumserit, infamiam eo ipso incurrat, ac si nulla diffidatio facta esset: Quem etiam tanquam proditorem per quoscunque Judices pœnis legalibus statuimus castigari.

d m. &

2. Prohibemus etiam & damnamus universas & singulas guerras & lites injustas: cuncta quoque injusta incendia; spolia & rapinas, indebita & inconsueta, (*e*) thelonia, & conductus, & exactiones pro ipsis conductibus extorqueri consuetas, sub pœnis quibus sacræ leges præmissæ, & eorum quodlibet sanciunt punienda.

e m. thelonibus.

CAPUT XVIII.

Littera imitationis.

** al. addūt: pro electione Regis Romanorū fienda.*

VObis, Illustri & Magnifico Principi, Domino Marchioni Brandenburgensi, Sacri Imperii Archicamerario, Coëlectori, & amico nostro clarissimo. Electioni Romani Regis, quæ ex rationalibus causis (a)*immi-*

(a)imminet facienda, præsentibus intimamus: vosq; ex officii nostri debito ad electionem præfatam, ritè vocamus: Quotiens à die tali, &c. infra tres menses continuo computandos, per vos, seu nuncios aut procuratores vestros, unum vel plures, sufficiens mandatum habentes, ad locum debitum juxta formam sacrarum legum super hoc editarum, venire curetis, deliberaturi, tractaturi, & concordaturi cum aliis Conprincipibus & Coëlectoribus vestris & nostris, de electione futuri Regis Romanorum in Imperatorem postmodum favente Domino promovendi, in eodem mansuri usque ad plenam (b) confirmationem electionis hujusmodi & (c) aliàs facturi & processuri prout in sacris legibus super hoc deliberatè editis invenitur expressum: aliàs non obstante vestra seu vestrorum absentia, in præmissis unà cum aliis Conprincipibus & Coëlectoribus (d) vestris, prout legum ipsarum sancivit auctoritas, finaliter procedemus.

a m. jam imp faciendam pr.
b m. consummationem.
c m. aliàs.
d m. nostris.

Caput XIX.

Forma procuratorii mittendi per eum Principem Electorem, qui nuncios suos ad electionem faciendam duxerit destinandos.

Nos talis Dei gratia, &c. Sacri Imperii, &c. notum facimus tenore præsentium universis. Quod cum electio Romanorum Regis ex rationalibus caussis imminet facienda, nos de honore & statu Sacri Imperii solicitudine debita intendere cupientes, ne tàm gravibus dispendiis periculosè subjaceat, de fide & circumspectionis industria dilectorum nobis talis, &c fidelium nostrorum obtinentes, utique præsumtionis indubiæ fiduciam singularem, ipsos & quemlibet eorum insolidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed quod per unum (a) inceptum fuerit, per alium finiri valeat & licitè terminari, omni jure, modo, & forma, quibus melius & efficacius possumus seu valemus, nostros veros & legitimos procuratores, & nuncios speciales, facimus, constituimus, & ordinamus ad tractandum ubilibet unà cum aliis Conprincipibus & Coëlectoribus nostris, tàm Ecclesiasticis quàm Secularibus, & cum ipsis

a m. addit, eorum.

b m. concordandū, conveniendum & concludendum

(b) concordabunt, & concludent de persona quacunq; habili & idonea in Regem Romanum eligenda, & ipsis tractatibus super electione talis personæ habendis, pro nobis loco & nomine nostris, interessendum, tractandum & deliberandum, nec non vice & nomine nostris eandem personam nominandum, & in ipsam consentiendum, ac etiam in Regem Romanum promovendum, ad sacrum Imperium eligendum, ac in animam nostram præstandum quodcunq; juramentum necessarium, debitum (c) & consuetum fuerit circa præmissa & quodlibet præmissorum, alium vel alios procuratores in solidum substituendum & revocandum, & omnia & singula faciendum quæ in præmissis & circa præmissa, etiam usq; ad consummationem tractatuum, nominationis, deliberationis, & electionis hujusmodi de præsenti faciendæ necessaria aut utilia fuerint, seu etiam quomodolibet oportuna, etiamsi præmissa vel eorum quodlibet, mandatum exigant speciale, etiam si majora vel magis singularia fuerint supradictis, & quæ nosmetipsi facere possemus, si hujusmodi tractatuum, deliberationis, nominationis & electionis futuræ negotiis præsentes & personaliter adessemus: Gratum & ratum habentes & habere volentes, & nos perpetuò habituros firmiter promittentes, quicquid per antedictos procuratores seu nuncios nostros, nec non substitutos, aut substituendos, ab ipsis seu eorum altero, in præmissis seu præmissorum quolibet, actum, gestum, seu factum fuerit, aut quomodolibet ordinatum.

c m. seu.

CAPUT XX.

De unione Principatuum Electorum, & jurium eis connexorum.

Electionis jura ut inhæreant principatui Electorali, & sequantur solum possidentem

CUm universi & singuli Principatus, quorum virtute seculares Principes Electores jus, & vocem in electione Romanorum Regis in Cæsarem promovendi, obtinere noscuntur, cum jure hujusmodi, nec non officiis, dignitatibus & juribus aliis, eis cuilibet eorum annexis & dependentibus ab eisdem, adeò conjuncti & inseparabiliter sint *(a)* uniti, quod jus, vox, officium & dignitas, alia quoque jura ad quemlibet Principatum eorundem spectantia cadere non possint in alium, præter illum, qui Principatum ipsum cum terra, vasallagiis, feudis & dominio, ac ejus pertinentiis universis

a m. uniti.

versis dinoscitur possidere, præsenti edicto Imperiali perpetuo valituro sancimus, unumquemque Principatuum prædictorum, cum jure, & voce electionis ac officio, cæterisque omnibus dignitatibus, juribus & pertinentiis ad ipsum spectantibus, ita perseverare & esse debere unitum perpetuis temporibus indivisibiliter & conjunctum, quod possessor Principatus cujuslibet, etiam juris, vocis, officii, dignitatis & pertinentiarum omnium ad illum spectantium, quieta debeat & libera possessione gaudere ac Princeps Elector ab omnibus reputari, ipseque, & nemo alius per cæteros Principes Electores ad electionem & omnes actus alios pro sacri Imperii honore vel opportunitate gerendos, omni tempore assumi sine contradictione qualibet, & admitti, nec aliquid præmissorum ab altero, cum sint & esse debeant inseparabilia, dividi vel ullo tempore debeant separari, aut in judicio vel extra, divisim repeti valeat, aut evinci, vel etiam per sententiam separari, nec aliquis unum sine alio impetens audiatur. Quod si per errorem vel aliàs auditus quis fuerit, aut processus, judicium, sententia, vel aliquid hujuscemodi contra præsentem dispositionem nostram emanaverit, seu quomodolibet attentari contigerit, hoc totum, & omnia ex his & quolibet eorum sequentia, eo ipso *(b)* viribus non subsistant.

Electoratū sine electione, & electionem sine Electoratu, jure non consistere, & de facto impetratū pro nullo haberi.
b m. viribus

Caput XXI.

De ordine processionis inter Archiepiscopos.

Quoniam autem superius in principio constitutionum nostrarum præsentium circa *(a)* ordinem Ecclesiasticorum, Principum Electorum in consilio & in mensa, *(b)* & aliàs quotiens Imperialem Curiam celebrari, seu Principes Electores deinceps cum Imperatore vel Rege Roman. congregari contigerit, sufficienter duximus providendum, super qua priscis audivimus temporibus pluries disceptatum: Expedire credimus etiam processionis & deambulationis inter eos ordinem diffinire. Quapropter hoc perpetuo Imperiali edicto decernimus, ut quotiescunque in congregatione Imperatoris, vel Regis Romanorum, & Princi-

a m. ordinationem.
b m. Velt

pum prædictorum, Imperatore, vel Rege ipso deambulante, insignia ante faciem suam portari contigerit, Archiepiscopus Trevirensis in directa diametrali linea ante Imperatorem, vel Regem transeat, illique soli medii inter eos ambulent, quos Imperialia vel Regalia continget insignia deportare. Dum autem Imperator vel Rex absq; insigniis eisdem incesserit, ex tunc idem Archiepiscopus Imperatorem vel Regem præfato modo præcedat, ita quod nemo penitus inter eos medius habeatur: Aliis duobus Archiepiscopis Electoribus, loca sua, juxta distinctionem provinciarum suarum, circa sessionem superius declaratam, etiam circa processionem perpetuò servaturis

CAPUT XXII.

De ordine processionis Principum Electorum, & per quos insignia deportentur.

AD declarandum autem, in Imperatoris vel Regis Romanorum deambulantis præsentia, processionis ordinem Principum Electorum, de quo supra fecimus mentionem: Statuimus, ut quotiescunque in celebratione Imperialis Curiæ, Principes, Electores cum Imperatore vel Rege Romanorum, in quibuscunque actibus, vel solemnitatibus processionaliter ambulare contigerit, & Imperialia vel Regalia debuerint insignia deportari, Dux Saxoniæ Imperialem seu Regalem ensem deferens, Imperatorem seu Regem immediatè præcedat, & inter illum & Archiepiscopum Trevirensem medius habeatur: Comes verò Palatinus pomum Imperiale portans, à latere dextro: & Marchio Brandenburgensis sceptrum deferens, à sinistro latere ipsius Ducis Saxoniæ * lineariter gradiantur: Rex autem Bohemiæ Imperatorem seu Regem ipsum immediatè, nullo interveniente, sequatur.

* *m. lineabiliter.*

CAPUT

CAPUT XXIII.

De benedictionibus Archiepiſcoporum in præſentia Imperatoris.

QUoties inſuper in Imperatoris, vel Regis Romanorum præſentia Miſſarum ſolemnia celebrari, ac Moguntinenſis, Trevirenſis & Colonienſis Archiepiſcopos, vel duos ex eis adeſſe contigerit in confeſſione, quæ antè Miſſam dici conſuevit, ac in porrectione Evangelii oſculandi, & pace poſt Agnus Dei portanda, nec non & in benedictionibus pòſt finita Miſſarum ſolemnia, ac etiam ante menſam faciendis, & in gratiis poſt cibum acceptum agendis: Is inter eos ordo ſervetur, prout de ipſorum conſilio duximus ordinandum: quod prima die hæc omnia & ſingula à primo, ſecunda die à ſecundo, tertia verò à tertio peragantur. Primum autem vel ſecundum(*a*)ſeu tertium hoc caſu, ſecundum quod prius vel poſterius quilibet eorum conſecratus exiſtit, debere intelligi declaramus. Et ut ſe invicem honore condigno & decenti præveniant, & exemplum aliis præbeant invicem honorandi, is quem circa præmiſſa ordo tetigerit, (*b*)ad hæc alterum convenientia & caritativa inclinatione invitet, & tunc demum ad præmiſſa procedat, ſeu quodlibet præmiſſorum.

a m aur.

b m ad hoc.

CAPUT XXIV.

Infra ſcriptæ leges promulgatæ ſunt in Curia Metenſi, per Dominum Carolum IV. Imperatorem, & Bohemiæ Regem, Auguſtum Anno Domini M. CCC. LVI in die Natalis Chriſti, aſsiſtentibus ſibi omnibus ſacri Romani Imperii Electoribus, præſen-

Inclusa desunt autographo pa- latino & editioni Colonienſi, tom 3. Concilior.

tibus Dominis venerabili in Christo Patre, Domino T. Episcopo Albanensi sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, ac Carolo Regis Franciæ primogenito, Normandiæ Duce Illustri, ac Delfino Viennensi.

SI quis cum Principibus, Militibus vel privatis, seu quibuscunque personis plebeis etiam scelestam factionem, aut factionis ipsius inierit Sacramentum, vel dederit de nece venerabilium & illustrium nostrorum & Sacri Romani Imperii tam Ecclesiasticorũ quàm secularium Principũ Electorum, seu alterius eorundẽ, nam & ipsi pars corporis nostri sunt. Eadem enim severitate voluntatem sceleris qua effectum puniri * Jura voluerunt: ipse quidem, utpote majestatis reus, gladio feriatur, bonis ejus omnibus fisco nostro addictis: filii verò ejus, quibus vitam Imperiali specialiter lenitate concedimus: paterno enim deberent perire supplicio, in quibus paterni hoc est, hæreditarii criminis, metuuntur exempla: à materna vel avita omnium etiam proximorum hereditate & successione habeantur alieni: Testamentis aliorum nihil capiant, sint perpetuò egentes & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur, ad nullum unquam honorem* nulla prorsus Sacramenta perveniant: sint postremò tales, ut his perpetua egestate sordentibus sit & mors solatium, & vita supplicium.

* L. quisquis 5. in princ. C. ad L. Jul. Majestat.

* m. nullaq; fa.

2. Denique jubemus eos esse notatos sine venia, qui pro talibus unquam apud nos intervenire temperaverint.

3. Ad filias sanè ipsorum quolibet numero fuerint, Falcidiam tantum ex bonis matris, sive testata, sive intestata defecerit, volumus pervenire, ut habeant mediocrem potius filiæ alimoniam quàm integrum emolumentum aut nomen hæredis* assequantur. Mitior enim circa eas debet esse sententia, quas pro infirmitate sexus, minus ausuras esse confidimus.

* m. consequantur.

4. Emancipationes quoque quæ à prædictis sive in filios post legem dumtaxat latam, sive in filias *fuerit collata, non valeant.

* m. fuerint collocata, n. valeant.

5. Dotes, donationes quarumlibet, postremo item alienationes quas ex tempore, qualibet fraude vel jure factas esse constiterit, qui

primum

primum memorari de ineunda * sanctione ac societate cogitaverint, nullius statuimus esse momenti. *m. factione.

6. Uxores sanè prædictorum recuperata dote, si in ea conditione fuerint, ut quæ à viris titulo donationis acceperunt, filiis debeant reservare, tempore quo usufructus (a) absumitur. Omnia ex fisco nostro se relicturas esse cognoscant, quæ juxta legē filiis debebātur: Falcidia etiam ex his reb. filiab. tantum non etiam filiis deputetur. a m. absumuntur.

7. Id quod de prædictis eorumq; (b) filiis quo minus etiam de satellibus consciis ac ministris, filiisq; eorum, simili severitate censemus. Sanè si quis ex his in exordio initæ factionis, studio veræ laudis accensus, ipse prodiderit factionem, & præmio nobis & honore donabitur.* Is v. qui usus fuerit factione, si vel sero, tamen incognita adhuc consiliorum arcana patefecerit, absolutione (c) tamen ac venia dignus habebitur. Statuimus insuper, ut si quid contra prædictos Principes Electores, Ecclesiasticos vel seculares commissum dicatur, etiam post mortem rei id crimen instaurari posse. In hoc item crimine, quæ ad læsam in Principibus Electoribus suis majestatem pertinet, etiam in caput Domini servi torquentur. b m. filiis cavimus etiā de satelli. * L. antepen C. ad L Jul. Majest. c m. tantū.

8. Volumus insuper, & præsenti Imperiali sancimus edicto, ut etiam post mortem nocentium hoc crimen inchoari possit, (d) & convicto mortuo, memoria ejus damnetur, & bona successoribus ejus eripiantur. Nam ex quo sceleratissimum quis cœperit consiliū, exinde quodammodo sua mente punitus est. Porrò, ex quo quis tale crimen contraxit, neque alienare, neque manumittere eum posse, nec ei solvere jure debitorem decernimus. d m. ut

9. In hac causa in caput Domini servos torqueri statuimus, id est, propter causam factionis damnandæ contra Principes Electores Ecclesiasticos & seculares, ut præmittitur. Et si decesserit quis, propter incertā personam successoris bona serventur, si in (e) casu hujusmodi fuisse mortuus arguatur. e m causa.

CAPUT XXV.

De integritate Principatuum Electorum servanda.

SI cæteros (a) Principatus congruit in sua integritate servari, ut corroboretur justitia, & subjecti fideles pace gaudeant & quiete, multò a m. Principes.

te, multò magis magnifici Principatus, dominia, honores, & jura Electorum Principum debent illæsa servari. Nam ubi majus incumbit periculum, majus debet remedium adhiberi, ne columnis ruentibus, basis totius ædificii collidatur.

infra §. 2. in fi.

1. Decernimus igitur, & hoc perpetuis temporibus valituro sancimus edicto, quod ex nunc in antea perpetuis futuris temporibus insignes & magnifici Principatus, videl. regnum Bohemiæ, Comitatus Palatini Rheni, Ducatus Saxoniæ, & Marchionatus Brandenburgensis, terræ, districtus, homagia, vasallagia, & alia quævis ad ipsa spectantia, scindi, dividi, seu quavis conditione dimembrari non debeant, (*b*) sed in sua perfecta integritate perpetua maneant.

b m seu ut potius in f. Vide supra cap. 1. §. 2. & Bullam Sigismundi de Palatin. §. 4. existeret.

2. Primogenitus filius succedat in eis, sibique soli jus, & dominium competat: nisi forsitan mente captus, fatuus seu alterius famosi & notabilis defectus (*c*) existat, propter quem non deberet, seu posset hominibus principari. In quo casu, inhibita sibi successione, secundogenitum, si fuerit in ea progenie, seu alium seniorem fratrem, vel consanguineum Laicum, qui paterno stipiti in descendenti recta linea proximior fuerit, volumus successurum: qui tamen apud alios fratres & sorores se clementem & pium exhibebit continuò, juxta datam sibi à Deo gratiam, & juxta suum beneplacitum, & ipsius patrimonii facultates: divisione, scissione, seu dimembratione Principatus & pertinentiarum ejus sibi modis omnibus interdicta.

supra § 1. hoc cap.

CAPUT XXVI.

De Curiâ Imperiali & sessione.

a m. bes niant. b m. ipse omn. c m. ibi.

Die qua solennis Curia Imperialis vel Regia fuerit celebranda (*a*) venient circa horam primam Principes Electores, Ecclesiastici & seculares ad domum habitationis Imperialis sive Regalis & ibi Imperator vel Rex (*b*) omnibus insigniis Imperialibus induetur: & ascensis equis omnes vadant cum Imperatore, vel Rege ad locum sessionis aptatæ, & (*c*) illic quilibet eorũ in ordine & modo supra in lege de ordine processionis ipsorum Principum Electorum plenius diffinito.

2. Porta

2. Portabit etiam Archicancellarius, in cujus Archicancellariatu hæc(d)sunt,super baculo argenteo omnia sigilla & typaria Imperialia sive Regalia. *d m. fuerint.*

3. Seculares verò Principes Electores sceptrum,pomum, & ensem,secundum quod superius exprimitur, deportabunt.

4. Portabunt etiam immediatè ante Archiepiscopum Trevirensem suo loco transeuntem,primo Aquisgranensis, secundo Mediolanensis corona,& hoc ante Imperatorem duntaxat, qui jam est Imperialibus infulis decoratus: quas gestabunt aliqui Principes inferiores,ad hoc per Imperatorem juxta placitum deputandi.

5. Imperatrix etiam vel Regina Romanorum suis augustalibus amicta insigniis, post Regem vel Imperatorem immediatè subsequitur,competentis spacii intervallo suis associata proceribus, suisque comitata virginibus,ad locum sessionis procedat. *e m. Imperatrix.*

CAPUT XXVII.

De officiis Principum Electorum in solennibus Curiis Imperatorum vel Regum Romanorum.

STatuimus ut quandocunque Imperator vel Rex Romanorum solemnes Curias suas celebraverit,in quibus Principes Electores sua deservire seu exercere debent officia, inscriptus in his ordo servetur.

1. Primò enim Imperatore vel Rege ipso in sede regia sive solio Imperiali sedente,Dux Saxoniæ agat officium suum hoc modo; Ponetur enim ante ædificium sessionis Imperialis vel Regiæ acervus avenæ, tantæ altitudinis, quod pertingat usque ad pectus vel sellam equi: super quo sedebit ipse Dux, & habebit in manu baculum argenteum,& mensuram argenteam,quæ simul faciant in pondere duodecim marcas argenti:& sedens super equo, primo mensuram eandem de avena plenam accipiet,& famulo primitùs venienti ministrabit eandem. Quo facto figendo baculum in avenam, recedet,& (a)Vicemareschallus ejus,puta de Pappenheim, accedens: *a m. Vice vel mareschallus.*

b m. Mareſchallus. vel eo abſente, (*b*) Mareſchallus Curiæ, ulterius avenam ipſam diſtribuet.

2. Ingreſſo v. Imperatore vel Rege ad menſam, Principes Ele- ctores, Eccleſiaſtici, videl. Archiepiſcopi, ſtantes ante menſam cum cæteris Prælatis benedicent eandem ſecundum ordinem, qui circ hæc eis in ſuperioribus eſt præſcriptus. Et benedictione completa, iidem Archiepiſcopi omnes, ſi adſint; alioquin duo vel unus, ſigil & typaria Imperialia ſive Regalia à Cancellario Curiæ recipien Eoq; in cujus Archicancellariatu curiam ipſam celebrari conting in medio procedente; & aliis duob. ex alterutro latere ſubjunctis, ſigilla & typaria ipſa, omnes quidem baculũ, in quo ſuſpenſa fueri manib. contingentes ea portabunt, & ante Imperatorem vel Rege reverenter ponent in menſa. Imperator v. ſive Rex eadem ipſis ſt tim reſtituet: & in cujus Archicancellariatu hoc fuerit, ut præfe tur, is magis ſigillum collo appenſum uſq; ad finem menſæ geſtab & deinceps donec ad hoſpitium ſuum perveniat ab Imperiali ſive Regali curia equitando. Baculus v. de quo præmittitur, eſſe debet argenteus, duodecim marcas argenti habens in pondere, cujus tà argentei, quàm precii partẽ tertiã unuſquiſq; Archiepiſcoporũ ipſ rũ perſolvet, & baculus ipſe protinus unà cũ ſigillis & typariis deb Cancellario Imperialis curiæ aſſignari, in uſus ſuos beneplacit convertendus. Poſtquam a. is quem ordo tetigerit portando ſigil majus ab Imperiali Curia ad hoſpitium ſuum redierit, ut præfertũ ſtatim ſigillum ipſum per aliquem de ſuis familiaribus prædic Imperialis Curiæ Cancellario remittet ſuper equo, quem juxta pr priæ dignitatis decentiam & amorem, quem ad Cancellarium C riæ geſſerit, ipſi Cancellario tenebitur elargiri.

3. Deinde, Marchio Brandenburgenſis Archicamerarius acc dat ſuper equo habens argenteas pelves cum aqua in manibus, po deris duodecim marcarum argenti, & pulchrum manutergium: descendens ab equo, dabit aquam Domino Imperatori vel Re Romanorum manibus abluendis.

4. Comes Palatinus Rheni intrabit ſimiliter ſuper equo, habe in manibus quatuor ſcutellas argenteas cibis impletas, quarũ qu libet tres marcas habeat in ſtatera: & deſcendens ab equo portab & ponet ante Imperatorem vel Regem in menſa.

5-(·) Re

5. (c) Post hos Rex Bohemiæ Archipincerna veniat similiter super equo, portans in manib. cuppam (d) seu scyphum argenteum, ponderis duodecim marcarū, coopertum, vino & aqua (e) permixtum impletum: & descendens de equo, scyphum ipsum Imperatori vel Regi Romanorum porriget ad bibendum.

6. Sicut etiam hactenus observatum fuisse comperimus, ita statuimus, ut peractis per Principes Electores seculares prædictis (f) eorum officiis, ille de Falckenstein Subcamerarius equum & pelves Marchionis Brandenburgensis pro se recipiat.

Magister coquinæ de Nortenberg equum & scutellas Comitis Palatini.

Vicepincerna de Limpurg equum & cissum Regis Bohemiæ.

Vicemareschallus de Papenheim equum baculum & mensuram prædictam Ducis Saxoniæ.

Si tamen ipsi in tali Imperiali seu Regali Curia præsentes existant, & eorum quilibet in officio suo ministret: Si v. ipsi vel eorum aliqui à præfata Curia se duxerint absentandos, extunc Imperialis vel Regalis Curiæ cottidiani ministri, vice absentium, puta quilibet in loco ejus absentis, cui in vocabulo seu officio communicat, sicut geret officium, sic tollat in præmissis & fructum.

c m. posthac
d m. vel ciphum recentius scyphum.
e m. permixtum.
f m. ipsorum.

CAPUT XXVIII.

IMperialis insuper mensa vel Regia sic debet aptari, ut ultra alias aulæ tabulas sive mensas in altitudine sex pedum sit altius elevata: in qua præter Imperatorem Romanum dumtaxat vel Regem, die solemnis Curiæ, nemo penitus collocetur.

2. Sedes v. & mensa (g) Imperatoris sive Reginæ parabitur à latere in aula, ita quod ipsa mensa tribus pedibus Imperiali sive Regali mensa sit bassior, & totidem pedibus eminentior supra sedes Principum Electorum: qui Principes suas inter se in una eademque altitudine sedes habebunt & mensas.

g m. Imperatricis.

3. Infra sessionem Imperialem mensæ pro septem Principibus Electoribus, Ecclesiasticis & secularibus præparentur, tres videlicet à dextris, & tres aliæ à sinistris, & septima directè versus faciem Imperatoris vel Regis, sicut superius in capitulo de sessionibus &

ordine Principum Electorum per nos est clarius diffinitum: ita etiam quod nullus alius, cujuscunque dignitatis vel status existat, sedeat inter ipsos, vel ad mensas eorum.

4. Non liceat autem alicui prædictorum secularium Principum Electorum peracto officii sui debito, se locare ad mensam sibi paratam, donec alicui suorum Conprincipum Electorum ejus officium restat agendum; Sed cum aliquis eorum vel aliqui ministerium suum expleverint, ad præparatas sibi mensas transeant, & juxta illas stando, expectent, donec cæteri ministeria sua expleverint supradicta, & tunc demum omnes & singuli pariter ad mensas sibi positas se locabunt.

a m. relationibus. 5. Invenimus etiam ex clarissimis(a) relatibus & traditionibus antiquorum, illud à tempore, cujus contrarii jam non habetur memoria, per eos, qui nos præcesserunt feliciter, esse jugiter observaservatum, ut Regis Romanorum futuri Imperatoris in civitate Francofordt celebraretur electio, & prima coronatio Aquisgranensi, & in oppido Nurembergensi prima sua regalis Curia haberetur. Quapropter certis ex causis etiam futuris præmissa servari debere temporibus declaramus, nisi præmissis omnibus, seu eorum alicui, impedimentum legitimum obviaret.

6. Quandocunq; insuper aliquis Princeps Elector Ecclesiasticus vel etiam secularis justo impedimento detentus ad Imperialem *b m. valens.* Curiam vocatus venire non(b) volens nuncium vel procuratorem cujuscunque dignitatis vel status transmiserit, missus ipse, licet loco mittentis juxta datum sibi ab eo mandatum admitti debeat, in mensa tamen vel sede, quæ illi, qui ipsum transmittit, deputata fuerit, non sedebit.

7. Præterea consummatis his quæ in Imperiali qualibet Curia sive Regali fuerint pro tempore disponenda, recipiet Magister Curiæ pro se totum ædificium seu ligneum apparatum Imperialis sive Regiæ sessionis, ubi sederit Imperator vel Rex Romanorum cum Principibus Electoribus ad celebrandas solemnes Curias vel feuda, sicut præmittitur, Principibus conferenda.

CAP

CAPUT XXIX.

De juribus officialium, dum Principes feuda sua ab Imperatore vel Rege Romanorum recipiunt.

DEcernimus hoc Imperiali Edicto, ut Principes Electores, Ecclesiastici & seculares, dum feuda sua sive Regalia ab Imperatore vel Rege recipiunt, ad dandum vel (*a*) faciendum aliquid nulli pœnitus sint astricti. Nam pecunia quæ tali prætextu persolvitur, officiatis debetur. Cum ergo ipsi Principes Electores cunctis Imperialis Curiæ præsint officiis, suos etiam habentes in hujusmodi officiis substitutos, datos ad hoc à Romanis Principibus & dotatos, (*b*) videtur absurdum quod substituti Officiales à suis superioribus quocumque quæsito colore (*c*) exenna postularent: nisi forte ipsi Principes Electores sponte & liberaliter his aliquid largientur. *a m solvendum.* *c m encenia leg. xenia.*

2. Porrò cæteri Principes Imperii, Ecclesiastici vel seculares, dum prædicto modo eorum aliquis feuda sua ab Imperatore Rom. suscipit, vel à Rege, dabit Officialibus Imperialis sive Regalis Curiæ (*d*) sexaginta marcas argenti cum uno fertone: nisi eorum aliquis privilegio seu indulto Imperiali vel Regali tueri se posset, & probare se solutum vel exemptum à talibus, aut etiam aliis quibuscunque quæ solvi in susceptione feudorum hujusmodi consuevissent. Prædictarum insuper sexaginta trium marcarum & fertonis divisionem faciet Magister Curiæ Imperialis sive Regalis hoc modo: Primo enim decem marcas pro semetipso reservans, dabit Cancellario Imperialis sive Regalis Curiæ decem marcas; Magistris, Notariis, Dictatoribus tres marcas, & sigillatori pro cera & pergameno unum fertonem: Ita videlicet quod Cancellarius & Notarii Principi recipienti feudum non ad aliud, quàm ad dandum sibi testimonium recepti feudi seu simplicis investituræ literam, sint astricti. *d m sexaginta sex m.*

Item dabit Magister Curiæ Pincernæ de Limpurg de præfata pecunia decem marcas, Magistro coquinæ de Nortenberg decem marcas,

marcas, Vicemareſchallo de Papenheim decem marcas, & Camerario de Falckenſtein decem marcas: tali tamen conditione, ſi ipſi eorum quilibet in hujuſmodi Curiis ſolennibus præſentialiter *(e)* adſunt in ſuis officiis miniſtrando. Si verò ipſi vel aliqui eorum abſentes fuerint, ex tunc *(f)* officii Imperialis ſive Regalis Curiæ, qui talibus præſunt officiis, eorum quorum ſupplens abſentiam, ſinguli ſingulorum, ſicut vicem nomenq; & laborem ſufferunt, ſic lucrum & commoda reportabunt.

e m. adſint.
f m. Officiales.

Dum autem Princeps aliquis equo vel alteri beſtiæ inſidens feuda ſua ab Imperatore vel Rege recipit, equus ille ſeu beſtia, cujuſcumque ſpeciei ſit, debetur ſuperiori *(g)* Mareſchallo, id eſt, Duci Saxoniæ, ſi præſens *(h)* fuerit: alioquin illi de Papenheim ejus Vicemareſchallo: aut illo abſente, Imperialis ſive Regalis Curiæ Mareſchallo.

g m. Mareſchallo ut ſupra.
h m. affuerit.

XXX.

CUm S. Romani celſitudo Imperii diverſarum nationum, moribus vita & idiomate diſtinctarum leges habeat & gubernacula moderari. Dignum eſt, & cunctorum ſapientum judicio cenſetur expediens, quod Electores Principes, ipſius Imperii columnæ & latera, diverſorum idiomatum & linguarum differentiis inſtruantur, ut plures intelligant & intelligantur à pluribus, qui plurimorum neceſſitatibus *(a)* revelandis Cæſareæ ſublimitati aſſiſtunt, in partem ſolicitudinis conſtituti. Quapropter ſtatuimus, ut Illuſtrium Principum, puta Regis Boemiæ, Comitis Palatini, Rheni, Ducis Saxoniæ & Marchionis Brandenburgenſis Electorum filii vel hæredes & ſucceſſores, cum veriſimiliter, *(b)* Theutonicum idioma ſibi naturaliter inditum ſcire *(c)* præſumantur, & ab infantia didiciſſe, incipiendo à ſeptimo ætatis ſuæ An. in Grammatica, Italica, ac *(d)* Slavica linguis inſtruantur. Ita quod infra quartum decimum ætatis An. exiſtant in talibus juxta datam ſibi à Deo gratiam eruditi; cum illud non ſolùm utile, immò ex cauſis præmiſſis ſummè neceſſarium habeatur, eò quod illæ linguæ, ut plurimum ad uſum & *(e)* neceſſitatem S. Imperii frequentari ſint ſolitæ, & in his plus ardua ipſius Imperii negotia ventilentur.

a m. revelandis.
b m. Teutonicum idioma ſcrib. Teutonicũ Teutſch.
c m. præſumantur.
d m. Sclavia
e m. utilitatem.

2. Hunc

2. Hunc autem proficiendi modum in præmissis (f) ponimus observandum, ut relinquatur optioni Parentum in filios, si quos habuerint, seu proximos, quos in Principatibus sibi credunt verisimiliter successuros, ad loca dirigant, in quibus de hujusmodi possint linguis edoceri, vel in propriis domibus pædagogos instructores & pueros consocios in his peritos eis adjungant, quorum conversatione pariter & doctrina in linguis ipsis valeant erudiri. f m. posuimus.



INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM.

Anni

Diffi-

E

Ele-

Gün-

Impe-

L.

M.

Ele-

Impe-

Maje-

N.

Pon-

Privi-

Regi

T.

W.

FINIS.



